T. Sharp D.D. Preb.
of Durham Arch
Deacon of North

PETER
SEABY

B

# REGUM
# PONTI, BOSPHORI,
# ET BITHYNIÆ
# HISTORIA.

# ACHÆMENIDARUM IMPERIUM, *SIVE* REGUM PONTI, BOSPHORI, ET BITHYNIÆ HISTORIA.

Ad fidem Numiſmatum accommodata.

*Per J. FOY VAILLANT, Bellov. Doctorem Medicum, & Regis Antiquarium, ac Sereniſſimi Cenomanenſium Ducis Gazæ Præfectum.*

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS;
Sumptibus CAROLI MOETTE Bibliopolæ, via vulgò *de la Bouclerie*, ad inſigne Sancti Alexii, propè Pontem Sancti Michaelis.

M. DCCXXV.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis.*

# AD LECTOREM.

VENTUM eſt jam ad ACHÆMENIDARUM Hiſtoriam. Hoc comprehenduntur nomine Ponti, Boſphori, Thraciæ & Bithyniæ Reges: qui omnes, ut & ipſi ARSACIDÆ, ad ACHÆMENEM Heroëm, Perſei filium, originem referebant.

Prius Volumen ARSACIDARUM Hiſtoriam, & quæcumque ad eam ſpectant, complectitur. In hoc poſteriori Volumine eâdem planè uſus methodo Doctiſſimus VAILLANTIUS, Hiſtoriam quoque ACHÆMENIDARUM per Nummos, quotquot hactenus inveniri potuêre, contexuit.

Totiûs autem hujus Operis rationem, ERUDITE LECTOR, paucis tibi reddamus neceſſe eſt. Orditur VAILLANTIUS à Ponti Regibus: quorum Hiſtoriam

perſequitur ab ARTABAZE, Regni Pontici Conditore ad mortem uſque MITHRIDATIS VI, cognomine EUPATORIS; qui ultimus Ponti Regum fuit. Undè liquet quadringentos ac viginti ſex annos Ponticum ſtetiſſe Imperium: quippè quod anno Urbis conditæ ducenteſimo ſexageſimo octavo, ante CHRISTUM verò natum quadringenteſimo octogeſimo ſexto ab ARTABAZE conditum fuerit; ac tandem MITHRIDATIS VI. morte extinctum anno Urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo quarto. Reges autem Ponti undecim duntaxat numero recenſentur.

A Ponticis Regibus tranſit VAILLANTIUS ad Reges Boſphori & Thraciæ. Hi octodecim numerantur: quorum primus PHARNACES III. à Pompeio Magno Rex Boſphori renuntiatus: ultimus verò Anonymus, filius, ut putatur, RHESCUPORIS Tertii. Quod quidem argumento eſt Regnum Boſphori, quod anno Urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo primo, ante CHRISTUM ſexageſimo tertio, ſumpſerat exordium, ac circa annum Urbis conditæ noningenteſimum quinquageſimum quintum

finem habuerat; annos circiter ducentos & quatuor ſupra ſexaginta ſtetiſſe.

Tertium obtinent locum Bithyniæ Reges, numero tantummodò decem. Horum primus DÆDALSUS, Bithynici Regni Conditor: Poſtremus verò NICOMEDES III. cognomine EPIPHANES: qui, abſque liberis moriens, Populo Romano Regnum teſtamento reliquit. Hoc pacto Bithynia, Juris Romani facta, Aſiæ Provinciæ ſuperaddita eſt, atque eidem Proconſuli ſubjecta. Is tunc temporis erat M. Junius Silanus. Itaque Bithynicum Regnum plus quàm trecentos annos ſtetit. Siquidem anno ab Urbe conditâ trecenteſimo ſeptuageſimo primo, ante CHRISTUM verò trecenteſimo octogeſimo tertio à DÆDALSO conditum fuerat, & anno Urbis conditæ ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono; unà cum NICOMEDE III. ſine Liberis defuncto, finitum eſt.

Agmen claudit Bithyniæ Romanorum Provinciæ Hiſtoria: quam huic Operi VAILLANTIUS adtexendam non ſine causâ putavit. Cui quidem Hiſtoriæ ſubjungendos quoque Indices duos cenſuimus: alterum

Auctorum in hoc Opere laudatorum; alterum Rerum ex Nummis deſumptarum.

Tota hæc eſt Hiſtoriarum in hoc ſecundo Operum Poſthumorum VAILLANTII Volumine contentarum ſeries. Atque heîc finem dicendi faciam, ERUDITE LECTOR,

*Ne longo ſermone morer tua tempora;*

in legendis hiſce Hiſtoriis multò utilius ſanè impendenda. VALE.

# CANON CHRONOLOGICUS
## REGUM PONTI.

ANNI.

| A. C. | V. C. | |
|---|---|---|
| 486 | 268 | ARTABAZI à Dario regnum Ponti conceſſum eſt. In prælio pugnans cadit. |
| 480 | 274 | Aninymus, loco Artabazis regnavit. |
| 474 | 290 | RHODOBATES, Anonimo patri ſucceſſit. |
| 402 | 352 | MITHRIDATES I. pro patre Rhodobate regno Ponti potitur. |
| 363 | 391 | ARIOBARZANES poſt obitum Mithridatis patris regnat. |
| 337 | 417 | MITHRIDATES II. dictus Ctiſſes, regnat morte patris Ariobarzanis. |
| 306 | 448 | Conſervatur in Ponto ab Antigono. |
| 302 | 452 | MITHRIDATES III. patri ſuccedit. |
| 301 | 453 | Antigonus prælio ſuperatus occiditur. |
| 266 | 488 | Mithridates partem Cappadociæ & Paphlagoniæ invadit. |
| 265 | 489 | MITHRIDATES IV. mortuo Mithridate regnat. |
| 223 | 531 | Antiocho Laodicen filiam, in uxorem concedit. |
| 215 | 539 | Achæus capitur Sardis, ab Antiocho excruciatur. |
| 183 | 571 | PHARNACES mortuo patre, Pontici regni habenas ſuſcipit. |
| 154 | 600 | MITHRIDATES V. mortuo patre Ponti regimen aſſumit. *Evergetes* dictus. |
| 148 | 606 | Copiis adjuvat Romanos contra Carthaginenſes. |
| | 623 | Romanis auxilium fert contra Ariſtonicum. |
| 130 | 624 | Perpena prælio vincit Ariſtonicum capitque. |
| 129 | 625 | Aquilius, mortuo Perpena ducit Romam Ariſtonicum. |
| 133 | 631 | MITHRIDATES VI. Eupator & ultimus, patri ſuccedit. |
| 60 | 694 | Mithridatis mors. |

# REGUM BOSPHORI.

ANNI.
A. C. V. C.

63 691 PHARNACES III. Rex primus Boſphori à Pompeio nominatus.
Mithridati Pergameno, Cæſar dat Boſphori regnum.
47 707 Aſander, non Regis ſed Ethnarchæ tantùm Boſphori nomen aſſumpſit.
Aſander inediâ reliquit Dinæmi uxori Boſphorum.
Scribonius nubit Dinami, & Boſphori regno potitur.
39 715 DARIUS filius Pharnacis, Pontum recuperat, ſibi ab Aſandro ereptum.
29 725 MITHRIDATES VII. filius aut Darii nepos.
Ejus filius à Caligula obtinet Boſphori regnum.
21 743 POLEMO in Ponti parte in Boſphoro & in Ciliciæ parte regnat.

Poſt Chr.

17 770 PYTHORIDIS Regina Polemoni ſuccedit in Ponti & Boſphori regnis. Nubit cum Archelao.
38 791 POLEMO II. potitur regnis Ponti & Boſphori.
51 804 Mithridates VIII. Boſphori regnum à Caligula recipit.
Cotys Thraciæ Rex, nubente vidua Mithridatis VII. Armeniam obtinet.
107 861 Cotys Rex Boſphori efficitur.
115 869 Ininthimæus Cotyi ſuccedit in regno Boſphori.
Rheſciporis I. Boſphori Regis vita ignoratur, nepos Armeniæ Cotyis Regis. Regnavit ſub Adriano.
Rhæmetalces, duo fuerunt Reges, unus Thraciæ, alter Boſphori. Sub Antonino regnante, Rheſporidis filium fuiſſe probatur.
Anonymus, de nomine ignotus.
124 877 Cotys II. Anonymo ſuccedit.
140 899 Rheſcyporis II. poſt Cotym regnat in Boſphoro, filius Cotyis.
195 951 Rheſcyporis III. ſucceſſit Rheſcypori ſecundo,
Anonymi varii.

# REGUM BITHYNIÆ.

ANNI.
A. Ch. V. C.

383 371 Dædalsus primus Bithyniæ Rex.
378 376 Botyrus ſuccedit Dædalſo, & ejus creditur filius.
334 420 Bias mortuo patre Botyro regnat in Bithynia.
328 426 Zypoetes poſt patrem Biam, Bithyniæ habenas ſuſcipit. Urbem condidit Zypœtem.
281 473 Nicomedes Zypœtis natu maximus pro eo regnat in Bithynia.
278 476 Gallorum auxilio pellit fratrem ea parte Bithyniæ quam invaſerat.
245 509 Nicomedes diti Zeli, & ea mortua Azetæ nubit. Filiorum curatores elegit, & conſtituit Ptolemæum & Antigonum.
241 513 Zelas Nicomedis ex primo matrimonio filius, invadit Bithyniam.
241 513 Zelas in Gallos irrumpit, condit Zelam in Cappadocia.
231 523 Inſidiis adortus Gallo-Græcos, occiſus eſt.
229 525 Prusias poſt patrem Zelam ejus regno potitur.
208 546 Pruſias Attalo ſocero, adverſus Ætolos, in bello ſocius eſt.
205 549 Pace inter Philippum & Ætolos inita, Pruſias arma vertit in Cianos.
203 551 Philippus & Antiochus Ægyptum interpartiri cogitant.
200 554 Philippus Cherſoneſum Thraciæ in poteſtatem redigit, & Abydam expugnat.
197 557 Pruſeus in obſidione Heracleæ vulneratus, ab ea deſiſtit.
190 564 Pruſias ab Antiocho deficit, & paulò pòſt moritur.
186 568 Prusias II. loco patris regnat in Bithynia.
185 569 Pruſias terra marique vincitur ab Eumene. Annibalis arte claſſis navalis Eumenis profligatur.
184 570 Fugit Eumenes, ejus pedeſtres copias debellat Annibal. Annibal ne in manu Romanorum incidat, veneno ſe interficit.
178 576 Perſeus poſcit à Romanis ut Rex Macedoniæ appel-letur.
169 585 Pruſias Romanis mittit legatos de pace inter eos & Perſeum ineunda.

A ij

| ANNI | | |
|---|---|---|
| A. C. | V. C. | |
| 165 | 589 | Senatus mittit Legatos ad inquirendum conſiliis Antiochi & Eumenis. |
| 164 | 590 | Antiochus Rex Syriæ, } moriuntur. |
| 158 | 596 | Eumenes Pergami Rex, } moriuntur. |
| 152 | 602 | Legati conantur cunctos ab ejus ſocietate avertere, & Attalo favere. |
| 151 | 603 | Senatus mittit Legatos qui de pace agant intèr Pruſiam & Attalum. |
| 150 | 604 | Pruſias odioſus ſubditis, mittit filium Romam in ea manſurum. Mors ejus. |
| 149 | 605 | NICOMEDES II. interfecto patre in Bithynia regnat. |
| 133 | 621 | Craſſus Ariſtonicum Pergami invaſorem bello appetit. |
| 131 | 623 | Craſſus quamvis à multis Regibus auxiliatus vincitur & necatur. |
| 130 | 624 | Perpenna ſuperat & capit Ariſtonicum & remunerat Reges auxiliatores. |
| 124 | 630 | Mithridates & Nicomedes Paphlagoniam invadunt, & inter ſe partiuntur. |
| | | Mithridates abnuit reddere Paphlagoniam juſſu Senatus, & Galatiam occupat. |
| 123 | 631 | Nicomedes videt Romanos, & dat partem Paphlagoniæ filio ſuo. |
| | | Interfecto juſſu Mithridatis Ariarathe, Nicomedes Cappadociam invadit. |
| 103 | 651 | Nicomedes denegat auxiliari Mario Cimbris bellum inferenti. |
| 93 | 661 | Senatus aufert Cappadociam Mithridati, & Paphlagoniam Nicomedi. |
| | | Sylla compellit Nicomedem ad reſtituendam Pylæmeni Cappadociam. |
| 92 | 662 | Nicomedes filii Socratis inſidiis è vivis tollitur. |
| | | Bithyni regno pellunt Socratem & dant Nicomedi. |
| | | NICOMEDES III. patri ſuccedit in regno Bithyniæ. |
| | | Nicomedes à Senatu Rex confirmatus cognomen Eupatoris ſumit. |
| 91 | 663 | Per Legatos queritur Romæ de invaſa Bithynia à ſuo fratre. |
| | | Senatus mittit Legatos, qui illi & Ariobarzani regna reſtitui faciant. |
| | | Nicomedes in ditionem Mithridatis irrumpit & depopulatur. |
| 90 | 664 | Mithridates fruſtra ligat, queritur de Nicomede.

| ANNI. A. C. | V. C. | |
|---|---|---|
| | | Senatus denegat Mithridatis Legatis petitiones, eumque minantur. |
| 89 | 665 | Pergami duces paratus inſtruunt cum Nicomede contra Mithridatem. |
| | | Mithridates ſe ad bellum parat copias undique cogendo. |
| | | Nicomedes prælio ſuperatur à Mithridate. |
| | | Mithridates totam Nicomedis ditionem invadit. |
| 88 | 666 | Sylla mittitur ad bellum contra Mithridatem. |
| 85 | 669 | Simbria proſperè pugnat cum Mithridatis filio & Regem fugat. |
| | | Mithridates Archelai operâ pacem poſcit à Sylla. |
| 84 | 670 | Colloquuntur de pace Sylla & Mithridates in Aſia. |
| | | Sylla concedit pacem Mithridati, qui recedit in regnum. |
| 83 | 671 | Murena Aſiæ Prætor pacem frangit cum Mithridate. |
| | | Senatus jubet Murenam abſtinere armis contra Mithridatem. |
| 81 | 673 | Murena ab Aſia revocatur, & ejus loco mittitur. |
| | | Julius Cæſar mittitur in Bithyniam. |
| | | Julius proſtratæ Nicomedi pudicitiæ accuſatur. |
| | | Nicomedes moritur, & Bithynia potiuntur Romani. |

# STEMMA
## PONTI REGUM
## EX STIRPE ACHÆMENIDARUM.

ARTABAZES.

|

Anonymus.

|

RHODOBATES.

|

MITHRIDATES.

|

ARIOBARZANES.

|

MITHRIDATES Ctiſtes.

|

MITHRIDATES III.

|

MITHRIDATES IV.

|

PHARNACES.

|

MITHRIDATES Evergetes V.

|

MITHRIDATES Eupator VI.

# DE PONTI REGNO
## PRŒMIUM.

*De Ponti Regno dicturis, neceſſarium nobis videtur, illius quodammodo amplitudinem & circumſcriptionem indicare, ut totam hanc regionem, in qua Reges ex Achæmenidarum ſtirpe procreati, imperare cœperunt, Lector præ oculis habens, rerum de quibus nobis erit ſermo, majorem in animo ſpeciem conſervare poſſit.*

*Pontus quidem illo tempore, Bithyniæ ab occaſu, & Paphlagoniæ ab ortu conterminus tantùm fuit, Phrygiæ majori ex meridie & Ponto-Euxino ex ſeptentrione appoſitus.*

*Hunc à Mari Pontico nomen aſſumpſiſſe quidam referunt: alii verò à quodam Rege hujus regionis, cui nomen erat Pontus, dictum fuiſſe contendunt: huic ſententiæ favere videtur, quod etſi Paphlagonia & Cappadocia etiam Mari Euxino alluantur, illa tantùm regio, Pontus appelletur, niſi hos Reges antiquos totam illam Pontici Maris oram tenuiſſe dixerimus, quam tandem Mithridates Eupator poteſtati ſuæ ſubjecit, ſicut & Colchidem: undè poſt eum duo regna & duæ deindè Provinciæ factæ ſunt, quarum una Pontus propriè, altera verò Pontus Polomoniacus.*

*Ante Achæmenidas, qui tantùm ſub Dario Hiſtaſpis filio in hac regione, quam nominant Pontum, regnarunt: Florus alios Reges ſic nominat* lib. 3. cap. 5. *Ponticæ gentes, inquit, ad Septentrionem in ſiniſtrum jacent, à Pontico cognominatæ Mari: harum gentium atque regionum Rex antiquiſſimus Artheas. Pontum etiam Nerei filium nominat Euſebius* lib. Præpar. Evang.

*Cappadociam, ait Strabo, Perſæ in duas diviſerunt Satrapias, earum alteram propriè Cappadociam & Cappadociam ad Taurum, adeòque magnam Cappadociam nuncuparunt: alteram, Pontum ſive Cappadociam Ponticam, lib.* 12. pag. 534. *undè, ut inquit Reinerus Reineſius* lib. de Ponti Regibus, *ita tum primùm regionis hæc appellatio eſſe verè cœperit.*

*Sub Cyro hanc Cappadociæ diviſionem fuiſſe factam eruitur ex Bibliotheca Photii* lib. 51. *nam ibi Cappadociæ Reges ad Cyrum Perſarum Regem referre genus contendunt multi, & cognationem ſic enumerant: Cambyſis Cyri patris ſororem fuiſſe germanam, Atoſſam. Ex ea & Pharnace Cappadociæ Rege natum fuiſſe Pædaganum, qui ſuam ſtirpem propagavit uſque ad Anapham, cui ſub Dario Hiſtaſpis filio propter virtutem conceſſum fuiſſe tradunt Cappadociæ Principatum, ut Perſis tributa non penderet: nam Cappadociæ Reges ultimi, illum Anapham fuiſſe unum è ſeptem Perſarum proceribus, qui Magum occiderunt, affirmant.*

*Darius autem Hiſtaſpis filius, unus etiam ex ſeptem magnatibus, qui Magum interfecerant, cùm ad Perſarum regnum evectus fuiſſet, illud in viginti Provincias, quas Perſæ Satrapias vocant, anno imperii ſui ſecundo partitus eſt, earumque ſingulis præſides præfecit, inter quas Ponti Satrapiam in gratiam Artabazis, quem ejus filium ex priore matrimonio cum Gobriæ filiâ natum ſuſpicamur, ſub tributi nomine in regnum erexit, ex quo Ponti Regum progenies uſque ad Mithridatem Eupatorem illius principatûs ultimum, per ſeriem Monarchiam promanavit, ut ex ſequentibus Hiſtoriæ Pontici regni ex Achæmenidarum ſtirpe, Annalibus patebit.*

ACHÆMENIDARUM

# ACHÆMENIDARUM IMPERIUM.

*SIVE*

# REGUM PONTI, BOSPHORI, THRACIÆ, ET BITHYNIÆ HISTORIA.

## *REGES PONTI.*

### ARTABAZES, REX PONTI PRIMUS, è ſtirpe Achæmenidarum.

ARTABAZES, Ponti Rex primus, & quidem ex Achæmenidarum ſtirpe, renuntiatur à recentioribus ex ſequentibus Flori verbis. Ponticæ gentes ad Septentrionem in mare ſiniſtrum jacent, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum Rex antiquiſſimus Artheas; poſt Artabazes, à ſeptem

Perſis oriundus : indè Mithridates omnium longè maximus. *Lib.* 3. *cap.* 5.

Cùm Florus proximè Artheæ, qui fuit ex alia Proſapia, ſubjungat Artabazem, undè novam poſt illum ſtirpem indicare videtur; rectè de eo intelligi poteſt, cui Darius Hiſtaſpis filius, Ponticum regnum conceſſerit: adde quod poſt Artabazem, Mithridatem Eupatorem ſcilicet genus duxiſſe affirmat Hiſtoricus; ſic primum regni Pontici auctorem, & ultimum hujus Monarchiæ Principem indicat, ex Achæmenidarum nempè ſtirpe, cùm addit hunc genitum eſſe è ſeptem illis Perſarum Nobilibus.

In eandem de Mithridatis ultimi Regis Ponti origine ab uno è ſeptem viris illuſtribus deductâ, qui Magum interfecerunt, ſententiam abit Sext. Aurelius Victor his verbis: Mithridates Rex Ponti oriundus à ſeptem Perſis. *In vita Mithrid.* Imò Polybius longè antè, loquendo de illius Mithridatis proavo, nempè Mithridate nomine quarto, ait: Mithridates hic genus ſuum referebat ad unum è ſeptem illis Perſis, qui Magum occiderunt: tributumque jam olim majoribus ſuis à Dario dominatum ad Euxinum Pontum, perpetuò exindè conſervaverat. *Lib.* 5. *pag.* 388.

Aſſentire non poſſum Reinero Reineccio, qui unum ex ſeptem iſtis Magnatibus Ponti Regem fuiſſe exiſtimare mavult, quàm horum alterutrius filium, præſertim cùm inter illos quos Cteſias numerat, Onopham, Idernem, Norodobatem, Mardonium, Bariſem, Artaphernem, & Darium Hyſtaſpis, vel quos appellat Herodotus, Otanem, Hydarnem, Megabyſum, Gobriam, Aſphatimem, Intaphernem & Darium; nomen Artabazis non legetur.

Neque obſtat hic, ait Reineccius, quod non reperiatur id viri nomen apud *Cteſiam* & Herodotum. Fieri enim potuit, ut quod haberet ille proprium, Herodotus vel *Cteſias*, retulerit; Florus verò inquit quod officium ei dediſſet, quo modo id Perſicarum rerum Scriptoribus eſt uſitatiſſimum: & ſcimus, *ſubjungit* Reineccius, eſſe hanc cauſam præcipuam, quòd Perſarum Monarchæ adeò diſcrepantibus nominibus referuntur in Litteris Sacris & Græcorum Hiſtoriis; ſic ille *lib. de Regno Pontico.*

Polybius à Dario Ponti regnum fuiſſe conceſſum majoribus Mithridatis narrat ſuprà. Sed rectè Appianus Mithridatis Eupatoris ſtirpem à Dario Hiſtaſpis Perſarum Rege deductam, ſic refert; Καὶ ὁ Μιθριδάτης ἀπέτνησκεν εὐκαίδεκατος ὢν ἐα Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου Πέρσων Βασιλέως. *Et Mithridates qui obiit, undecimus eſt à Dario Perſarum Rege.* Sic vindicantur Polybius & Sext. Victor, qui ad unum è ſeptem viris Regis hujus genus referunt, cùm à Dario deductam Ponti Regum ſtirpem narrant.

Darius natus 41. annos ad Perſarum regnum pervenit, cùm jam tres filios ex Amyſe Gobriæ filiâ ſuſcepiſſet. Horum natu maximus erat Artabazes, quem Herodotus appellat Artabazanem, quod idem eſſe videtur: huic ut jam Regis filio Darius pater Ponti Satrapiam Imperium à ſe in viginti partes partitum conceſſiſſe videtur.

Quid verò Artabazes toto Imperii patris decurſu egerit, prorsùs ignoratur, uſque dùm hic comparat expeditionem aut contra Ægyptios aut contra Athenienſes: tunc enim, inquit Herodotus, ingens inter ejus liberos de principatu exorta diſſentio eſt, quoniam ex in-

ſtituto Perſarum oportebat ita demùm ire in expeditionem, cùm regni ſucceſſorem declarâſſet; erant autem Dario jam antequàm regnaret, liberi tres, è priore uxore Gobriæ filiâ ſuſcepti, & poſt partum regnum, alii quatuor ex Atoſſa Cyri filia. *Lib. 7. in Polymnia initio.*

Superiorum maximus-natu erat Artabazanes,poſteriorum Xerxes. Qui cùm ex eadem matre non eſſent, diſceptabant; Artabazanes quidem, quòd omnis paternæ ſobolis ipſe maximus natu foret, cùm apud univerſos homines ſit inſtitutum, ut maximus natu liberorum obtineat principatum. Xerxes verò, eò quòd ipſe Atoſsâ genitus eſſet, filiâ Cyri, qui Perſis libertatem acquiſiſſet. Hunc Darius declaravit Regem, ſicque litem diremit. *Id. ibid.*

Ut tamen Artabazem ſeu Artabazanem conſolaretur, ei Ponti Satrapiam in regni titulum cum tributo erexiſſe videtur; quamvis jam Cappadocia à priſcis Regibus in duas Satrapias, nimirum in Cappadociam propriè dictam, & in alteram Pontum nominatam diviſa fuiſſet. Jam Pharnaces in regnum Cappadociam habuerat, cujus pronepos Anaphas tributi remiſſionem à Dario nuper obtinuerat, eò quòd fuiſſet ex ſeptem viris qui Magum interfecerant; ut habetur in Photii bibliotheca cap. 31. pag. 2058. Ita illæ duæ Satrapiæ in regna ſunt erectæ, undè nempè Ariarathes Cappadociæ Rex, & Mithridates Eupator Ponti Rex originem traxiſſe gloriabantur.

Quod Ponti regnum Artabazi ſilio conceſſerit Darius Hiſtaſpis, confirmant quæ ab Appiano referuntur, ſcilicet divitiarum illius & regiæ ſupellectilis Mithri-

datis ultimi in theſauris à Pompeio reperti; partem à Dario Hiſtaſpis filio, ſucceſſoribus per manus fuiſſe traditam. *lib. de bel. Mithr. pag.* 251. *&* 252. Undè probatur Eupatorem Darii ſucceſſorem fuiſſe, & ab illo originem traxiſſe; & iterùm Appianus in triumpho illius Regis, inter varia ornamenta, lectum Darii Hiſtaſpis filii, & ſellam ac ſceptrum Eupatoris eſſe traducta memorat, *pag.* 252. Quomodo enim hæc à Dario Hiſtaſpis ad Mithridatem perveniſſent, niſi à ſtrirpis auctore? Quod ſi Ponti Reges ab alio quàm ab uno è ſeptem iſtis Principibus genus duxiſſent, illa procul dubio per Darium in manus eorum non perveniſſent.

Sed ad Imperii contentionem inter fratres revertamur; hanc Juſtinus ex Trogo narrat, & pro Artabazane Herodoti, Artemenem primogenitum, Neclius verò ex M. S. Ariemenem appellat: hoc certamen, inquit, concordi animo, ad patruum ſuum Artaphernem, veluti ad domeſticum judicem, deferunt; qui domi cognitâ causâ Xerxem propoſuit: adeòque fraterna contentio fuit, ut nec victor inſultaverit, nec victus doluerit. *Lib.* 2. *cap.* 10.

Hiſtoriam verò hujus contentionis aliter refert Plutarchus: Mortuo Dario, inquit, alii regnum Ariameni, ut ejus natu maximo, deferebant; alii Xerxi, qui ex Atoſſa Cyri filia, Dario jam regnante, natus erat. Deſcendit itaque Ariamenes è Mediâ, non bellico apparatu, ſed placidè ad judicium. Xerxes venienti occurrit fratri, eumque ſalutavit, & illi dona miſit. Inſtante verò judicii die, Perſæ, communi ſententiâ, Artabanum *Darii fratrem* judicem deſignarunt. Causâ

cognitâ, Artabanus pronuntiavit Xerxi regnum convenire. Ariamenes autem, ſtatim proſiliens, fratrem adoravit, dextrâque apprehenſum, in ſolium collocavit. Exindè, primo apud eum loco habitus, benevolum ſe præbuit. *Lib.* Περὶ φιλαδελφίας.

Qui Plutarchum & Juſtinum ſequi malunt, Artabazis ſeu Artabazanis gratiâ Satrapiam Ponti, in regnum à fratre Xerxe erectam fuiſſe, exiſtimant, ut regiâ dignitate fratrem ita ornatum, ſibi novo hoc titulo devinciret; cùm alioqui inter eos qui genere ſunt pares, impares autem fortunâ & dignitate, facilè æmulatio exiſtat, quæ deindè in rebellionem & ſeditionem erumpere ſæpè aſſolet, ut poſteà in Artaxerxe Mnemone, & Dario Juniore videbitur: imò fraternum illorum ſupradicti Autores amorem maximè celebrant.

Nec alium Darii fratrem referre Herodotum, cùm Artabazanem nominat, exiſtimandum; cùm, quem Trogus & Plutarchus Ariemenem nuncupant, idem eſſe videatur filius Darii natu maximus, qui ab his Ariemenes nomine proprio dicitur, dum adhuc eſſet Satrapa, & ab Herodoto Artabazanes appellatur, poſteaquàm Rex à fratre dictus eſt, quod à Perſicarum rerum Scriptoribus eſt uſitatiſſimum, ut ſuprà obſervavimus.

Cùm Artabazes in Ponti regnum profecturus diſceſſit, à patre aut fratre plurimam & pretioſam ſupellectilem, de qua Appianus loquitur, accepiſſe videtur; quæ à ſucceſſoribus ſuis Ponti Regibus diligenter & accuratè ad demonſtrandam ſuam à Dario originem ſervata eſt. Hujus Principis currus à Victore

Pompeio in triumpho ejus de Mithridate Eupatore tranſlatum fuiſſe jam ſuprà vidimus.

Quomodo denique Artabazes ab Achæmenidis originem duxerit, ut plurimi tradunt Hiſtorici, ab Herodoto diſcendum eſt; ut enim illum Darii filium opinamur, Darius fuit Hiſtaſpis, qui fuit Arſamis, qui fuit Arrianmis, qui fuit Zeiſpei, qui Cyri, qui fuit Cambiſis, qui fuit Achæmenis filius. *lib. 7. in Polymnia verſus initium.* De quo tradit Ælianus. Audio Achæmenem Perſam quoque, à quo nobilis Perſarum Proſapia deſcendit, Aquilæ alumnum fuiſſe. *Lib.* 12. *cap.* 21.

Cùm Xerxes Perſarum Rex bellum Græcis illaturus eſſet, tres, alii quatuor annos, in colligendis copiis, ut terrâ marique eos adoriretur, conſumpſit. Artabazes fratri in hac tanta expeditione non defuit, ex Herodoto: Ionicæ quidem, inquit, claſſi, & Cariæ Artabazanes ex Dario & filia Gobriæ genitus præfuit. *lib. 7. in Polymnia circa medium.* Plutarchus addit, pro gloria fratris navali apud Salaminem præclarè pugnans cecidit. *Lib.* Πεϱὶ φιλαδελφίας. Quod confirmat Herodotus. In eo prælio, inquit, cùm alii multi & illuſtres viri, tam Perſarum Medorumque, quàm aliorum ſociorum decubuere, tum verò Dux Artabazanes, *per quo Ariabignes in pravis codicibus ſubſtitutus eſt*, Darii filius, Xerxiſque frater; è Græcis pauci. *lib. 8. in Urania circa medium.*

Itaque ſi in Artabaze anni regni ab illo *tempore numerentur*, ſex tantùm reperientur ex quo Ponti regnum à patre Dario obtinuit, aut certè ab eo quo illud à Xerxe fratre accepit; nam eorum controverſiam de Imperio

Perſarum obtinendo, paulò ante obitum Darii inter fratres ortam, & ab ipſo patre judicatam fuiſſe, refert Herodotus, quia Salaminenſis pugna commiſſa eſt anno ſexto Imperii Xerxis; ſi verò à Satrapia Ponti à patre Dario huic conceſſa anni computentur, erunt 40. nam Darius anno Imperii ſui ſecundo illud in Satrapias diviſit: & ſic ſublatis duobus de triginta & ſex, quos regnavit, ſupererunt 34. anni, quibus additis ſex de regno Xerxis, aderunt 40. completi.

Artabaſis nomen à Floro prolatum, potiùs quàm illud Artabazanis, ab Herodoto productum, pro primo Ponti Rege accepimus, quia Florus Artabazem Ponti Regem nominat, Herodotus verò non aliter quàm Artabazanem Darii natu maximum appellat.

# ANONYMUS II.

QUIS, mortuo Artabaze Ponti Rege, in illius regnum ſucceſſerit, Hiſtoricorum ejus ævi penuriâ, penitùs ignoratur: quòd ſi Cteſiæ qui iiſdem, quibus Xenophon temporibus vixit, & Artaxerxis Mnemonis Medicus fuit, hiſtoria ſupereſſet, procul dubio nos iſte edoceret; ſcripſit enim Perſica viginti tribus libris: de his hæc leguntur in excerptis Photii; à ſeptimo autem libro, inquit, de Perſicis rebus agit: ac in ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, duodecimo & decimo-tertio, quæ ad Cyrum & Cambyſem, & Magum illum Dariumque & Xerxem ſpectant, commemorat: ſed quæ illius ſcriptoris nobis ſuperſunt pauca admodum ſunt, eaque in Epitomen exiguam redacta.

Porrò etſi iſtius Regis nomen, qui Artabazi ſucceſſit, deperditum ſit, plerique tamen eum Artabazis filium fuiſſe conjiciunt, quando quidem Hiſtoriæ Scriptores Mithridatem Eupatorem ultimum Ponti Regem ut & Mithridatem hujus proavum ex ſeptem viris, qui Magum occiderunt, originem traxiſſe pro tulerunt.

Sed quoad eorum Regum numerum ſpectat, vitioſi Appiani codices in errorem ita recentiores induxerunt, ut plurimos Reges deſiderari qui ab Artabaze regnarunt uſque ad Rodobatem Reincceius & Henninges qui de Ponti Regibus ſcripſerunt, exiſtimarint, eorumque qui ſub Xerxe & Artaxerxe Longimano Perſarum Monarchiis degebant, nomina eſſe deperdita rectè autumant.

Sic ergo habetur in illis corruptis Appiani Manuſcriptis: Καὶ ὁ Μιθριδάτης ἀπεθνησκεν, ἐκκαιδέκατος ὢν ἐκ Δαρείου τοῦ ὑδάστου Περσῶν Βασιλέως, ὄγδοος δ' ἀπὸ Μιθριδάτου τοῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε, καὶ κτησαμένου τὴν ποντικὴν ἀρχήν. *Qui obiit ſextus-decimus ejus ſtirpis à Dario Perſarum Rege ultimo, octavus à Mithridate illo, qui primus deſertis Macedonibus, Pontici Regni fuit conditor.* App. pag. 249.

Alexander Tollius, qui Appiani Hiſtoriam notis illuſtravit, ad hanc paginam ſic ſcribit. Locus hic fœdiſſimè corruptus, niſi corrigeretur, poſſet omnibus Chronologis crucem figere. Nam ſi Mithridates Eupator decimus-ſextus à Dario Codomano ultimo Perſarum Rege fuit, quem vicit Alexander, quo modo fuit octavus à Mithridate fundatore ſeu Ctiſte, qui Alexandro & Antigono Alexandri duci fuit contemporaneus, & ſic contemporaneus etiam ipſi, cujus octavus nepos Eupator dicitur, certè hæc ſunt ἀδύνατα. Rurſus eum malè octavum facit à Mithridate Ctiſte, quem ſuprà hujus libri ſextum tantùm facit. Sic ille in *Appian. de bellis Mithrid. pag.* 249.

Sic verò totum hunc locum reſtituit Vir doctus: Ἐκκαιδέκατος ὢν ἀπὸ τοῦ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου Περσων Βασιλέως, ἕκτος ἀπὸ τοῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε καὶ κτισαμένου (ſic lego, non κτησαμένου) την Ποντικὴν ἀρχήν. *Sextus decimus à Dario Hiſtaſpis Perſarum Rege, ſextus verò à Mithridate, qui à Macedonibus defecit, & qui fundavit Regnum Ponticum.*

Rectè Tollius Ὑστάσπου vocem, quæ convenit Dario, cùm fuerit Hiſtaſpis filius, pro corruptâ ὑδάστου, quæ ultimum ſonat, reſtituit: imò verbum ὄγδοος in ἕκτος optimè mutavit, quem numerum à Mithridate Ctiſte ad Eupatorem ipſe Appianus agnoverat, & ſic apud Reinneccium & Henningem intruſos Mithridatem & ejus filium Pharnacem Reges ut octavum numerum implerent, recidit.

Locum Tollius haud penitùs tamen ſanavit, dum nobis decimi-ſexti numerum reliquit, ſed totam hanc Ponti Regum ſeriem magis implicuit; nam dum optimè duos à Ctiſte Reges reſcindit, anteriores ad duodecim auget. Hunc nodum tamen ſolutu primâ fronte difficilem, facilè ſolviſſet, unâ litterâ in prima voce mutatâ, nimirum ſi pro εκκαιδέκατος, *ſextus-decimus*, reſtituiſſet ἐνκαιδέκατος *undecimus*, qui verus eſt Regum Ponti numerus, ut in eorum ſtemmate operis hujus initio appoſito patet.

Artabazes, ut ſuprà vidimus, in pugna ad Salaminem commiſſa, Olympiade 75. interfectus eſt; & Mithridates nomine primus, ejus pronepos, pro Cyro juniore militavit anno 3. Olympiadis 94. Igitur anni ſolummodò 79. effluxere inter hoc temporis ſpatium, quo duo Reges, Anonymus hic, de quo nobis tunc eſt ſermo, & ejus filius Rhodobates, pater Mithridatis primi, regnare potuerunt; ſiquidem hic Mithridates pluſquàm 6. annos, ut infrà videbimus, Principatum obtinuit.

# RHODOBATES III.

RHODOBATES tertius Ponti Rex, renunciandus nobis videtur, juxta ſeriem Appiani Mithridatem Eupatorem à Dario Hiſtaſpis filio undecimum Ponti Monarcham referentis. Quin autem Rhodobates filius fuerit iſtius Regis, cujus nomen nobis pro incomperto relictum eſt, nullus eſt dubitandi locus, cùm illud planè conſtet ex Hiſtoricis, qui ultimum Ponti Principem ab uno è ſeptem viris illis, qui Magum occiderunt, originem duxiſſe aſſerunt.

Porrò hujus, non magis quàm patris, geſta ad noſtram notitiam pervenere, Scriptorum iſtius temporis inopiâ; ambos Ponti regnum tenuiſſe ſub Xerxe, Artaxerxe Mnemone, & Dario Notho tantummodò conjicimus, cùm Mithridates cognomine filius ſub initio Artaxerxis Mnemonis principatum Ponti occupârit, ut in ejus vita videbimus.

Xerxes quidem 29. Artaxerxes Longimanus 41. Darius verò Nothus 19. annos imperârunt; at cùm Artabazes mortuus ſit in pugna Salaminiaca, anni ſuperſunt 73. uſque ad initium regni Artaxerxis Mnemonis, inter quod temporis ſpatium filius Artabazis & Rhodobates regnârunt, ſed quot ille annis, quotque hic, ſeorſim quiſque ſumtus, regnaverint, è ſpiſſis tenebris eruere nobis non licet.

De Rhodobate nihil habetur, niſi quòd Diogenes Laërtius, qui ſub Antonino Pio degebat, refert *lib.* 3. *pag.* 76. ex primo Commentariorum Phavorini, qui ſub Hadriano ſcripſit, Mithridatem Perſem Rhodoba-

tis filium fuiſſe. Rhodobatis autem nomen in ullo alio Scriptore nuſquam occurrit; quod tamen optandum eſſet & de Rhodobatis patre, cujus utinam nomen à quodam Autore recitaretur, ut omnium Ponti Regum nomina ſaltem edoceremur, ſi eorum geſta ignoramus.

# MITHRIDATES IV.

QUIN Mitridates fuerit Rhodobatis filius non dubitare ſinit ſequens Diogenis Laërtii locus, *lib.* 3. *pag.* 76. Μιθριδάτης ὁ Ῥοδοβάτου ὁ Πέρσης. Nec Regis, nec Satrapæ titulum ſibi aſſumit, eò quòd Perſarum Monarchæ ſubditus eſſet, ſed ſe ſolummodò *Perſen*, quaſi ejus dignitas hoc verbo contineretur, nominat: nam ſolo Regis nomine Perſarum Reges à Demoſthene, aliiſque Scriptoribus Græcis deſignari ſæpè obſervantur. Verùm poſteaquàm ii Principes Regis titulum uſurpaſſent, Perſarum Monarchæ, ſe Reges Regum nuncupârunt, quæ appellatio Perſarum linguâ SAANSAAN dicta eſt.

Nec minus primis Ponti Regum temporibus eorum Principatus, vocabatur Pontus, verùm hæc regio adhuc Cappadocia nuncupata erat, ut videre eſt apud Xenophontem ita ſcribentem. Præerant autem hi ditioni Regiæ, quam nos ingreſſi peragravimus; Lydiæ, Artimas: Phrygiæ, Artacamas: Lycaoniæ & Cappadociæ, Mithridates: Ciliciæ, Syenneſis &c. *de Exp. Cyri lib.* 7. *pag.* 427. Xenophon hic Syenneſin vocat Ciliciæ Præfectum, quem anteà Ciliciæ Regem nominavit lib. 1. pag. 24. *Interim Epyanaxa Syenneſis Cilicum Regis uxor.* Sic Mithridates, licet dicatur ſuprà Præfectus, tamen Ponti Rex erat.

Mithridatem Ponticum conſpiraſſe cum Cyro juniore contra Artaxerxem Mnemona Perſarum Regem ex eodem Xenophonte diſcimus; hæc enim de illo refert. At illi toto cum agmine non venerunt, ſed tantùm

Ariæus, & Artaozus, & Mithridates, qui Cyro fide maximâ conjuncti fuerant. *lib.* 2. *pag.* 288.

Darius Nothus duos habebat filios, Arſacem primogenitum & Cyrum, cui etiamſi 20. tantùm annos nato, Ioniæ Præfectura fuerat à patre conceſſa; eo mortuo, cùm Arſaces, dictus poſteà Artaxerxes, regnum adeptus eſſet, Cyrus multum indignatus fratri, quòd ſe illi prælatum iri ſperaverat, regnandi cupiditate ardens, illi bellum intulit, ducens ſecum Barbarorum decem Myriadas, & Græcorum tredecim millia, quibus ſe adjunxit Mithridates Ponticus; hocque evenit Olymp. 95. anno 4. imperii Artaxerxis Mnemonis.

Cùm jam Græcorum operâ penè victor evaſiſſet, fortiter ſed incautè dimicans, eſt interemptus. Tunc Mithridates Artaxerxi per Tiſſaphernem hujus Ducem reconciliatus eſt, eum apud Principem forſan excuſantem, quòd invitus Cyrum ſecutus eſſet, cùm per Lycaoniam juris ſui agrum Græcis diripiendum conceſſiſſet, & ſolus cum miniſtris veniſſet. *Xenoph. lib.* 1. *pag.* 248.

Mithridates, ut Regis & Tiſſaphernis gratiam ſibi conciliaret, poſt Clearchi præcipui Ducis Cyri mortem, Græcos auxiliarios ad Regis partes trahere conatus, cum equitibus triginta circiter venit ad eos, ac Ducibus in locum undè poſſet exaudiri, vocatis, hæc ait. "Equidem Cyro, Græci, quemadmodum vobis conſtat, fidelis fui, & vobis nunc, optimi, volo, adeòque hîc magno cum metu verſor. Itaque ſi quid vos conſilii ſalutaris habere videro, ad vos me cum miniſtris omnibus conferam. Quare quid vobis animi

„ ſit, mihi & amico, & veſtri ſtudioſo & vobiſcum
„ proficiſcendi cupido exponite. *Xenoph. lib.* 3. *pag.* 305.
„ Duces, re deliberatâ, ſtatuerunt reſpondendum eſſe
„ verbis Cheriſophi: Decrevimus per hanc regionem,
„ quam pacatiſſimè domum iter facere, ſi per alios liceat,
„ ſin quis iter impediat, eum pro viribus fortiter bello
„ petemus. Tùm verò Mithridates oſtendere nitebatur,
„ nullam invito Rege ſalutis iniri poſſe rationem: deque
„ hoc intellectum eſt fidem ei non habendam. Nam
„ & Tiſſàpherni familiaris quidam fidei causâ Mithri-
„ dati aderat. *Id. ibid.*

Proindè viſum eſt Ducibus, nihil ſtatui meliùs poſſe, quàm ſi quandiu ſint in hoſtico, bellum præconibus nullis intervenientibus gererent. Nam illi accedendo militum animos corrumpebant, atque inter alios Nicarchum Arcadem cohortis Præfectum, qui noctu cum 20. hominibus diſceſſit. Poſt hæc pranſii, Zathen fluvium trajiciunt, & inſtructi pergunt, jumentis ac turbâ inermi in medium recepta. *Ibid. pàg.* 306.

Non longè progreſſi cum eſſent, prodit iterum Mithridates, hic in conſpectum cum 200. equitibus, ſagittariis & funditoribus agilibus & expeditis admodùm 400. ſimulans ſe Græcis amicum accedere, cùm propius abeſſet, & ſubitò equites ipſorum, & pedites partim emittebant tela, partim fundis noſtros vulnerabant. Tùm verò viſum eſt, perſequendum eſſe hoſtem. *Id. ibid.*

Poſtridie cùm Græci vallem quandam tranſiiſſent, offert illis in conſpectum ſe rursùs Mithridates cum 500. equitibus, ſagittariis & funditoribus 4000. Tot enim

enim à Tiſſapherne petierat & impetrârat, quippe- "
qui pollicitus fuerat ſe, ſi tantas ſibi copias daret, in "
ejus poteſtatem Græcos traditurum. Etenim jam ipſi "
contemptui erant, quòd priore incurſu paucis inſtruc- "
tus, nihil detrimenti accepiſſet, ac graviter ſe læſiſſe "
*Græcos* arbitraretur. *Id. ibid. pag.* 308. "

Cùm ergo illi tranſitâ valle, ſtadia circiter 8. ab "
ea diſtarent: etiam Mithridates ſuis cum copiis tran "
ſit. Erat enim præceptum Græcis, quinam perſequi "
hoſtem cetrati deberent, quique gravis armaturæ mi- "
lites; & mandatum equitibus, ut fidenter in eos pro- "
veherentur: quippè ſecuturas ſatis magnas copias. "
*Id. ibid.* "

Jam Mithridates Græcos adſecutus erat, ac fundæ cum telis ad hoſtem pertingebant, cùm ſignum Græcis tubâ datum eſt: itaque mox in hoſtem illi curſu feruntur, quibus hoc mandatum erat, equitibus etiam in adverſos ſe fundentibus. Illi verò impetum haud ſuſtinebant, ſed ad vallem ſe recipiebant fugâ. Multos hac in perſecutione Perſæ pedites amiſerunt, equites in valle vivi capti ſunt ad 18. Cæſos Græci neminis juſſu, ſed ſponte ſuâ fœdè lacerarunt, ut majori cum terrore ab hoſtibus ſpectarentur; deindè Græci ſecurè ad amnem Tigrim pervenerunt. *Id. ibid.*

Mithridates in Pontum reverſus eſt Mnemonis benignitate, Perſarum enim Monarchæ mites erant; teſte Herodoto, qui illos Regum filios in honore habere narrat, ac ſi parentes fortè defeciſſent, his tamen principatus reſtituere. Nihil aliud quàm quod Regem pace fruentem decet, egit; illum verò Philoſophiæ Platonis operam plurimùm dediſſe nos docet

Phavorinus apud Diogenem Laertium, qui Mithridatem Platonis Statuam locaſſe ita inſcriptam tradit.

MITHRIDATES RHODOBATIS FILIUS,
PERSES
MUSIS IMAGINEM PLATONIS
DICAVIT.
SILANIONIS OPUS.

Academia, locus erat nemoroſus, ab Ahenis mille paſſus diſtans, ubi verſatus eſt Plato, & Philoſophiam magnâ diſcipulorum frequentiâ profitebatur; at cùm ex illis quondam unus fuiſſet Mithridates, dum pace fruebatur, ibi Statuam hanc, Magiſtro adhuc vivente, poſuit, à celeberrimo illo Statuario Athenienſi Silanione elaboratam, de quo Plinius: in eo hoc mirabile fuit, quòd nullo doctore nobilis fuit. *Lib.* 34. 8.

Ariobarzanes Mithridatis filius, eâ jam ætate, quâ regere Provinciam poſſet, Phrygiæ Satrapiæ ab Artaxerxe Mnemone honoris causâ præficitur, ſicut patri ejus Mithridati Ionia fuerat jam conceſſa, de quo Xenophon.

Philiſcus Abydenus ab Ariobarzane Artaxerxis Satrapâ, in Græciam miſſus, Thebanos eorumque ſocios, & Lacedæmonios, pacis componendæ gratiâ, Delphos evocavit. Ubi Thebanis non ſinentibus, ut Meſſene Lacedæmoniorum eſſet in poteſtate, offenſus ille, milites bis mille ſelectiſſimos ſtipendio conductos Lacedemoniis relinquens, in Aſiam rediit. *Hellen. lib.* 7. *&* *Diodor. lib.* 15. *pag.* 494.

Clearchus Heracleota, qui fuerat etiam Platonis diſ-

cipulus, ab urbe in exilium pulſus eſt; at cùm plebs novas tabulas (quibus debitores ære alieno liberarentur) & agrorum ex æquo diviſionem impotenter flagitaret; optimates à Timotheo Athenienſium Duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere; utriſque negantibus, ad Clearchum exulem decurrunt. Tanta calamitatum neceſſitas fuit, ut cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriæ revocarent. *Juſtin. lib. 16. cap. 4.*

Sed Clearchus facinoroſior exilio redditus, & diſſenſionem populi occaſionem invadendæ tyrannidis exiſtimans, primò tacitus cum Mithridate, civium ſuorum hoſte, colloquitur; & initâ ſocietate paciſcitur, ut revocatus in patriam, preditâ ei urbe, præfectus ejus conſtitueretur. Poſteà autem inſidias quas civibus paraverat, in ipſum Mithridatem vertit. Namque cùm velut arbiter civilis diſcordiæ, de exilio reverſus eſſet, ſtatuto tempore, quo urbem Mithridati traderet, ipſum cum amicis ſuis cepit, captumque, acceptâ ingenti pecuniâ dimiſit, & ſic ſubitum ſe ex ſocio fecit hoſtem. *Id. ibid.*

Anno ſequenti mortuus eſt Olymp. 104. an. 2. poſtquàm regnaſſet circiter annos 38. filiumque Ariobarzanem principatûs ſucceſſorem reliquiſſet.

# ARIOBARZANES V.

ARIOBARZANES, Mithridatis filius, poſt ejus mortem, etſi jam Phrygiæ Satrapa, tamen Regno Ponti potitus eſt, anno regni Artaxerxis Mnemonis quadrageſimo primo. Lacedæmonii cum Artaxerxe, quòd Meſſenios communi Græcorum fœdere comprehendi mandaſſet, bellum habuerunt; tantâ in Perſas undique conſpiratióne excitatâ, etiam Rex ad bellum ſeſe inſtruebat. Nam eodem tempore cum Ægyptiorum Rege, & Græcis in Aſia urbibus, & Lacedæmoniis, horumque adjutoribus Satrapis & Ducibus, qui maritimas ſub imperio oras tenebant, ſimul belligerendum fuit. Nobiliſſimi inter hos erant Ariobarzanes, Phrygiæ Satrapes, qui Mithridatis *patris* demortui regno potitus erat, Mauſoluſque Princeps Cariæ: cum quibus Orontes Myſiæ, & Autophradates Lydiæ Præfectus, & de Ionium gente Lycii, Piſidæ, Pamphylii & Cilices, & præter hos, Syri, ac Phænices, cunctique ferè maris Aſiatici littora accolentes ſeſe conjunxerant. *Diodor. lib. 15. pag. 504. & 505.*

Qui in Aſia Regis jugum excuſſerant, totius belli adminiſtrationem Orontæ commiſerunt. Ille donis & ſtipendio manuum cumulatus, defectores Perſarum in manus tradere tentavit. Autophrates Lydiæ à ſociis defecit, Mauſoluſque tandem cum claſſe, quam abduxerat, ſe ſubduxit, atque ita ſolus Ariobarzanes Lacedæmoniorum ſocius bellum gerebat; jamque ſubitò Aſſum, Seſtum & Adramittium urbes ceperat, cùm Autophradates & Cotys Paphlagonum Prin-

cipes, terrâ marique copiis ingentibus inſtructis, in Ariobarzanem irruunt. Autophradates Adramittium undique oppugnat, cùmque Ariobarzanes res neceſſarias ac milites in urbem optaret inducere, & ab oppugnantibus tamen impediretur, mandatum dat Pteleunti, qui objectam inſulam cum præſidio tenebat, ut ſimularet ſe eam Autophradatæ proditurum; quâ fraude deceptus Autophradates, claſſem ad accipiendam inſulam mittit. Ariobarzanes intereà dum naves ad inſulam contendunt, eas prævertens, magnam commeatuum ac militum copiam in urbem importat. *Polyæn. Stratagem. lib. 7.*

Autophradates poſteà ad Aſſum Ariobarzanem obſedit: ſed ſuperveniente ad auxilium Ageſilao Lacedæmoniorum Rege, tantis impar viribus, fugâ indè diſceſſit. Cotys item, cùm Seſſum obſideret urbem Ariobarzanis, & ipſe ſolutâ obſidione diſceſſit. *Xenoph. Lib. de Ageſilao pag. 663.*

Autophradates, commiſſo cum Ageſilao ad Pac « torum fluvium prælio, fuit ſuperatus; ac paulò pòſt « Ageſilaüs in patriam reverſus eſt: cùm verò id Mem- « non accepit, Autophradates miſſus eſt à Rege ut « bello proſequeretur eos qui defecerant. Certè, ut ait « Cornelius Nepos, ejus operâ hoſtes cùm caſtra jam « intraſſent, profligati ſunt; exercituſque reliquus con- « ſervatus Regis eſt. Qua ex re majoribus rebus præ- « eſſe cœpit. Erat eo tempore Thyus Dinaſtes Paphla- « goniæ antiquo genere à Pilæmene illo quem Ho- « merus Troico bello à Patroclo interfectum ait. Is « Regi dicto audiens non erat; quam ob cauſam bello « eum proſequi conſtituit: eique rei præfecit Datamem «

„ propinquum Paphlagonis; namque ex fratre & ſo-
„ rore erant nati. Quam ob cauſam Datames omnia
„ primùm experiri voluit, ut ſine armis propinquum
„ ad officium reduceret. Ad quem cùm veniſſet ſine
„ præſidio, quòd ab amico nullas vereretur inſidias,
„ penè interiit. Nam Thyus eum clam interficere vo-
„ luit: ille fugâ periculum evitavit, bellumque indixit
„ Thyo. In quo cùm ab Ariobarzane Præfecto Lydiæ
„ & Ioniæ totiuſque Phrygiæ deſertus eſſet, nihilo
„ ſegniùs perſeveravit, vivumque Thyum cepit cum
„ uxore & liberis, quem ad Regem duxit. *Cornelius Ne-*
„ *pos in Vita Datamis cap.* 2.

Ægyptii defecerant, & Rex eorum Tachon Ageſilaum Lacedæmonium in auxilium vocaverat. A Mnemone autem qui exercitum comparabat adverſus eos, Datames ob captum Thyum in admiratione habitus, bello Ægyptiaco Imperator deſtinatur: ſed eam ob cauſam Aulicorum invidiam incurrit; de quo monitus, conſtituto Mandrode Magnete exercitûs Duce, ipſe in Cappadociam revertitur. *Id. ibid.*

Artaxerxes Mnemon Perſarum Rex obiit, cùm 43. annos imperium tenuiſſet, cui Ochus filius junior in regno ſuccedens, etam Artaxerxes appellatus eſt. *Diodor. lib.* 15. *pag.* 506.

Datames conjunctam Cappadociæ ſuæ Paphlagoniam Thyi detentione aut morte vacuam occupat, celans quâ voluntate eſſet in Regem, clàm cum Ariobarzane iniit amicitiam, manum comparat, urbes munitas ſuis tuendas tradit, ſed hæc propter hyemale tempus minùs proſperè ſuccedebant. *Corn. Nep. in Vit. Datam.*

Sinopem Paphlagoniæ urbem oppugnans Datames, cùm litteras accepiſſet à Rege *Ocho ſcilicet*, ut ab oppugnatione deſiſteret, lectam epiſtolam adoravit, & ſacrificia gratulatoria fecit, quaſi magnum ab Rege commodum accepiſſet, & nocte conſcensâ navi diſceſſit. *Polyæn. lib.* 6.

Cùm Diodorus dicat Datamem brevi poſt tempore Regem per inſidias interfeciſſe, diutiùs ei fuiſſe ſuperſtitem ex Æmilio Probo conſtat, qui obſcuriora Datamis geſta, pleraque libenter agnovit; ita Uſſerius cum iis quæ habentur explicata à Polyæno in hoc ſeptimo libro, ad Ochi Artaxerxis tempora eſſe referenda minimè dubitat, *lib.* 6. *pag.* 150. Quæ omnia in his Scriptoribus diſperſa in ordinem Chronologicum reducere ſumus conati; hæcque epiſtola, de qua loquitur Probus, cùm in Ægyptum ire pararet, nobis eadem eſſe videtur, quam coram Sinope recepit ex Polyæno.

A Rege litteræ ſunt ei miſſæ, ut Aſpim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat, quæ gens jacet ſupra Ciliciam confinis Cappadociæ. Namque Aſpis ſaltuoſam regionem caſtelliſque munitam incolens, non ſolùm imperio Regis non parebat, ſed etiam finitimas regiones vexabat; & quæ Regi portarentur, abripiebat. Datames etſi longè aberat ab his regionibus, & majore negotio abſtraheretur, tamen regiæ voluntati morem gerendum putavit. *Corn. Nep. in Vita Datam. cap.* 4.

Itaque cum paucis, ſed viribus fortibus, navem conſcendit, exiſtimans, id quod accidit, faciliùs ſe imprudentem & imparatum parvâ manu oppreſſurum,

quàm paratum quamvis magno exercitu. Hâc delatus in Ciliciam, egreſſus indè, dies noctesque iter faciens, Taurum tranſiit, eòque quò ſtuduerat venit. *Id. ibid.*

Quærit quibus locis ſit Aſpis, cognoſcit haud longè abeſſe, profectumque eum venatum. Interim Datamis adventu comperto, Piſidam cum iis quos ſecum habebat, ad reſiſtendum Aſpi comparat. Id Datames ubi audivit, arma capit, ſuos ſequi jubet, ipſe equo concitato ad hoſtem vehitur, quem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferentem pertimeſcit, atque à conatu reſiſtendi deterritus, ſeſe dedit. Hunc Datames vinctum ad Regem ducendum tradit Mithridati *Ariobarzanis filio.* Id. ibid.

Quomodo Mithridati Aſpim dediſſet, ſi ex Ace Phæniciæ urbe, ubi dicunt illum navim conſcendiſſe, ſed ut Datames cum Ariobarzane Mithridatis patre, clàm, ut dictum eſt, amicitiam inierat, filium ut virum fortem & amicum ex Sinope ſecum abduxerat. Huic, ut fidebat, Aſpim tradidit ad Regem ducendum. Hinc Piſidæ ob raptum ſic Aſpim ipſorum ſocium bellum Datami inferre conſtituerunt, eventum ſic deſcribit Cornelius Nepos.

Audit Piſidas Datames, quaſdam copias adversùs ſe parare: filiumque eò Arſidæum cum exercitu mittit. Cadit in prælio adoleſcens, proficiſcitur eò pater cum Mithrobarxane ſocero; & quamquam hic ad hoſtes transfugiſſet, proditores & Piſidas profligavit. A patre tamen Schiſmas maximus natu filius deſcivit, atque adtranſiit, & de defectione patris detulit. *Idem ibidem cap.* 6

Quo

Quo nuntio Artaxerxes commotus, quòd intelligebat ſibi cum viro forti ac ſtrenuo negotium eſſe, Autophradatem in Cappadociam mittit. Datames autem inferior copiis, ſuperior tamen omnibus prælii diſcedebat. Autophradates cùm bellum duci majore Regis calamitate, quàm adverſariorum videret, ad pacem atque amicitiam hortatus eſt, ut cum Rege in gratiam rediret. Quam ille etſi non fidam fore putabat, tamen conditionem accepit, ſeque ad Artaxerxem *Ochum* Legatos miſſurum dixit. Sic bellum, quòd Rex adversùs Datamen ſuſceperat, ſedatum: Autophradates in Phrygiam ſe recepit. *Id. Ibid. cap.* 8.

At Rex, quod implacabile odium in Datamen ſuſceperat, poſtquam bello eum opprimi non poſſe animadvertit, inſidiis interficere ſtuduit, quas ille pleraſque vitavit. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus eſt Mithridatis Ariobarzanis filii dolo. *Idem ibidem cap. 9. & 10.*

Mithridates ad Ochi aulam pervenerat. Illi Rex præcepit ut Datamen occideret, aut ſaltem vivum ſibi adduceret: is pollicitus eſt Regi ſe eum interfecturum, ſi ei Rex promitteret ut quodcunque vellet, liceret impunè facere, fidemque de ea re more Perſarum dextrâ dediſſet. Hanc ut accepit, *redux* ſimulat ſe ſuſcepiſſe cum Rege inimicitiam, ſeque defecturum à Regè Datami dixit. Hic ejus verbis credere noluit, niſi priùs magnum damnum Regis ditioni intuliſſet. *Corn. Nep. ibid. cap.* 10. *& Polyæn.*

Mithridates ergo permiſſu Ariobarzanis, qui ſenex admodùm erat, copias parat, Regis Provinciam vexat, caſtella expugnat, & ſolo adæquat, vicos incen-

dit, ingentem aufert prædam, hujuſque partem ſuis diſperſit, partem ad Datamen, *tanquam ad ſocium* mittit, denique complura caſtella ei tradit. Hæc diù faciendo, perſuaſit homini, ſe infinitum adversùs Regem ſuſcepiſſe bellum, cùm nihilò magis, ne quam ſuſpicionem illi præberet inſidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conſpectum venire ſtuduit; ſic abſens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, ſed odio communi, quod erga Regem ſuſceperant, contineri viderentur. *Id. ibid. cap.* 10.

Id cùm ſatis ſe confirmaſſe arbitratus eſt, certiorem facit Datamen, tempus eſſe majores exercitus parari, & bellum cum Rege ſuſcipi; de qua re ſi ei videretur, quò vellet, in colloquium veniret. Probatâ re, colloquendi tempus ſumitur, locuſque quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribuſque locis ſeparatim gladios obruit, eâque loca diligenter notat. *Corn. Nep. ibid. cap.* 11.

Ipſo autem colloquendi die utrique locum, qui explorarent, atque ipſos ſcrutarentur, mittunt: deindè ipſi ſunt congreſſi. Hîc cùm aliquandiu in colloquio fuiſſent, & diverſi diſceſſiſſent, jamque procul Datames abeſſet, Mithridates, priuſquàm ad ſuos perveniret; ne quam ſuſpicionem pararet, in eundem locum Rex vertitur; atque ibi, ubi telum erat poſitum, reſedit, ut ſi à laſſitudine cuperet acquieſcere: Datamenque revocavit, ſimulans ſe quiddam in colloquio oblitum; interim telum quod latebat, protulit, nudatumque vaginâ, veſte texit: at Datami venienti ait, digredientem ſe animadvertiſſe locum quendam, qui

in conſpectu erat, ad caſtra ponenda eſſe idoneum. Quem cùm digito monſtraret, & ille conſpiceret, averſum ferro transfixit, priùsque quàm quiſquam poſſet ſuccurrere, interfecit. *Id. ibid. cap.* 11.

Mithridates confugiens, reverſus evenit in Paphlagonia, in quandam civitatem, ut longo itinere perſequentes hoſtes anteverteret, quotquot in ædibus reperiebat utenſilia, vaſaque in publico vaſis collocavit, & ſub noctem ipſe fugam capeſſit, perſequentes cùm in urbem irruiſſent, vaſa in medio poſita conſpicati ad rapinam convertebantur. Ducibus autem perſequi jubentibus,gerere noluerunt, non commodum eſſe rati, manifeſtam utilitatem ex manibus dimittere. Mithridates intereà temporis magnâ viâ confectâ evaſit. *Polyæn. lib.* 7.

Ariobarzanes tunc temporis tranquillè & quietè in Ponto regnaſſe videtur, ſiquidem narrat Athenæus illum invitaſſe ad cœnam Aſtydamam Mileſium ter in Olympiis victorem. Ille eò profectus, ſeſe voraturum omnia pollicitus eſt, quæ cunctis eſſent præparata, & id præſtitit. Rogante verò Persâ, ſuis viribus dignum ut aliquid faceret, lecti vinculum prorsùs æneum mollivit ac fregit; eum, quæ novem convivis apud Ariobarzanem parata fuerant, ſolum abliguriiſſe fama percrebuit. *lib.* 10. *cap.* 2.

Artaxerxes Ochus Perſarum Rex, poſtquàm regnaſſet 23. annis, mortuus eſt: Bagoæ Eunuchi artibus, medici ad hoc operâ uſi qui Regem cùm eſſet Ægyptius, ob cæſum Apim odio proſequebantur, & in locum demortui Principis filium ejus Arſem ſeu Arſamenem natu minimum Regem conſtituit, inter-

fectis omnibus aliis fratribus. *Diodor. lib. 16. pag. 564.*

Anno ſequenti Ariobarzanes defunctus eſt, poſtquàm regnaſſet 26. annos; apud Diodorum.

Cui ſucceſſit filius Mithridates II. de quo hæc refert Xenophon. Nunc ſi quis perindè ac Mithridates, patre Ariobarzane prodito, Regi quod expediat facere, hi verò ſunt, qui maximis honoribus ornantur. *De Inſtit Cyri lib. 8. pag. 239.*

# MITHRIDATES VI.

MITHRIDATES nomine II^us, poſt Ariobarzanis patris mortem, Ponti Regnum obtinuit Olympiadis 110^æ. anno 4°. dum Arſes *Axtaxerxis* Ochi filius Perſis anno 4°. imperabat, cui, ut prædeceſſores Reges, tributum pendebat. Philippus Macedoniæ tunc præerat ab anno 24. & ultimo hujus Olympiadis.

Arſes ſeu Arſames, Bagoæ Eunuchi inſidiis, eâdem quâ parens Ochus ratione, tertio Imperii anno ſublatus eſt, & Darius Codamannus ad Perſarum Imperium à Bagoâ promovetur. Eodem anno in Macedoniâ Alexander, qui poſteà dictus eſt *Magnus*, Philippo patri ſucceſſit. Hic cùm de bello Perſico conſultaſſet, primo vere anni regni ſui tertii, ex Europa in Aſiam copias trajecit per Helleſpontum; & prælio ad Granicum Darii exercitum profligavit, totamque Aſiam, minorem ſcilicet, ſubjugavit.

Mithridates victori regnum ſubjecit, ut & plurimi in hoc tractu Reges; Alexandrumque Magnum in expeditionibus ſuis comitatus eſt, ac poſt illius mortem Antigono uni ex Ducibus ejus adhæſit, illumque in bello ſecutus eſt contra Eumenem, quem Olymp. 116. comprehenſum Argyraſpides, vinctumque Antigono tradiderunt, qui poſt Pythonis etiam mortem, Aſiæ dominus extitit. Jamque ex Babylone in Phæniciam redierat Antigonus cum Mithridate, de quo hanc narrat hiſtoriam. *Plutarchus in Demetrio pag.* 890.

Mithridates Ariobarzanis, amicus erat Demetrii,

& propter ætatem familiaris. Hic in comitatu Antigoni erat, nec erat, vel habebatur improbus: verùm ex ſomnio quopiam venit Antigono in ſuſpicionem. Viſus eſt ſibi Antigonus amplum & pulchrum campum inire, atque eum auri ramentis conſerere: ex eo primùm exſurgere aurea meſſis; mox regreſſus nihil niſi demeſſum culmum videre. Cùm anxio & mœſto animo eſſet, audiviſſe quoſdam dicentes, Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, aſportantem auream meſſem deſectam. *Plutarch. in Demetr. pag.* 890.

Hinc trepidans Antigonus, filio jurejurando adacto taciturum viſum aperuit, ac ſe prorsùs de medio tollere eum & interficere ſtatuiſſe. Quod ut audivit Demetrius, oppido fuit ei acerbum, adoleſcentique cum more ſuo ipſum adiſſet, ut otium ſecum falleret, verbum facere aut voce id detegere jurisjurandi religione dubitavit; ſed abduxit eum paulatim ab amicis, atque ubi ſoli ſine arbitris fuerunt, hoſtili in ſolo inſpiciente illo deſcripſit: FUGE MITHRIDATE. *Id. ibid.* De quo ille monitus, ſex equitibus aufugit comitatus. *Appian. pag.* 176. In Ciniſtenam Ponti partem, in qua Ciniata caſtellum munitum, Olgaſſys montanis ſubjectum: quâ arce belli uſus Mithridates is, qui *Ctiſtes*, id eſt, *Conditor*, uſurpatus fuit, Ponti dominus eſt factus. *Strab. lib.* 12. *pag.* 562.

Communito, inquit Appianus, quodam vico in Cappadocia, multis ad eum, dum Macedones attendunt alia negotia, dejicientibus, & Cappadociam ipſam, & finitimas gentes Ponticas obtinuit. *Appian. pag.* 176.

Caſſander, dum Antigonus in ſuperiores Provin-

cias contrà Eumenem profectus erat, ſibi Aſiam minorem vindicabat, quem ut reprimeret Antigonus, è Phœnicia in eam tranſivit; & cùm mole belli gravaretur Caſſander, cum Ptolemæo, Seleuco & Lyſimacho ſocietatem contra Antigonum inivit. Dum verò per plures annos bello continuo unà omnes diſtinentur, Mithridates Regnum ſuum Ponti recuperat.

Demetrius autem Mithridatis amicus Antigono patri perſuaſiſſe videtur, ut regnum paternum illi non invideret: cui procul dubio conſenſit Antigonus, ut ex Hiſtoria & ex nummis colligitur. Id accidiſſe anno tertio Olympiadis 118. & V. C. 448. demonſtrat Epocha, quam à Regno fundato, ejus ſucceſſores Reges in Numiſmatis dinumerarunt; ideò *Ctiſtes* à Strabone appellatus eſt Mithridates, cùm præſertim tributum à ſuis prædeceſſoribus ſolutum aboleverit.

In amicitiam Antigoni redingratum fuiſſe Mithridatem, ſatis demonſtrant Diodori verba in Olymp. 119. an. 3. Sub hæc tempora, inquit Mithridates Imperio Antigoni ſubditus, cùm in Caſſandri partes tranſiiſſe putaretur, ad Cium Myſiæ, cujus ut & Arhinæ, *an potiùs Myrinæ?* 35. annos Princeps fuerat, interfectus eſt. *lib.* 20. *pag.* 791.

Si Mithridates in Antigoni gratiam non rediiſſet, ab illo longè ſemper ſtetiſſet, nec unquam ei confidiſſet. Attamen Antigonus ſomnii memor ſemper, illius virtutem extimeſcebat, quare eum occidit inopinantem, cùm jam recuperaſſet Cium urbem Phrygiæ, & Myrinam urbem Æolidis, quas Reges Ponti ſui anteceſſores poſſederant.

Mithridatem regnaſſe 36. annos ſcribit Diodorus,

ut ſuprà jam indicavimus. At cùm illius regni initium Diodorus ipſe aſſignet poſt patris Ariobarzanis mortem anno 4. Olympiadis 110. *lib.* 16. *pag.* 557. Effluxerunt ab illo tempore novem integræ Olympiades ex quatuor ſingulæ annis compoſitæ, quæ integros triginta annos conficiunt.

Mihi interea movet ſcrupulum Lucianus, qui in Μακροβίοις ex Hieronymo Cardiano & aliis Scriptoribus, refert ad annum uſque octogeſimum-quartum eum vixiſſe. Plutarchus *in Demetrio* & Memnon cap. 37. qui eum adoleſcentem nominant Olympiadis 116. anno 2. cùm tantùm ab hoc tempore annos octodecim vixerit.

Nobis examinandum ſupereſt quòd Plutarchus refert ab hoc Mithridate fundatore octavâ ſucceſſione proveniſſe Mithridatem Eupatorem Ponti Regni ultimum, his verbis *in Demetrio.* Καὶ τὸ τῶν Ποντικῶν Βασιλέων γένος ογδόη πȣ διαδοχῇ Παυσάμενον ὑπὸ Ρωμαίων ἐκεῖνος παρέσχε. *Regumque Ponti ille ſtirpem quæ octavâ fermè ſucceſſione à Populo Romano eſt deleta, edidit.* Cùm tantùm illa haud dubiè *ſexta* fuerit, in hoc Plutarchi codice videtur reponendum pro ὀγδόῃ, ἕκτῃ.

Eundem Plutarchi vitioſi codicis errorem ſecuti ſunt, qui in Appiano de Mithridate libro pag. 249. ſcripſerunt, ὄγδοος δ᾽ ἀπὸ Μιθριδάτου, τȣ̃ Μακεδόνων ἀποςάντος τε, καὶ κτησαμένȣ τὴν ποντικὴν ἀρχήν. *Octavus à Mithridate illo, qui primus, deſertis Macedonibus, Pontici Regni fuit conditor.* Quòd verus & ſanus Appiani anteà locus de ſexta ſucceſſione illa priùs affirmaverat his vocibus: Οἱ δὲ ἦρχον ἕτερος μεθ᾽ ἕτερον, ἕως τὸν ἕκτον ἀπὸ τȣ̃ πρώτȣ Μιθριδάτου, ὃς Ρωμαίοις ἐπολέμησε. *Illi autem regnârunt,*

*alius*

*alius poſt alium, uſque ad ſextum, à primo Mithridate, qui cum Romanis bellum geſſit:* ut per genuinam horum Regum Hiſtoriam confirmabimus.

Illi autem Plutarchi & Appiani codices corrupti in errorem induxerunt Reinerum Reineccium, qui libellum de familia Regum Ponticorum ex ſtirpe Achæmenidarum edidit Lipſiæ anno 1570. Ut enim octo Regum numerum adimpleret poſt Mithridatem III. novum inauditumque Mithridatem IV. cum ejus filio ſucceſſore anonymo ſubſtituit; porrò cum ea de Plutarcho & Appiano nota. Neutrum, *inquit*, ex his Scriptores nominant; ſed familiæ gradus hoſce cum aliqua alterius ex ipſis nominis ſignificatione, conſervavere nobis Plutarchus & Appianus. *Reineccius de Regno Pontico pag.* 210.

Hieronymus Henninges hanc Reineccii de octo Regibus à Mithridate II. uſque ad Eupatorem ſententiam ſecutus anno 1598. pro anonymo filio eum pro libito, *Pharnacem* appellavit, ſed quo jure & quo autore?

Mithridates namque II. filium ſibi cognominem reliquit, de quo mox dicturi ſumus.

# MITHRIDATES VII.

MITRIDATES III. patri Mithridati II. in Ponti Regno ſucceſſit; ex Diodoro *lib.* 20. *pag.* 791. Olympiadis 119. an. 3. Seleucidarum 11. & V. C. 453. Anno verò ſequente Antigonus, qui parentem ejus occidere juſſerat, ipſe in prælio ad ipſum Phrygiæ contra Ptolemæum, Seleucum, Lyſimachum & Caſſandrum Reges commiſſo interfectus eſt: totumque illius Imperium Principes illi diſcerpſerunt.

Licet verò de prædæ inter eos diviſione non omnino conſtet, Caſſandro & Lyſimacho Europa videtur relicta, ita ut in Aſia Minore nihil ſibi arrogarent. Porro Lyſimachus poſt Geticum bellum claſſe in Aſiam trajiciens, urbes, quæ Antigono & Demetrio parebant, occupavit. *Plut. in Demetr. pag.* 902. Imò & Amaſtrim Oxathris filiam, quam uxorem duxerat & dimiſerat, cùm Dionyſium Heracleæ Ponti Tyrannum, qui ei nupſerat, mortuus eſſet, vindicavit, & parricidas filios Heracleæ occidit.

Tantâ potentiâ præditus tamque metuendus regulis erat Lyſimachus, ut Cium urbem quam poſſidebat Mithridates Fundator, Mithridati III. eripuerat, quietuſque diu retineret. Poſteà, cùm Seleucus & Lyſimachus ultimi Alexandri M. Commilitones, ſoli eſſent ſuperſtites, in Phrygia, quæ Helleſponto adjacet, apud Compediam *ex Porphyrio,* certamen inter ſe iniiſſent; Lyſimacho victo atque occiſo, Seleucus Myrinam ad Mithridatem ſpectantem Lemniis reddidit, qui eam vindicabant.

Lemnii, ut gratiam Seleuco referrent, quòd eos non ſolùm à duro & acerbo Lyſimachi dominatu liberaſſet; verùm etiam oppidum utrumque ſuum, Myrinam ſcilicet & Kephæſtiada reddidiſſet, templa Seleuco extruxerunt, & poculum, quod libandi causâ affundebant, dum ad epulas convenirent, Seleuci Servatoris appellârunt. *Athenæus lib. 6. cap. 16.*

Heraclienſes Ponti, audito Lyſimachi interitu, qui Heraclitum illis præfecerat, illum captum in cuſtodia detinuerunt; & miſſa ad Seleucum legatione, Phocritum civitatis curatorem fecerunt. *Memn. cap.* 10.

Interea Seleucus Aphrodiſium in urbes Phrygiæ, ut & in eas, quæ adjacent Ponto, Procuratorem miſit. Hic rebus, quarum causâ venerat, confectis, poſt reditum, in aliarum quidem civitatum laude prolixus erat, Heraclienſes autem criminabatur ut Seleuco parùm addictos. Seleucus ergo hoc irritatus Legatos ad ſe profectos faſtidivit, & minis increpans terruit; quorum tamen unus Chameleon nihil his percuſus, ita Regem appellavit: Hercules κάρρων, *Seleuce* (κάρρων autem Dorienſibus eum ſignificat qui eſt *fortior*); quam vocem cùm Rex non intelligeret, concepta in ira perſiſtens, ſe avertit. Legatis igitur, neque domum redire, neque illic manere, operæ pretium videbatur. Quæ cùm Heraclienſibus nuntiarentur, tùm cæteris ſe munierunt, tùm copias auxiliares collegerunt, & per Legatos Mithridatem Ponti Regem, & Byzantinos & Chalcedonios de ope ferendâ ſollicitârunt. *Memn. cap.* 12.

Seleuco mortuo Olympiadis 124. an. 2. V. C. 471. Antiochus Soter ejus filius ei ſucceſſit. Is cùm ob cædem Patrocli Præfecti ſui à Rege Bithyniæ, Rex

eorum Nicomedes per Legatos ſubſidium ab Heraclienſibus petit & impetrat: gratiam ſe relaturum, ubi in ſimili neceſſitate tempus flagitet, pollicitus. Hac Reges occaſione Cierum & Cium, & Thinidem terram, multis expenſis ad ſe reduxerunt. Amaſtrim interea urbem (quæ & ipſa cum aliis adempta fuerat) tam bello quàm pretio recuperare dum percupiunt, ſucceſſu carent felicè: propterea quòd illam tenebat Eumenes, qui Ariobarzani, Mithridatis filio, gratis eam tradere, quàm pecuniâ revendere Heraclienſibus mallet, veſaniâ iræ ſubactus. *Id. cap.* 17.

Memnon *Ariobarzanem* appellat, quem ex Diodoro *Mithridatem* appellare debuiſſet, nam alius fuit in Ponti Regum ſerie, alius Ariobarzanes, qui Mithridatis I. filius fuit. Atque eum paulò antè appellat etiam Mithridatem. Itaque ex vitioſis codicibus, hoc nomen intruſum fuiſſe arbitramur, ſi Diodoro fidem habeamus; quòd ex illius regni tempore & ſpatio confirmatur.

Cùm Ariarathes IV. Cappadociæ Rex filium Ariarathem ex Memnone, admodùm puerum reliquiſſet. *cap.* 51. Mithridates hâc uſus occaſione videtur, ut regni fines in Cappadociam propagaret. De quo Diodorus hæc ſcribit. Principatum *Ponti* filius Mithridates excepit, & magnâ ditionis parte auctus Cappadociam & Paphlagoniam gubernavit. *lib.* 20. *pag.* 791. quod de illorum regnorum tantùm parte intelligendum eſt: eaque invaſio poſteris æmulationis & contentionum perpetuarum cum vicinis hiſce regnis cauſam dedit.

Mithridates III. poſtquàm regnaſſet annos 36. ut nobis indicat Diodorus lib. 20. ſuprà citato, mortuus

eſt, relicto filio ejuſdem nominis Mithridate in puerili ætate. *Memn. Excerpt. cap.* 25. Olymp. 120. an. 3. Seleucidarum 47. V. C. 488.

# MITHRIDATES VIII.

MITHRIDATES ordine IV. ille eſt quem codices Memnonis haud dubiè corrupti *Ariobarzanis,* non Mithridatis III. filium nominant, de quo ſic habent. Nec longè pòſt è vitâ mortalium eximitur Ariobarzanes, *hoc eſt Mithridates,* filiumque relinquit Mithridatem. Cui ſententiæ adſtipulatur Simſonius, *Memn. cap.* 25. qui adhuc puer patri in Ponti Regno ſucceſſit anno regni in Syria Antiochi Soteris XVII.

Quemadmodum autem hujus pater Mithridates III. ætatis puerilis Ariarathis IV. occaſionem arripuerat, ut Cappadociæ illius regni fines ingrederetur, ad illos tractus ſibi ſubjiciendos; ſimili quoque ratione Galatæ, qui à duodecim circiter annis ſedes in Aſia quæſiverunt, & Ponto quidem proximas, pueritiæ Mithridatis IV. occaſionem arripuêre, ut in ejus ditionem irrumperent. De quo eventu Memnon. *ibidem* loquitur his verbis *lib.* 25.

*Cui, id eſt Mithridati,* lites cum Galatis intercеſsêre. Quam ob cauſam, hi contemptâ pueri ætate regnum ejus divexant: cùmque inopiâ rerum laborarent Regii, Heraclienſes eos ſuſtentant, frumento Amiſum advecto; undè facilior eſſet Mithridaticis victûs copia & egeſtatis medela. Propter hæc iterum hoſtiles in Heracleotarum copias mittunt, eamque depopulantur; uſque dum Heraclienſibus per Legatos mitigantur. Princeps autem Legatus erat Nyniphis Hiſtoriæ Scriptor; qui, cùm exercitum in commune aureis quingentis, Duceſque ſeorſùm ducentis deliniviſſet, ut à

finibus diſcederent, effecit. *Memn. lib.* 25.

Cæterùm iſta Heracleenſium à Mithridate defectio, illum poſteà contra eos implacabilem adeò reddidit, ut ipſorum urbem aliquando occupare tentaverit. At huic urbi maximè inhiabat Pruſias nomine primus, qui eam cepiſſet, niſi dum ſcalis ſurſum nitebatur, lapide cujuſpiam de propugnaculis icto crus fractum habuiſſet; undè poſteà *Claudus* eſt cognominatus. *Id. lib.* 29.

Antiocho Soteri mortuo in Syria, ſucceſſit ejus filius Antiochus cognomine *Deus*, poſt cujus obitum & annos regni 15. Seleucus Callinicus, cujus filiam in uxorem habuiſſe nos edocet Juſtinus, imperavit, eique pro dote Mithridati Eupatoris proavo Phrygiam Majorem ſeſe conceſſiſſe affirmat ipſe in concione quam ad milites habuit, his verbis. Nam bellum equidem jam tunc ſecum ab illis geri cœptum; cùm ſibi pupillo Majorem Phrygiam ademerint, quam patri ſuo præmium dati adversùs Ariſtonicum auxilii conceſſerant, gentemque, quam & proavo ſuo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dediſſet.. *lib.* 38. *cap.* 5.

Sed cùm filiæ Seleuci Callinici nomen reticuerit Juſtinus, liceat mihi ad Hiſtoriam illuſtrandam, illius appellationem indagare. *Laodice*, nomen eſt apud Seleucidas ſæpiùs uſurpatum, namque & Seleuci Nicatoris mater, erat *Laodice*. Antiochus Soter ejus filius, *Laodicen* habuit filiam fratri Antiocho Deo nuptam. Auguror ſanè hujus Regis filium Seleucum Callinicum habuiſſe filiam nomine *Laodicen*, Mithridati noſtro in uxorem datam, cùm ipſe Mithridates duas filias habuerit, *Laodicen majorem* Antiocho Magno; & *mino-*

*rem* Achæo Regibus in uxores conceſſas, ut infrà videbimus.

Antiochus Magnus, Seleuci Callinici filius junior, anno Seleucidarum 90. cùm Seleuco Ceranno poſt annum regni tertium mortuo ſucceſſiſſet, ad Mithridatem IV. cognatum ſuum Ponti Regem, Legatos miſit, ut ipſius filiam & neptem in uxores depoſcerent. Ipſorum petitioni Rex libenter aſſenſit, & *Laodicen* majorem filiam Legatis commiſit, an. Seleucidarum 92. ut narrat Polybius. *lib.* 5. *pag.* 388.

Inter hæc dum Antiochus Seleuciæ ad Zeugma agebat, Seleuciam advenit Diognetus Navarchus Dux claſſis, è Cappadocia ad Euxinum, *Laodicen* Mithridatis Regis filiam ducens, virginem matrimonio Antiochi deſtinatam. Rex, quanto par erat comitatu, obviam progrediente, cum ingenti clientûm turba, virginem excipit, ac ſtatim magnificè regioque apparatu omnium rerum nuptias celebrat. Peractis nuptiarum ſolemnibus, Rex Antiochiam venit, ibique Laodicen ſalutari Reginam jubet. *Id. ibid.*

Paulò pòſt nempè Seleucidarum anno 93. Mithridates bellum Sinopenſibus indixit: cœperuntque ejus calamitatis, quam ad extremum ſunt experti, quaſi fundamenta jaci, & occaſiones naſci. Cùm autem de auxilio ad hoc bellum Legatos ad Rhodiorum populum miſiſſent, tres viri conſtituti ſunt à Rhodiis, quibus centum quadraginta drachmarum millia attribuerunt, ut ex ea ſumma Sinopenſibus neceſſaria pararent. Igitur tres viri doliorum vini decem millia comparaverunt: capilli præparati ſexaginta pondo ſupra trecenta: nervorum præparatorum centum viginti

pondo

pondo: armaturas mille, aureorum ſignatorum tria millia: ad hæc catapeltas quæ lapides mitterent quatuor, & viros ſimul, qui his rectè uti ſcirent; quibus rebus omnibus acceptis, Legati Sinopenſium domum redierunt. *Id. lib.* 4. *pag.* 321.

Sinopenſes in metu, ne terra marique obſidere ipſos Mithridates aggrederetur, propterea apparatus omnes ſuos ad illum metum referebant. Navigantibus ad Phaſim occurrit ad dextram Sinope, in peninſula quadam ſita, quæ longè in mare prominet. Hujus peninſulæ fauces (eæ duo non amplius patent ſtadia) quibus Aſiæ conjungitur, urbs iſta poſita in medio, planè interſepit; reliqua peninſulæ pars inaltum procurrit, ubique plana, & ex qua facillimè in urbem fieri impetus queat, extrema tantùm ad mare ab omni parte prærupta loca ſunt, ad quæ difficillimè navis poſſit appellere: adituſque omninò paucos habet. *Id. ibid.*

Itaque metuentes Sinopenſes, ne Mithridates diſpoſitis ab ea parte, quæ Aſiam ſpectat tormentis, ſimiliterque ab altera terræ parte è regione hujus, expoſito è navibus milite in loca plana & ea quæ urbi imminent, oppugnationem illius tentaret: ambitum peninſulæ, quâ mari cingitur, munire inſtituerunt: omneſque aditus ab ea parte ſudibus ac vallis præcludere inſtiterunt: pariterque ob eundem metum tela etiam & præſidia in locis omnibus opportunis collocârunt. Eſt verò peninſulæ hujus univerſæ ſpatium haud adeò magnum, & modico præſidio facilè defendi ipſa poteſt. *Id. ibid.*

Mithridates quidem bellum intulit Sinopenſibus;

ſed eorum urbis expugnatio Rhodiorum ope & auxilio fuit irrita.

Achæus Andromachi, cujus filiam duxerat uxorem Seleucus Ceraunus, erat filius; ideòque Antiochi Magni cognatus. Is in regionibus Aſiæ cis Taurum latè dominans rerum potiebatur, & Regis nomen aſſumpſerat, Dynaſtarum potentiſſimus ac formidabilis. Legatos itaque ad Mithridatem Ponti Regem mittit, ut ſibi filiam Laodicen minorem vellet in uxorem tradere: quod cùm annuiſſet Mithridates, facta eſt Achæi conjux. Sed Sardis, in quam urbem ſe receperant ambo, altero obſidionis anno capiuntur ab Antiocho Magno, & Achæus ipſius juſſu crudeliſſimo afficitur ſupplicio. Laodice verò ejus avunculo & cognato Antiocho ſe & arcem cum factione ſua permiſit. *Lib.* 8. Seleucidarum anno *99*. Urbis verò conditæ 540.

Quonam tempore mortuus ſit Mithridates, quotque annis regnaverit ignoratur, cùm admodùm ſterilis ſit Ponti Regum hiſtoria. Quoniam tamen in re dubia fas eſt conjectare, ſuſpicari mihi liceat Mithridatem Quartum obiiſſe paulò pòſt Achæi cum filia Laodice juniore nuptias: quæ quidem probabilior mihi videtur conjectura, eò quòd Mithridates res inter generos & filias componere potuiſſet, debuiſſetque, ſi etiamnum vixiſſet. At nulla prorsùs illius ab hoc tempore ſit apud Hiſtoricos mentio, ut in bello quod Antiochus Magnus geſſit contra Romanos, in quo Aſiæ plurimi Reges ei auxilium tulere; ut ut ſit, certum eſt Mithridatem Quartum reliquiſſe filium, qui patri in Ponti Regno ſucceſſit.

# PHARNACES XIX.

PHARNACES
REX PONTI



*In. cim. Leopoldi. Imp.*
*ex. num. Arg. didr.*

PHARNACES Mithridatis Quarti, & Laodices Seleuci Callinici Syriæ Regis natæ filius, poſt patris obitum Pontici Regni habenas ſuſcepit: Patre in obſidenda Sinope felicior fuit. Ita enim occultè & diligenter, terra marique ingentem exercitum colle-

gerat, tantoque omnia ordine diſpoſuerat, ut nil tale ſentientem urbem undequaque obſidione cinxerit. Quo pacto Sinopenſes de improviſo laceſſiti, tardiùs quàm par erat, ſociorum auxilium imploravêre. Accelerata Rex obſidione, Sinopen antequam illi opem ferre poſſent expugnavit. Atque ita nobilis illa civitas quæ per tot ſæcula ſuo uſa fuerat jure, victoris tandem legibus obtemperare coacta eſt anno V. C. 571.

Cùm Eumenes Pergami Rex, Populi Romani ſocius, ob bellum contra Antiochum Magnum Syriæ Regem geſtum, à Senatu pro mercede Phrygiam majorem Ponticis Principibus ſubditam accepiſſet: Pharnaces id ægrè ferens, ſecundâ uſus fortunâ in Sinope ſubjugandâ, victorem exercitum in Eumenis regna perduxit. Undè bellum inter eos inchoatum eſt; cujus initio Romam Legatos Eumenes amandavit; quod ubi Pharnaces accepit, ſuos etiam in urbem miſit, qui pariter Rhodios Sinopenſium ſocios invenêre, ut narrat Livius. Legationes tranſmarinæ introductæ ſunt. Prima Eumenis & Pharnacis Regum, altera Rhodiorum querentium de Sinopenſium clade. *Decad.* 4. *lib.* 10.

Aſiæ Regibus reſponſum eſt, Legatos ad eas res viſendas miſſurum Senatum. *Id. ibid.* Q. Marcio qui cum collegis ad ſtatum Græciæ ac Macedoniæ inſpiciendum miſſus erat, mandatum eſt ut in Aſiam ad cognoſcendum de bello inter Eumenem & Pharnacem unà cum collegis tranſmearet. Legati Romani ex Aſia reverſi ad Patres, legationem ſuam renuntiaverunt, & moderationem Eumenis in omnibus rebus, Pharnacis verò avaritiam & ingentem ſuperbiam expoſuerunt. *Polyb. Legat.* 53. *pag.* 871.

Pharnaces, poſtquam Legati Romani abiiſſent, ut erat omnium ſuperiori memoria Regum iniquiſſimus, (In excerptis Valeſ. pag. 130.) bellum redintegravit. Eumenes tunc ad Ariarathem Cappadociæ Regem auxilium & copias petit, & ambo Legatos Romam amandârunt, quod etiam fecit Pharnaces. Senatus auditis eorum Legatis, quid ſtatuendum foret non diu dubitavit. Reſpondit autem iterùm ſe Legatos miſſurum, qui de eorum Regum controverſiis diligentiùs cognoſcerent. *Polyb. Leg.* 53.

Aſpernatus iterùm Rex Pharnaces nomen Romanum, cùm cauſæ cognitio ad Senatum fuiſſet delata, Leſcritum hiemis tempore cum decem militum millibus ad devaſtandam Galatiam mittit; ipſe vere ineunte ingentes undique copias cogit, ceu facturus in Cappadociam irruptionem. Quæ Eumenes ut cognovit, etſi graviſſimè indignabatur, quòd omnes fidei leges violaſſet Pharnaces; ipſe tamen ad ingruentem hoſtem propulſandum idem facere coactus fuit. *Id. Legat.* 55.

Cùm jam conveniſſet Eumenis exercitus, venit Româ Attalus. Poſtquàm unà congreſſi de præſenti negotio inter ſe tractaſſent, ſubitò cum copiis caſtra moverunt in Galatiam reverſi, Leſcritum quidem ibi non offenderunt. Sed cùm Carſignatus & Gæzotorius Legatos ſubindè mitterent, ne quid ſibi noceretur poſcentes, & impetratâ cuicuimodi illa eſſent, facturos ſe pollicentes, & repudiatâ horum petitione, quia fidem priùs mutâſſent, cum omni exercitu, adverſùs Pharnacem proficiſcuntur. *Id. idid.*

Quintis caſtris Calpito ad Halym amnem eſt ven-

tum : ſexto deindè die Amiſum pervenerunt. Ubi poſtquàm Ariarathes Cappadocum Rex cum ſuis ſe illis conjunxiſſet, agrum Amiſenum ſunt ingreſſi. At cùm vix metati caſtra eſſent, nuntius afferetur adeſſe Legatos Populi Romani ad pacem conficiendam. Quo cognito Eumenes Attalum *fratrem* miſit, qui illos exciperet : ipſe copias duplicare & magno ſtudio ornare, tùm ut paratæ eſſent ad belli uſum, ſi opus foret, tùm ut Romanis oſtenderet, ſatis ſibi eſſe virium ad Pharnacem ulciſcendum & debellandum. *Id. ibid.*

Hortantibus Legatis poſt ſuum adventum, ut bellandi finem faceret, reſpondent Eumenes & Ariarathes, paratos ſe ad omnia quæ vellent, ſuaderentque ; orant verò Romanos, ut ſi fieri poſſet, conventum cogerent, cui intereſſet Pharnaces : ut dum in præſentia negotium tractaretur, magis ac magis perfidiam hominis & crudelitatem animadverterent : quòd ſi fieri id non poſſet, petere ab illis, ut juſtè & æquè diſceptarent ſuas controverſias. Promittentibus Legatis omnia ſe pro virili facturos, quæ æqua forent ; petentibuſque ut exercitus ex hoſtico deduceretur : ( etenim rem fore abſurdam, ſi eodem tempore, quo de pace Romani agerent, bello ſe ipſi invicem laceſſerent, & armis infeſtarent ; ) aſſenſus eſt Eumenes, ac ſequenti die motis ſignis, in Galatiam reducere exercitum cœpit. *Id. ibid.*

Romani poſteaquàm cum Pharnace ſunt congreſſi, omnium primum ab eo petierunt, ut in colloquium cum Eumene venire ne gravaretur, quoniam rerum tranſigendarum hæc munitiſſima eſſet via. Huic petitioni cùm Pharnaces repugnaret, ac tandem quod ro-

gabatur; penitùs negaſſet, facilè ſtatim & Romani intellexerunt, Pharnacem palam damnare ſpes ſuas, ac rebus ſuis diffidere; ſed quia finem bello imponere omninò propoſuerant; non priùs deſtiterunt, quàm pollicitus eſt ſe miſſurum Legatos ad oram maritimam, cum libera poteſtate pacem iis legibus conficiendi, quas ipſi Legati dixiſſent. *Id. ibid.*

Poſtquàm venerunt Legati, inſtituto colloquio, cui ipſi intererant, cum Romanis & Eumene, hic quidem ſtudio pacis ad omnes conditiones paratus erat deſcendere: contrà verò Legati Pharnacis controverſiam de omnibus rebus movere, pactis non ſtare, ſed ampliùs ſemper aliquid poſcere, ſententiam dein mutare, ut facilè intelligerent Romani fruſtrà ſe laborare, cùm non is eſſet Pharnaces, qui conſentire paci vellet. *Id. ibid.*

Itaque ſoluto infectâ pace colloquio, cùm Romani Pergamo diſceſſiſſent, & Pharnacis Legati eſſent dimiſſi, duravit inter Reges bellum, Eumeneſque & Pharnaces neceſſaria in eam rem apparare inſtituerunt. *Id. ibid.*

Pharnaces cum Galatis fœdus iniit, & ad *Artaxiam* Armeniæ Majoris regulum Legatos miſit, qui eum in ſocietatem traxerunt, ut & *Acuſilocum* Dynaſtam, imò & auxiliares copias petiit à Seleuco Philopatore Syriæ Rege, ſuoque ex ſorore filio, nam hujus pater Antiochus Magnus Laodicen Pharnacis ſororem in uxorem duxerat.

Eumeni & Ariarathi ſocios ſeſe addidêre *Morzias* Paphlagoniæ Regulus, & Europa Gatalus Sarmata, Meſembriani in Thracia, & Cherſoneſitæ ex eadem, juxta Helleſpontum; ex Aſia Cyziceni, & Heracleotæ ad Pontum.

Vere Leocritus Pharnacis Præfectus, cùm Teium ad Pontum oppidum, crebris oppugnationibus urgeret, mercenarios milites, qui præſidio urbi erant, ad deditionem illius coegit, eâ conditione, ut ipſi quocunque libitum eſſet, tutò deducerentur; ſed cùm ut univerſos occideret, mandatum accepiſſet à Pharnace, quòd olim ipſum offendiſſent, contra fœderis fidem in eos iter agentes impreſſione factâ, cunctos ſagittis confixit. *Diod. Sic. in excerp. Valeſ. pag.* 302.

Seleucus Syriæ Rex coactis haud contemnendis copiis, ad opem Pharnaci ferendam profectus, Taurum montem ſuperare jam parabat, ſed cùm apud ſe reputaſſet per leges fœderis, quod Populus Romanus cum patre percuſſerat, id ſibi non licere, in ſuum ſe regnum cum exercitu recepit. *Id. ibid.*

Quo auxilio deſtitutus Pharnaces, cum Attalo Eumenis fratre & ceteris fœdus poſteà iniit. Eumenes Pergami tunc commorans, è gravi morbo convaluerat: qui poſt Attali adventum, ubi omnia quæ geſta fuerant cognoviſſet approbâſſetque, fratres omnes ſuos *Attalum, Philæterum & Athenæum* Romam mittere ſtatuit, induciæque tantùm factæ fuiſſe videntur. *Polib. Legat.* 56.

Eumenes enim Romanis mittendis Legatis finem ſe tandem impoſiturum bello adversùs Pharnacem ſperabat. Magnificè Senatus advenientes Eumenis fratres excepit; nam & hoſpitia & lautia uberrima iis exhibuit, & ab iis appellatus benignè reſpondit. Attalus in Senatum ingreſſus, priſtina ſuorum merita luculentâ oratione in memoriam revocavit, & de Pharnacis queſtus injuriis, negotium patres ut ſuſciperent oravit, & Pharnacem

Pharnacem pro commerita noxa ut caſtigarent. Patres, re auditâ, benignè reſponderunt, miſſuros ſe Legatos, qui bello huic omninò finem ſint impoſituri. *Polyb. ibid.*

Sive autem induciarum tempore exacto, ſive pacis legibus omninò à Pharnace rejectis, copiæ multò quàm anteà numeroſiores ab Eumene & ejus ſociis comparantur: imò & Pruſias Bithyniæ Rex Pharnaci iratus, quòd Teium in regni ſui & Paphlagoniæ confinio poſitum anno præterito expugnaſſet, in Eumenis partes ſuâ ſponte deſcendit.

Pharnaces ſubitâ & gravi hoſtium impreſſione territus, ad quaſcunque pacis conditiones accipiendas paratus fuit; quare etiam Legatos ad Eumenem & Ariarathem miſit. Cùm autem Eumenes & Ariarathes mentionem de pace factam æquis auribus accepiſſent, & ſuos ſtatim Legatos ad Pharnacem miſiſſent, idque ſæpiùs ab utraque parte factum eſſet, his tandem conditionibus pax convenit. *Polyb. Leg.* 59. 881.

Eumeni, Prusiæ, et Ariarathi cum Pharnace et Mithridate pax esto perpetua. Galatiam Pharnaces ne ingreditor ullo modo. Quæcunque antea Pharnaci cum Gallis foedera fuerunt, dirimuntor. Paphlagonia pariter excedito, et quos prius inde eduxit incolas, restituito, et simul cum his arma, tela, et reliquum omnem apparatum reddito etiam. Ariarathi loca omnia quæ fuere et adempta, cum omni instrumento quod prius ibi fuit. Itemque obsides. Reddito etiam Teium, quod est ad Pontum. *Id. ibid.*

Id oppidum aliquantò pòſt Eumenes Pruſiæ dedit, ab eo exoratus, in magnam accipientis gratiam. Ad

hoc ſcriptum in fœdere. *Idem ibidem.*

Ut captivos transfugasque omnes sine pretio Pharnaces redderet. Item ut ex ea pecunia et gaza quam a Morzia *Paphlagoniæ* et Ariarathe abstulisset, Regibus ante nominatis nongenta redderet talenta. Eumeni vero hoc amplius pro belli impensis trecenta talenta penderet. Præterea ſcriptum. Ut Mithridates Præfectus Armeniæ trecenta solveret talenta, quia bellum cum Ariarathe gessit. Contra foedus quod cum Eumene habuit. *Id. ibid.*

Comprehenſi ſunt hoc fœdere è Dynaſtis Aſiæ, *Artaxias* majoris partis Armeniæ regulus, & *Acuſilochus:* ex Europæis, *Gatalus Sarmata:* è liberis civitatibus, *Heracleotæ, Meſembriani, Cherroneſitæ,* & cum his præterea *Cyziuni.* Poſtremo loco adjectum de obſidibus, quot numero, & cujus conditionis eos dare Pharnacem oporteret. Qui ſimul venerunt, reverſæ ſunt copiæ. Itaque belli, quod Eumenes & Ariarathes cum Pharnace geſſerunt, hic fuit exitus. *Id. ibid.*

Non omninò intelligimus, quòd Mithridates Eupator, hujus Pharnacis nepos, in oratione ad milites ſuos habitâ refert apud Juſtinum, dum ait, avum ſuum Pharnacem per cognationum arbitria ſuccedaneum Regi Pergameno Eumeni datum. *lib.* 38 *cap.* 6. Undè enim Pharnacis illa cum Eumene affinitas? quæ etiamſi Eumenes grandioribus filiis caruerit, tamen Attalum ejus fratrem, qui ei ſucceſſit, excluderet?

Porrò ſi nobis ex hiſtoria hujus temporis detur conjecturæ locus, videtur Eumenes parvulos tantùm ex Stratonicâ Ariarathis Cappadocum Regis filiâ reliquiſſe, qui per ætatem regnum adminiſtrare non po-

terant. Quam ob cauſam Eumenis ſororem duxit Pharnaces, & conſenſu omnium affinium ſuccedaneus Regi Eumeni nuncupatus eſt. Quòd Attalus Regis frater improbans, regno ſuccedere voluit. Cùm autem hæc contentio, bellum inter illos Principes redintegratura haud dubiè eſſet, rès ad Senatûs arbitrium videtur delata. Etenim Mithridates Eupator Romanos incuſat in laudata ſuperiùs oratione ad milites. Attalo verò regnum Senatus attribuit, qui uno & viginti annis apud Pergamum poſteà regnavit, morienſque ita æquo conſuluit, ut filium Eumenis Attalum Philometorem teſtamento ſuis præponere non dubitârit.

Cùm Eumenes mortuus ſit tantùm anno V.C. *596.* Pharnaces adhuc tunc temporis in vivis fuiſſe denotatur. Cùm verò Mithridates V. ejus filius anno *600.* regnabat, ex Polybio *Leg.* 135. non dubium eſt quin in hoc intervallo Pharnaces ſit defunctus. Undè ex Eumenis obitu Pharnacis uxor eruitur è tenebris, quemadmodum mortis Pharnacis tempus circùm circà detegitur.

Pharnaces filium reliquit nomine Mithridatem & ordine quintum, qui ipſi in Regno Pontico ſucceſſit.

## NUMMUS REGIS PHARNACIS.




Ex Cimelio M. Ducis Etruriæ.

Caput Regis diadematum, ex averſa parte Bacchus muliebri habitu ſtans, ſuprà cujus caput fulmen; dextra demiſſa racemum portat, quem Tigris ſtans ad ejus pedes lambit; ſiniſtra cornucopiæ & caduceum gerit. In area Luna creſcens cum aſtro, circa ambitum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΑΡΝΑΚΟΥ.

NOmen Pharnacis huic nummo tetradrachmali argenteo inſcriptum, ita Antiquariorum animum perculit, ut nummum M. Mithridatis filio, perfidiâ ſuâ noto potiùs, quàm Pharnaci Eupatoris ipſius avo, adjudicarint. At ille inter Boſphori Principes; hic in Ponti Regum ſerie inſerendus. Nomen idem *Pharnacis* eos illuſit, ut & non inſpectum utriuſque Regis numiſma.

Effigies amborum diverſæ. In Pontico juvenilis facies & lanugine ornata, Boſphorano, qui regnum tantùm poſt 35. annum accepit, nullâ ratione tribui poteſt. Hujus proavi Pharnacis ſimplex & nuda eſt Epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΑΡΝΑΚΟΥ, Regi Pontico mirè conveniens; ſuperba verò pronepotis inſcriptio, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΛΟΥ

ΦΑΡΝΑΚΟΥ, veſanam hujus ævi ambitionem redolet; qualis fuit ejus cognati Tigranis Armeniæ, qui hanc Regis Regum appellationem etiam uſurpavit. Tandem Amiſi urbis Ponticæ inſignia nummo inſculpta haud dubiè percuſſam in Ponto monetam arguunt.

Bacchus variè depingitur in nummis: ſed in hoc muliebri ornatus amictu prodit. Fingebatur autem juvenili ſpecie ut virginem referret, undê Poëta Phallicus.

*Trahitque Bacchus verginis tener formam.*

De quo Albricus Philoſophus de Deor. Imag. Erat enim imago ejus facie muliebri. Rationem ejus affert Fulgentius de Nat. Deorum. Bacchus quoque rei gratiâ fœmineâ fingitur eſſe formâ, quòd vigorem omnem carpat ebrietas.

Dextrâ Bacchus tenet racemum, pro peculiari ſymbolo; quòd vitem ex India retulerit, atque exindè coluerit, ejuſque plantandi rationem homines edocuerit. Ideòque in numerum Deorum adſcriptum ferunt, quemadmodum eos omnes qui hominibus beneficia contulerant, referre ſolebant Antiqui.

Pardalis ad pedes Bacchi poſita, racemum uvæ lambit, quòd eam valdè amet, undè huic Deo comes aſſignatur, de qua ait Philoſtratus lib. Imagin. Παρδαλις τȣ θεȣ σύμβολον: Panthera Bacchi Symbolum. Audias autem Phornutum loco laudato. Pardales ait, Dionyſio ſubjungunt, atque illum ſequi inducunt, ſive ob coloris varietatem: ita ut etiam ipſe & Bacchæ Nebride indicantur, aut quòd aſperrimi etiam mores temperato vini uſu manſueſcant.

Quare autem Amiſeni, qui nummum cuderunt, ut eruitur ex inſigni eorum urbis, ſcilicet Aſtro ſeu Sole in Luna creſcente inſerto; (de quo in nummis Mithridatis Eupatoris ſumus dicturi) quòd Bacchum civitatis ſuæ præcipuum numen exhibuerint, id cauſæ fuiſſe videtur, quòd eum pro Genio illius tutelari venerarentur. Atque ideò cornucopiæ & caduceo Dei lævam inſignierunt; illo ad denotandam agrorum ſuorum eo procurante abundantiam; hoc ad ſignandam ex eâ exortam abundantiâ civium felicitatem.

Fulmen ſupra caput Bacchi omninò poſitum videtur ad indicandam ejus nativitatem, ex quâ ab Ovidio Ignigena cog-

nominatus eſt, ſecundùm nempè fabulam à fulminata Semele. Sic etiam à quibuſdam facilè & pereleganter Bacchum appellari ſcribit Strabo lib. 13. Πυριγένης Bacchus in Semele effingitur elegantiſſimè à Philoſtrato, in lib. Imag. Πυροσπορος quoque Bacchus nec Semel ab Orpheo in hymnis appellatur, hoc eſt, *igne ſatus.*

# MITHRIDATES X.

MITHRIDATES nomine V. Pharnacis unicus filius atque heres, mortuo patre, Pontici Regni regimen aſſumpſit; ſed longè aliam, quàm pater, & erga Romanos & erga Reges vicinos agendi rationem ſecutus eſt. Cùm enim Pharnaces Eumeni Pergami Regi infenſiſſimus ſemper hoſtis fuiſſet, ipſe Attali hujus ſucceſſoris ac fratris amicus extitit. Cùm autem Pruſias Bithyniæ Rex bello Attalum aggreſſus eſſet anno V. C. 600. Mithridates V. de Pruſia conqueſtus Legatos Romam miſit. Romani ad Pruſiam miſerunt, qui eum prohiberent, quominus bellum cum Attalo gereret.

Legati Romani in Bithyniam profecti voluntatem Senatûs Pruſiæ declararunt, Pruſias ex iis quæ imperabantur nonnulla ſe facturum pollicitus, de pleriſque negabat. Itaque Legati pertinaciâ illius offenſi, amicitiæ & ſocietati ipſius renuntiarunt; atque ex templo omnes eo relicto ad Attalum perrexêre. *Polyb. Legat.* 135.

Attalus, dum adhuc eſſet hiems, magnum exercitum coegit, & à proximis Regibus Mithridate Ponti & Ariarathe Cappadociæ poſtulat, ut vellent adversùs Pruſiam ſocietatem inire; ne victoriâ de ſe relatâ inflatus, ipſos poſteà adoriretur. Poſtulatis annuunt Ariarathes & Mithridates, tanquam ejus ſocii copias Attalo tum equeſtres tum pedeſtres Duce Demetrio ſubminiſtrant. *Id. ibid.*

Intereà Pruſiâ jam pœnitentiâ ducto, Senatus tres alios Legatos continuò mittit. Hi ubi in Aſiam vene-

re, bello finem impoſuerunt, & ut Reges ambo in fœdus ſcriptum conſentirent, pervicerunt; quo Pruſias damna illata ſarciret; quibus peractis, copiæ Mithridatis auxiliares in Pontum rediêre.

Mithridates non minùs Populi Romani quàm vicinorum Regum amicitiam appetivit. Vix enim Romani tertium bellum Punicum contra Carthaginienſes anno V. C. 606. ſuſceperunt, cùm ille, teſte Appiano *lib. Mithr. pag.* 176. auxiliares copias iis miſit. Ita enim inquit hic Auctor. *Qui primus amicus Populi Romani appellatus, miſſis contra Pœnos auxiliaribus aliquot navibus, vocabatur Mithridates Evergetes Ponti Rex.*

Undè verò illi ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, id eſt Benefici cognomen? Quòd ſi nobis conjicere liceat, illud ei à Sinopenſibus datum auguramur, quod olim Ægyptii Ptolemæo tertio dederunt, teſte *Hieron. in Daniel. cap.* 11. quia poſt multos annos Deos ipſorum retulerat, quos Cambyſes, capto regno, in Perſas portaverat, Templa Sinopenſium iteratâ obſidione partim deſtructa fuiſſe videntur, quæ Mithridates reſtauravit. Legimus enim apud Strabonem hunc Principem in ea habitaſſe, eamque in eximio habuiſſe honore. *lib.* 12. *pag.* 545. Gaziura Ponti regia erat antiqua ex eodem Scriptore. *Ibid. pag.* 547. In illa verò Mithridates Eupator Mithridatis V. filius major natus eſt & educatus, & etiam Rex ipſe, ut infrà videbimus, deceſſit.

Suam iterùm Mithridates erga Romanos obſervantiam teſtatus eſt in bello, quod adversùs Ariſtonicum geſſerunt. Is erat Eumeniis Regis Pergami filius, non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſiâ Cythariſtæ cujuſdam filiâ genitus; qui poſt mortem Attali *Philo-*

*metoris*

*metoris*, velut paternum regnum, Aſiam invaſit. *Juſtin. lib.* 36. *cap.* 4. Contra illum P. Craſſus ann. V. C. 623. Conſul profectus, prædæ Attalicæ congerendæ, quàm bello gerendo ſtudioſiùs incubuit, cùm ei auxilia Mithridates Ponti, Nicomedes Bithyniæ, Ariarathes Cappadociæ, Pylæmenes Paphlagoniæ Reges pollicerentur. *Oroſius lib.* 5. *cap.* 10. *Hiſtoriæ in Biblioth. Patrum tom.* 5. *Edit. Colon. Agripp.*

Rem ſic narrat Eutropius *lib.* 4. Adversùs *Ariſtonicum* miſſus Licinius Craſſus infinita Regum habens auxilia; nam & Bithyniæ Rex Nicomedes Romanos juvit, & Mithridates Ponticus, cum quo poſteà bellum graviſſimum fuit; (*ſed hic errat, Eutropius enim dicere debuit,* CUM CUJUS FILIO.) & Ariarathes Cappadox & Pylæmenes Paplagon. *Lib.* 4. Extremo anni tempore inter Elæam & Smyrnam Straboni juxta Leucas, cùm prælium Craſſus conſeruiſſet, ejus exercitu in fugam acto, ipſe jam circumventus, à barbaro ſicâ interemptus eſt: Ariarathes verò Cappadociæ Rex in hoc prælio occiſus eſt.

Anno ſequenti 624. M. Perperna Conſul, Aſiam ſortitus, auditâ P. Craſſi morte & exercitûs Romani clade, raptim in Provinciam pervolavit; Ariſtonicum recenti victoriâ feriatum improviſo bello adortus, prælio victum, ac nudatum omnibus copiis, in fugam vertit. Stratonicem urbem, ad quam ille confugerat, obſeſſam fame ad deditionem compulit, & Ariſtonicum captum, Attalicaſque gazas hereditarias Populi Romani navibus impoſitas Romam miſit. Ipſe Conſul Perperna priùs quàm belli reliquias conficere poſſet, Pergami morbo correptus, diem obiit. *Pau-*

*lus Oroſius lib. 5. cap. 10. Hiſtoriæ Bibliothec. Patrum tomo 5. Edit. Colon. Agripp.*

M. Aquilius Nepos Conſul hoc anno *625.* M. Pernæ ſucceſſor, Aſiam ſortitus, ad eripiendum Ariſtonicum, Perpernæ, veluti ſuo Triumpho reſervatum decus, feſtinata velocitate contendit. Sed contentionem Conſulum mors Perpernæ diremit. *Juſtin. lib. 36. cap.* 4. Soluſque Aquilius de Ariſtonico triumphavit, qui poſt triumphum de more in carcere ſtrangulatus eſt.

Poſt hæc Regibus, qui adversùs Ariſtonicum auxilia tulerant, præmia perſoluta, Mithridati Pontico Phrygia Major. *Id. lib.* 37. *cap.* 1.

Hanc Mithridati IV. in dotem filiæ Seleucus Callinicus Syriæ Rex conceſſerat, quam ei Populus Romanus, cùm bellum contra Antiochum Magnum gereret, eripuerat, & Eumeni in gratiam auxilii contra eum lati dono dederat. Quod confirmat idem autor. Cùm illam ſibi ademptam pupillo, quam patri præmium dati adversùs Ariſtonicum auxilii queritur Mithridates Eupator, & addit, gentem, quam & proavo ſuo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dediſſet. *Lib.* 38. *cap.* 5.

Non à Populo Romano in præmium lati auxilii Mithridati IV. conceſſa Phrygia eſt, ſed Manius Aquilius largitionibus corruptus, hanc illi dediſſe ferebatur. Appianus enim narrat Syllam Eupatori eam ſibi adeptam querenti, reſpondiſſe his verbis: Phrygiam autem tibi Manius dedit, corruptus largitionibus, quod commune amborum crimen eſt. Hoc enim ipſo fateris injuſtam ejus terræ poſſeſſionem, quod eam à muneribus cor-

rupto conſecutus es. Et Manius coargutus eſt apud nos, alia quoque egiſſe pretio, quæ omnia Senatus irrita habuit. Quapropter & Phrygiam injuſtè tibi attributam, non ſibi fecit tributariam, ſed juſſit eſſe liberam. *In lib. de Bell. Mithrid. pag.* 208.

Cùm Mithridates recuperaſſet Phrygiam Majorem, quam in dotem uxoris habuerat, avus ejus Mithridates IV. Cappadociæ partem recipere ſtatuit, quam olim proavus ſuus Mithridates III. armis conquiſierat, cujuſque recuperandæ causâ Ariarathi ſeniori bellum intulerat. Itaque occaſionem nactus occiſi in bello adversùs Ariſtonicum Ariarathis hujus filii, cujus vidua Laodice, propter teneram ſex liberorum ætatem, regnum adminiſtrabat, bellum paravit: de quo renovatâ deindè controverſiâ, quæ patri cum Cappadocibus fuerat, eos per totum vitæ curſum perſequitur. Dorilaüs Ponticus, ſive ducendi exercitus, ſive ordinandi peritus, à Mithridate Evergete Rege Ponti in Cretam ad peregrinos conducendos milites, miſſus eſt. Crebro in Græcia erat atque Thracia, ut iis qui Cretam petebant ſubveniret: cùm Romani nondum eam tenerent Inſulam, magnaque ibi eſſet militum ſtipendia merentium copia, undè etiam prædonum exercitus fuerunt impleti. Cùm in Creta eſſet Dorilaüs, fortè fortunâ bellum obortum eſt Gnoſſiis adversùs Gortynios. Dorilaüs à Gnoſſiis Dux creatus, bellum leriter & feliciter confecit, ſummiſque eſt adfectus honoribus. *Strabo lib.* 10. *pag.* 477.

Cùmque paulò pòſt cognoviſſet, Sinope Evergetem dolo familiarium necatum, eique uxorem & liberos ſucceſſiſſe: de rebus iſtis abjecta omni ſpe,

Gnoſſi ſubſedit. *Id. ibid.* Mortem Mithridatis V. ſic narrat Juſtinus. *Mithridates quoque repentinâ morte interceptus, filium, qui & ipſe Mithridates dictus eſt, reliquit. Lib.* 37. *cap.* 1. Nomen uxoris Mithridatis V. ignoratur.

Mithridates duos maſculos reliquit; Mithridatem, qui poſt eum regnavit, & Anonymum, quem frater necavit. Filias quinque; Laodicen majorem, quæ Mithridati fratri nupſit; Laodicen minorem, Ariarathis VI. Cappadociæ Regis uxorem; Roxanem innuptam, fratris juſſu anno ætatis 40. venenum bibere coactam, ne in Luculli manus incideret; Statiram, quæ ut & Roxanæ ſoror, eamdemque ob cauſam à fratre ſorbere juſſa eſt venenum: Nyſſam denique, quæ, captis Cabiris, in Luculli poteſtatem venit; ſed vitâ donata eſt.

Regnavit Mithridates annos circiter quatuor & triginta, cùm (ut ex ejus Hiſtoria colligitur,) mortuus ſit circa annum V. C. 631.

# NUMMUS MITHRIDATIS V.




Ex Cimelio Card. Maximi.

Caput diadematum Regis ex averſa parte figurâ barbatâ ſtans, capite modio inſignito, & Divinitatis pallio amictâ, dextrâ aquilam, ſiniſtrâ ſceptrum tranſverſum gerit cum Epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ; & in area litteræ numerales ΓΟΡ, id eſt anno 173. & infrà monogramma.

Mithridates V. Mithridatis Eupatoris pater, à Strabone & ab Appiano indigitatur ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ; de quo Geographus ait lib. 10 pag. 477. Ἀρχέλαος τῶν Μιθριδάτου τοῦ Εὐεργέτου φίλων, Archelaus unus ex amicis Mithridatis Evergetis. Appianus verò in Mithrid. pag. 176. Βασιλέως Πόντου Μιθριδάτης ὁ Εὐεργέτης ἐπίκλησιν. Vocabatur Mithridates Evergetes Ponti Rex. Apprimè igitur illos Scriptores illuſtrat nummus hic argenteus tetradrachmalis, in quo illud cognomen exaratum legitur.

Nec ſolus ille Mithridates inter Reges ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ſibi cognomen aſſumpſit. Ante ipſum Ptolemæus III. Ægypti Rex idem ſibi arrogaverat. Imò & VI. hujus Regni Princeps Philometoris frater, quem alii per ludibrium ΚΑΚΕΡΓΕΤΗΝ

appellavêre. Antiochus VII. Rex Syriæ apud Porphyrium in Euſebio, illam quoque denominationem ſibi vindicat, ut omnia ejus numiſmata teſtantur Sed an omnibus iis Regibus tribuenda ſit, ut ſe Beneficos eſſe denotarent: an potiùs Populis, à quibus in memoriam beneficiorum fuerit indita?

Litteræ numerales ΓΟΡ, annum Æræ, quâ Ponti Reges poſt recuperatum à Mithridate II. regnum, & quidem ſine tributo, uſi ſunt, 173 indicant. Hi reſpondent anno V. C. 621. Siquidem illius Epochæ initium aſſignavimus anno 448. quo, permiſſu Antigoni inter Alexandri Duces πρακτικωτάτου, paterno principatu potitus eſt ille Mithridates Ariobarzanis filius; undè à Luciano *Cuſtes* eſt appellatus.

Quænam ſit illa ſtans figura modio, ceu calatho ornata, inſpicienti ſatis patet. Nemo enim in Deorum Hiſtoria tantiſper verſatus eſt, qui eam ſtatim ad Serapin non revocet. Sed cur alter tanquam Jupiter, Aquilam huic Deo ſacram dextrâ ſuſtineat, haud idem; & ad Sinopes urbis annales recurrat, neceſſe eſt.

Sinope, urbs fuit Ponti Aſiatici, de qua Stephanus, Σινώπη διαφανεστάτη τοῦ Πόντου., Sinope urbs Ponti celeberrima & quidem vetuſtiſſima. *Ovid. Pont.* 1.

*Urbs antiqua fuit Ponti celebrata Sinopes.*

Ptolemæus autem Soter Ægyptii Imperii fundator, Alexandriam Templis cùm exornaret, & ea dedicare vellet, ſomnio admonitus eſt ut ex Ponto Dei ſtatuam afferri curaret, cujus rei curam Timotheo commiſit, teſte Tacito lib. Hiſt. 4. Timotheus, quæſitis, qui in Pontum meaſſent, cognoſcit urbem illic *Sinopem*, nec procul Templum vetere inter accolas famâ *Jovis Ditis*.

Jovis ergo illa ſtatua figuram exhibet, Aquilæ ipſi ſacræ ſymbolo inſignitam. Nunc audiamus Plutarchum de iſta Ptolemæi Hiſtoria diſſerentem in Iſide & Oſiride. Cùm, inquit, Rex ille Legatos Sinopem miſiſſet, à Scydrothemide Ponti Rege ſtatuam dono accepit Jupiter. Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρὰ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν. Allatus Alexandriam, Serapidis nomen, quo Ægyptii Plutonem afficiunt, invenit.

Sinopites hunc Deum ſemper venerantes, etſi ejus ſtatuam Rex Alexandriam amandaſſet, illius figuram in nummis cùm Jovis, tùm Serapidis inſignia geſtantem exhibuerunt, ut videre eſt in noſtro Coloniarum libro. Nihil mirum igitur ſi cum Aquila Jovis & calatho Serapidis ſymbolo in hoc Mithridatis Evergetis tetradrachmali argenteo numiſmate prodit.

Sui juris erant Sinopites, & ſub Reipublicæ formâ degebant, cùm Mithridates IV. eos Imperio ſuo ſubjicere decrevit. Sed defecit in conatu; felicior hujus filius Pharnaces tandem illorum urbem expugnavit: Mithridates ejus ſucceſſor eam obſidione partim deſtructam reparavit, regiamque fecit, in qua natus eſt illi Mithridates Eupator, & ipſe mortuus eſt ac ſepultus. Tanto igitur Regi de ſe optimè merito nummos ſuos jure dedicarunt Sinopites.

# MITHRIDATES XI.

MITHRIDATES EVPATOR
REX PONTI.



*Ap. D. Foy Vaillant D. M.*
*ex num. arg. tetradr.*

MITHRIDATES VI. occiſo patre, Ponti Regnum adeptus eſt, cùm tantùm natus eſſet annos 11. *ex Strabone lib.* 10. *pag.* 477. annos verò 12. *ex Eutropio lib.* 4. cùm enim 13. annorum adoleſcens regnum accepiſſet. *Memnon apud Photium pag.* 727. Hujus futuram

turam magnitudinem etiam cœleſtia oſtenta prædixerunt. Nam & quo genitus eſt anno, & eo, quo regnare primùm cœpit, ſtella cometes per utrumque tempus, *id eſt, diu & noctu*, ſeptuaginta diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine ſui quartam partem cœli occupaverat, & fulgore ſui ſolis nitorem vicerat; & cùm oriretur, occumberetque, quatuòr ſpatium horarum conſumebat. *Juſtin. lib.* 37. *cap.* 2.

Puer tutorum inſidias paſſus eſt, qui eum fero equo impoſitum equitare jaculariqne cogebant. Qui conatus cùm eos fefelliſſent, veneno eum appetivêre. Quod metuens, antidota ſæpiùs bibit, & ita ſe adversùs inſidias exquiſitis tutioribus remediis ſtagnavit. *Id. ibid.* Cum eo enutritus fuit Dorylaüs Philetæri filius, ejus qui frater fuit Dorylai iſtius ductoris, de quo ſuprà diximus. *Strab. pag.* 478.

Timens deindè Mithridates ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi ſtudium finxit, quod per ſeptem annos neque urbis, neque ruris tecto uſus eſt; ſed per ſilvas vagatus, diverſis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus quibus eſſet locis, aſſuetus feras curſu aut fugare, aut perſequi, cum quibuſdam etiam viribus congredi. Quibus rebus & inſidias vitavit, & corpus ad omnem virtutis patientiam duravit. *Juſtin. lib.* 37. *cap.* 2.

Ad regni deindè adminiſtrationem cùm acceſſiſſet, ad cædes propenſiſſimus fuit, uſque adeò ut matrem ipſam regni conſortem à patre deſtinatam, dum carcere vinctam tenet, violentia iſta ut temporis diuturnitate confecit, fratrem etiam necavit. *Memnon apud Photium cap.* 32.

Poſteà de augendo regno cogitavit. Itaque Scythas invictos anteà, qui Sopyriona, Alexandri M. Ducem, cum triginta millibus armatorum deleverant, qui Cyrum Perſarum Regem cum ducentis millibus trucidaverant, qui Philippum Macedonem fugaverant, ingenti felicitate perdomuit. *Juſtin. lib.* 37. *cap.* 2. Hi erant ſub Scituro & Palaco ejus filio ac fratribus. *Strab. lib.* 7. *pag.* 309. Scythas ad Meotidem paludem indeque ad Colchos uſque devictos à Mithridate refert Strabo *lib.* 10. *pag.* 555.

Itaque Boſphori Regno potitus eſt, & dominium Periſade qui tum eum tenebat ultrò concedente. *Strabo lib.* 7. *pag.* 309. Bello deindè ſubegit Reges circa Phaſin uſque ad climata trans Caucaſum. Quamobrem cùm magis conſilia ejus ſuſpecta haberent Romani, Senatus-Conſultum fecerunt, ut paterna Regibus Scytharum regna reſtitueret. At is moderatè quidem mandatis obſecutus eſt. *Memn. ibidem cap.* 32.

Mithridates Romam Legatos miſit cum magna pecuniæ vi, ut Senatum largitione corrumperet. Quod animadvertens Saturninus Tribunus Plebis, Ordini Senatorio inimiciſſimus, præclaram occaſionem adversùs eos nactum ſe eſſe exiſtimans, magnâ legationem contumeliâ affecit. Senatorii Legatos adversùs eum juvantes, conjunctam ſuam ipſis operam offerunt, litemque Saturnino ipſi de illata injuria intendunt. Quâ occaſione ob violata Legatorum jura, quæ Romanis ſacroſancta ſemper ſunt habita, in præſens vitæ diſcrimen Saturninus adductus, à Populo tamen præter omnem ſpem liberatus eſt.

Potentiâ magnâ auctus Mithridates, Colchidem ſibi

ſubjecit, & Ponti Regni limites extendit ſupra Pharnaciam & Trapezuntem, quo loco ſunt Tibareni & Chaldæi uſque ad parvam Armeniam; quas regiones tum obtinebant Reguli quidam, inter quos unus Antipater, Siſides nomine, dominium ultrò Mithridati ceſſit. *Strab. lib.* 12. *pag.* 555.

Cùm de Aſiâ invadendâ tractaret, tacitus cum quibuſdam amicis regno profectus, univerſam, nemine ſciente, pervagatus eſt, omniumque urbium ſitum ac regiones cognovit. Indè Bithyniam tranſcendit, & quaſi dominus Aſiæ, opportuna quæque victoriæ ſuæ metatus eſt. Poſt hæc in regnum, cùm jam periiſſe crederetur, reverſus eſt, invento parvulo filio, quem per abſentiam ejus Laodice ſoror uxorque enixa fuerat. Sed inter gratulationem adventûs ſui, & filii geniti, veneno periclitatus eſt. Siquidem Laodice ſoror, cùm periiſſe eum crederet, in concubitus amicorum projecta, quaſi admiſſum facinus majore ſcelere tegere poſſet, venenum advenienti paravit. Quod cùm ex ancilla Mithridates cognoviſſet, facinus in auctores vindicavit. *Juſtin. lib.* 37. *cap.* 3.

Hieme deindè imminente, non in convivio, ſed in campo; non in vacationibus, ſed in exercitationibus, nec inter ſodales, ſed inter æquales, aut equo aut curſu, aut viribus contendebat. Exercitum ſuum ad parem laboris patientiam quotidianâ exercitatione durabat; atque ita invictus ipſe inexpugnabilem exercitum fecerat. *Id. cap.* 4.

Inita deindè cum Nicomede ſocietate, Paphlagoniam invadit, victamque cum ſocio dividit. Quam cùm teneri à Regibus Senatui nuntiatum eſſet, Lega-

tos ad utrumque miſit, *qui gentem reſtitui in priſtinum ſtatum juberent.* Mithridates, cùm ſe jam parem magnitudini Romanorum crèderet, ſuperbo reſponſo, *hereditarium patri ſuo regnum obveniſſe* reſpondit: *mirarique ſe, quod quæ ei relata controverſia non fuerit, ſibi referatur.* Nec territus minis Galatiam quoque occupat. Nicomedes quoniam ſe tueri jure non potuerat, *juſto Regi redditurum* reſpondit. Atque ita filium ſuum mutato nomine Pylæmenem Paphlagonum Regum nomine appellat, & quaſi ſtirpi regiæ reddidiſſet regnum, falſo nomine texit. Sic ludibrio habiti Legati, Romam revertuntur. *Id. ibid.*

Mithridates parricidia nece uxoris auſpicatus, ſororis alterius Laodices filios, cujus virum Ariarathem, Regem Cappadociæ, *ejus filium qui in bello Ariſtonici occiſus fuerat*, per Gordium inſidiis occiderat, tollendos ſtatuit; nihil actum morte patris exiſtimans, ſi adoleſcentes paternum regnum, cujus ille cupiditate flagrabat, occupaſſent. Igitur dum in his cogitationibus verſatur, interim Nicomedes *Philopator*, Rex Bithyniæ, vacuam morte Regis Cappadociam invadit. Quod cùm nùntiatum Mithridati fuiſſet, per ſimulationem pietatis, auxilia ſorori ad expellendum Cappadociâ Nicomedem, mittit. Sed jam Laodice per pactionem ſe Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægrè ferens Mithridates, præſidia Nicomedis Cappadociâ expellit, regnumque ſororis filio reſtituit: egregium prorſus factum, ni ſubſecuta fraus eſſet. Siquidem interjectis menſibus, ſimulat ſe Gordium, quo miniſtro uſus in Ariarathe interficiendo fuerat, reſtituere in patriam velle; ſperans, ſi obſiſteret adoleſcens cauſas belli

futuras; aut, ſi permitteret, per eundem filium, tolli poſſe, per quem interfecerat patrem. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 1.

Quod ubi Ariarathes junior moliri cognovit, graviter ferens interfectorem patris per avunculum potiſſimùm ab exilio revocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur cùm in aciem eduxiſſet Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos D. C. nec Ariarathi, auxiliaribus finitimis regibus, minores copiæ eſſent; incertum belli timens, conſilia ad inſidias transfert, ſollicitatoque juvene ad colloquium, cùm ferrum occultatum inter faſcias gereret, ſcrutatori ab Ariarathe, regio more miſſo, curioſiùs imum ventrem pertractanti, ait, *caveret ne aliud telum inveniret, quàm quæreret;* atque ita riſu protectis inſidiis, evocatum ab amicis, velut ad ſecretum ſermonem, inſpectante utroque exercitu, interficit. *Id. ibid.* ſuâ manu obtruncavit; *Memnon. apud Phot. cap.* 32. *pag.* 727. Regnumque Cappadociæ octo annorum filio, impoſito *Ariarathis* nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit. *Id. ibid.*

Cappadoces crudelitate ac libidine Præfectorum vexati, à Mithridate deficiunt, fratremque Regis, & ipſum Ariarathem nomine, ab Aſia, ubi educabatur, revocant; cum quo Mithridates prælium renovat, victumque Cappadociæ regno expellit. Nec multò pòſt adoleſcens, ex ægritudine collectâ infirmitate, decedit. Poſt hujus mortem Nicomedes timens, ne Mithridates acceſſione Cappadociæ, etiam Bithyniam finitimam invaderet, ſubornat puerum eximiæ pulcritudinis, quaſi Ariarathes tres, non duos filios genuiſſet; qui à Senatu Romano paternum regnum pe-

teret. Uxorem quoque Laodicen Romam mittit, ad teſtimonium ex Ariarathe ſuſceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, & ipſe pari impudentiâ Gordium Romam mittit, qui Senatui aſſereret, *puerum, cui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Ariſtonici auxilia Romanis ferens cecidiſſet.*

Sed Senatus, ſtudio Regum intellecto, aliena regna falſis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi, ad ſolatium ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumeliâ regnum foret ademptum, illis quod daretur, uterque Populus libertate donatus eſt. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 2. Tunc Pylæmeni Paphlagonia reſtituta eſt.

Paphlagoniam Pylæmenes Rex amicus Populo Romano tenuit, ſæpè ex ea pulſus, regno à nobis eſt reſtitutus; quo mortuo, Provincia Paphlagonibus impoſita eſt. Ita Sextus Rufus *in Breviar. Hiſt. cap.* 11.

Romani ratione fœderis & initæ cum Cappadocibus amicitiæ iis permiſerunt, cùm genus defeciſſet regium, ut liberè ſuis viverent legibus. *Strabo lib.* 12. *pag.* 540.

Hi autem, miſſis Legatis, libertatem repudiârunt, ut quam ſibi dicerent eſſe intolerabilem, Regemque ſibi dari poſtulaverunt. Romani mirati homines eſſe, qui adeò de libertate animum deſpondiſſent, permiſerunt eis, ut de ipſorum corpore Regem ſuis quem vellent, ſuffragiis crearent. Ita Rex ab iis factus eſt *Ariobarzanes. Id. ibid.* Gordius Prorex creatus à Mithridate, ideò quòd amicus ejus eſſet, non obtinuit. *Juſt. lib.* 38. *cap.* 5. Porrò regnum invaſit. Tum Sylla cùm finitâ Præturâ præeſſet Ciliciæ, Legatus in Cappadociam

mittitur ſpecioſo expeditionis titulo, ad Ariobarzanem in regnum reducendum, revera ut multa molientem Mithridatem Imperiumque & vires adjungentem haud minores quàm eſſent præſentes, reprimeret. Copias haud magnas adduxerat ſecum Sylla; ſed promptâ uſus operâ ſociorum, magno numero ipſorum Cappadocum, majori Armeniorum, qui Gordio ſuppetias venerant, interfecto ejecit eum, & Ariobarzanem appellavit Regem. *Plutarch. in Sylla. pag.* 453.

Mithridates Tigranem Armeniæ Regem mirè ad ſocietatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensâ Romanorum ſentientem, per Gordium impellit, ut Ariobarzani ſegni admodum, bellum inferat; & ne quis dolus ſubeſſe videretur, filiam ſuam ei Cleopatram in matrimonium tradit. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 3.

Mithridates & Bagoas à Tigrane Duces miſſi in Cappadociam venerunt, pulſoque Ariobarzane, quem Romani Regem conſtituerant, Ariarathem *Mithridatis filium* in id regnum deduxerunt. *Appian. Mithrid. pag.* 176. Atque ita per Tigranem rursùs Cappadocia, juris eſſe Mithridatis cepit. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 3.

Eodem ferè tempore, mortuo Nicomede Philopatore Bithyniæ Rege, cùm illi duo eſſent filii, Socrates cognomine *Chreſſus*, major & minor Nicomedes ex Nyſa, iique de regno unà contenderent, Senatus hunc Bithyniæ Regem conſtituit. Mithridates Socratem contra fratrem inſtigat, illi opponit. *Memnon. pag.* 730. & cum exercitu miſit, qui regnum hoc ſibi uſurpavit. *Appian. pag.* 176.

Nicomedes regno pulſus ſupplex Romam venit:

decretumque eſt in Senatu, ut Nicomedes & Ariobarzanes in regna ſua reſtituerentur. Legatio ad hoc miſſa eſt, cujus Manius Aquilius Princeps erat, juſſique adjutare L. Caſſio, qui Aſiam Pergamenam obtinebat cum exercitu exiguo, & hoc ipſo Mithridate. Verùm is propter controverſum jus Cappadociæ & ablatam ſibi nuper ab ipſis Romanis Phrygiam, nihil juvit. *Id. pag.* 177. Licet ipſe in oratione memoret Cappadociâ Ariarathem filium eductum, quam jure gentium victor occupaverat, & Regem Bithyniæ *Chreſtum* à ſe in gratiam Romanorum occiſum fuiſſe aſſeveret. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 5.

Caſſius & Manius cum Caſſiano milite, aliiſque contractis ex Gallo-Græcia Phrygiaque copiis reduxerunt Nicomedem in Bithyniam, Ariobarzanem in Cappadociam. Moxque ambobus ſuadebant ut vicinam Mithridatis ditionem vexando, materiam belli quærerent, oſtentantes ſpem auxilii. Neuter tamen vicinum tam potentem laceſſere armis auſus eſt: Sed urgentibus Legatis, Nicomedes, qui magnam pecuniam pro reſtitutione Ducibus, & ipſis Legatis ex pacto debebat, magnam etiam aliàs à Romanis Aſiaticis ad uſuram, quæ tùm repetebatur, invitus in ditionem Mithridatis irrupit, & uſque ad Ameſtrim urbem populatus eſt, nemine vetante occurenteve: Nam Mithridates, quamvis paratas haberet copias, tamen cedebat, ut multas juſtaſque cauſas belli haberet. *Appian. de Mithrid. pag.* 177.

Ubi Nicomedes cum magna præda domum rediit, Pelopidam miſit Mithridates ad Romanos Duces Legatoſque, non ignarus ipſos bellum appetere & incurſionis

curſionis ejus cauſam fuiſſe: diſſimulabat tamen, captans plures honeſtioreſque futuri belli cauſas, ſuam ac paternam amicitiam commemorans, de injuriis à Nicomede illatis conqueſtus eſt. *Id. ibid.* Legatis verò Nicomedis culpam in Mithridatem rejicientibus, Romani reſponderunt, neque placere ſibi Mithridatem moleſtari à Nicomede, neque ut Nicomedi bellum inferretur, paſſuros. Hæc prolocuti Pelopidam, volentem id reſponſum ut parum idoneum coarguere, dimiſerunt è conſiſtorio. *Id. pag.* 179.

Itaque Mithridates, ut apertè læſus à Romanis, miſit cum magna manu filium *Ariarathem* ad occupandum regnum Cappadociæ, qui mox, *Ariobarzane* pulſo, ibi regnavit. Atque iterùm Pelopidas ad Duces Legatoſque Romanos proficiſci jubet, ut denotaret ſe de illis ad Senatum miſiſſe queſtum, & ut ad cauſam dicendam Romæ adeſſent nuntiaret, neve quicquam abſque communi Senatus Populique Romani decreto inciperent. *Id. ibid.* Quoniam autem viſa eſt inſolentior Pelopidæ oratio, Legati juſſerunt Mithridatem abſtinere à Nicomede & Cappadociâ; ſibi enim curæ fore, ut mox in eam reſtituatur Ariobarzanes: Pelopidam autem è caſtris excedere, & niſi Rex juſſa faciat, haud redire amplius juſſerunt. Atque cum tali reſponſo Orator Mithridatis dimiſſus eſt. *Id pag.* 181.

Interim non exſpectatâ de tanto bello Senatûs aut Populi Romani ſententiâ, colligebatur exercitus è Bithyniâ, Cappadociâ, Paphlagoniâ, Gallo-Græciâ. Ut verò & propiùs L. Caſſii exercitus, cum quo Aſiam obtinebat, ſatis inſtructus eſt, & auxilia convenere omnia, diviſis copiis, Caſſius caſtra metatus eſt in con-

K

finio Bithyniæ, Gallo-Græciæque. Manius, quà tranſitus patebat Mithridati in Bithyniam; tertius Dux Q. Oppius in finibus Cappadociæ cum quadragenis peditum equitumque millibus. Habebant & claſſem, cui Minucius Rufus & C. Popilius præerant, ad oris Ponti cuſtodiam: juvabat eos & Nicomedes cum peditum quinquaginta, equitum ſex millibus. *Id. ibid.*

Mithridates in exercitu proprio habebat 250000 peditum, 40000 equitum, 300 naves tectas, 100 dicrota, & alium apparatum pro ratione tam numeroſæ militiæ. Præerant autem his copiis Neoptolemus & Archelaüs, duo fratres; & ipſe Rex per ſe adminiſtrabat plurima. Inter auxilia verò Arcathias ipſius filius adduxerat ex Armenia minore decem millia equitum. Dorylaüs phalangitis præerat. Craterus 130 falcatis curribus. Tantus fuit utrinque apparatus, cùm primùm moverunt contra ſe invicem Romani & Mithridates circa 170. Olympiadem. *Id. ibid.*

Ut verò ad Amnium fluvium in latis campis conſpexerunt ſe Nicomedes & Duces Mithridatis, inſtruxerunt acies: Nicomedes omnes ſuos, Neoptolemus & Archelaüs expeditos tantùm; & equites Arcathiæ & currus aliquot; nam Phalanx adhuc erat in itinere. Eminebat campis ſaxoſus tumulus, quem paucis eò miſſis occuparant, ne circumvenirentur à Bithynis numero longè ſuperantibus: ex quo ſuos depulſos videns Neoptolemus, tantò magis circunventionem metuens, feſtinus ſuccurrit, accito ſimul Arcathia. Id animadvertens Nicomedes occurrit, moxque cruentum certamen commiſſum eſt. Tandem Bithynus connixus, hoſtes propulſos fugabat, donec Archelaüs à

dextro eorum tranſcurrens, perſecutores invaſit; quibus mox in eum converſis cedebat paulatim, ut Neoptolemus cum ſuis poſſet ſe è fuga recipere. Quod ubi factum cogitavit, ad pugnam revertit. Tum verò immiſſi in Bithynos falcati currus magno impetu, alios in duas, alios in plures partes lacerabant; quod maximè illos perterruit, dum vident dimidiatos viros ſpirantes adhuc, aut in multa fruſta diſcerptos, aut artus pendentes à curribus; ut fœditate magis ſpectaculi, quàm pugnâ victi turbârint præ metu ordines. Turbatos Archelaüs à fronte, Neoptolemus & Arcathias è fugâ reverſi, à tergo aggreſſi ſunt. Illi in utroſque obverſi diu repugnaverunt: tandem poſt magnam ſuorum ſtragem Nicomedes fugit cum reliquis in Paphlagoniam; cùm Phalanx Mithridatis ire interfuerit quidem huic prælio. Venerunt & caſtra in poteſtatem cum pecuniis & captivorum magno numero; quos omnes Mithridates benignè tractatos dimiſit domum cum viatico, ut apud hoſtes pararet ſibi opinionem clementiæ. *Id. pag.* 182.

Tunc Nicomedes prope Manium caſtra admovit. Mithridates Scorobam montem aſcendit, qui eſt Bithynorum & Ponticorum confinium. Hujus antecurſores 100 equites Sarmatæ, cùm fortè offendiſſent 800 Nicomedis equites, ceperunt ex eis aliquot, hos Mithridates remiſit in patriam cum viatico. Manium retrocedentem Neoptolemus & Nemanes Armenius circa primum Pachium aſſecuti hora ſeptima, cùm abiiſſet Nicomedes ad Caſſium, coëgerunt pugnare, ducentem equitum quatuor millia, peditum verò decuplum; cæſiſque decem millibus, trecentos vivos ceperunt, quos ſimiliter Mithridates ad ſe adductos re-

miſit, captans favorem hoſtium. Manius caſtra quoque amiſit ipſe, fugienſque ad Sangarium fluvium, noctu eum trajecit, & evaſit in Pergamum. *Id. pag.* 184.

Caſſius Nicomedeſque & cæteri, quotquot Legati Romani aderant, moverunt caſtra in Leontocephalen, quod eſt Phrygiæ caſtellum munitiſſimum, ubi novitiam tironum multitudinem collectam ex opificibus, aut agricolis, aut plebe infima, in armis exercebant, & novos ex Phrygia delectus faciebant; ſed cùm utrique pigri eſſent ad officium, noluerunt ampliùs facere negotium viris imbellibus; dimiſſiſque omnibus receſſerunt, Caſſius Apameam cum ſuis copiis, Nicomedes Pergamum, Manius versùs Rododum. Quæ ubi audierunt oris Ponti cuſtodes, diſperſi ſunt, clauſtris Ponti & Nicomedis navibus Mithridati traditis. *Id. ibid.*

Cùm autem Mithridatis humanitas omnium ſermonibus celebraretur, ſtatim univerſæ civitates certatim ſe ejus partibus adjunxerunt. Itaque cernere erat Legatos ſingularum urbium decretis publicis eum invitantes, *Deum*que ac *Servatorem* appellantes. Adventuque Regis cognito, cuncti è civitatibus effuſi in veſte candida illum ingenti lætitiâ excipiebant. *Diod. Sicul. in Excerp. Valeſ. pag.* 401. Dominumque ac Patrem, Conſervatorem Aſiæ, Evium, Dionyſium, Nyſium, Bromium, Bacchum nominantes. *Cicero pro Flacco.*

Mithridates uno impetu potitus totâ Nicomedis ditione, obibat eam, civitates conſtituens atque ordinans. *Appian. pag.* 183. cùm Nicomedes in Italiam ſe ſubduxiſſet. *Memnon. cap.* 33. Ingreſſus deindè Phrygiam Populi Romani cum ingenti exercitu. *Lucius lib.* 77. uſus eſt Alexandri diverſorio; fauſtum omen pu-

tans, ſi, ubi Alexander interquievit, pernoctaret Mithridates. Atque ita Myſiam Aſiamque, Romanorum Provincias recentes, percurrebat. *Appian. pag.* 183.

Miſſis etiam circumquaque ſuis Ducibus, ſubegit Lyciam & Pamphyliam, aliaque uſque ad Ioniam. *Id. pag.* 184. Paphlagoniam quoque invaſit, pulſo ex eâ Rege amico Populi Romani Pylæmene. *Eutrop. lib.* 8.

Athenionem Athenionis Peripatetici ex ſervâ Ægyptiâ filium, Athenienſes Legatum ad Mithridatem miſerunt, qui in Regiorum amicorum numerum receptus, litteris ſuis ad rerum novarum ſpem eos erigebat. *Athenæus lib.* 5. *cap.* 13.

Laodicenſes autem Lyci accolas adhuc reſiſtentes, ad quos Q. Oppius cum equitibus & mercenario milite ſe receperat, per præconem ad mœnia miſſum invitavit Mithridates, iis promittens ſecuritatem, ſi Oppium ei dediderint; qui, audito præcone, ipſum Oppium adduxerunt ad Mithridatem, præcedentibus Lictoribus in ludibrium. Eum Mithridates illæſum & ſolutum circumducebat, oſtentans captivum Ducem Romanum. *Appian. pag.* 184.

Prævalentibus per Aſiam Mithridatis partibus, cùm urbes omnes miro quodam impetu deficerent à Romanis, Lesbii non ſolùm ſe ipſos Regi tradere conſtituerunt, ſed etiam Aquilium, qui Mytilenas confugerat, ibique ex morbo curabatur, Mithridati prodere. Itaque lectos juvenes corporum robore præſtantes, ad ejus diverſorium miſerunt. Hi facto ſimul impetu correptum Aquilium vinxere, rati ſe pulcherrimum munus ac Mithridati gratiſſimum oblaturos eſſe. Verùm

ille, tametſi admodùm juvenis, facinus heroicum aggreſſus eſt: præventis enim à quibus abducendus erat, mortem contumeliâ ac ſervilibus tormentis leviorem eſſe arbitratus, manus ſibi attulit. *Diod. Sicul. in Excerpt. Valeſ. pag.* 401.

Attamen contrarium ſcribunt ſequentes Scriptores. Nec multò poſt M. Aquilium Legationis hujus & belli autorem præcipuum captum vinctumque in Aſino Rex circumvehebat, coactum ſuapte voce apud ſpectatores proclamare ſe eſſe Manium. *Appian. pag.* 184.

Idemque Manius longâ nexus catenâ cum Baſtarne quodam procero cubitos quinque, pedes ab equite interdum trahebatur. Tandem hoc Populi Romani Legato verberibus atque omni ſuppliciorum genere excruciato Pergami; *Athen. ut ſupra.* aurum liquatum in os ejus infudit Mithridates, corruptelas largitionum exprobrans Romano nomini. *Appian. pag.* 184.

Ordinatis deindè Satrapis adivit Magneſiam, Epheſum & Mytilenem, hilariter exceptus ab omnibus; Epheſiis etiam Romanorum effigies apud ſe poſitas tollentibus. *Id. ibid.*

Eo favore civitatum exceptus Mithridates, multum ibi auri argentique, ſtudio veterum Regum, magnumque belli apparatum invenit, quibus inſtructus debita civitatibus publica privataque remiſit, & vacationem quinquennii conceſſit. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 5.

Ex Ionia revertens, cepit Stratoniceam, mulctavitque pecuniâ, & impoſuit ei præſidium: ubi conſpicatus formoſam virginem recepit in ſuum gynæcæum Monimiam, Philopæmenis filiam. Cum Magnetibus autem & Paphlagonibus Lyciiſque propter præſidia

reſiſtentibus bellum continuabat. *Appian. pag.* 184.

Itali defectores ad Mithridatem miſerunt, ut in Italiam adversùs Romanos adduceret copias; ita enim facilè conjunctis copiis poſſe Romanorum vires deturbari. Quibus ille reſponſum dedit, ducturum ſe copias in Italiam, poſtquàm Aſiam ſubegerit. *Bibliot. Phot. Cod.* 244.

Dum hæc Mithridates gerit, Romani, auditâ primâ ejus irruptione in Aſiam, expeditionem contra eum decernunt, quamvis domeſticis aliàs ſeditionibus & bello ſociali diſtenti, Italis ferè omnibus, aliis poſt alios, deficientibus. *Appian. pag.* 184. Sed Mithridatis reſponſione, Italis omnibus deſpondentibus, bellum ſociale, ſive *Marſicum*, ſopitum eſt. *Bibliot. Phot. ut ſupra.*

Cùm autem Provincias ſortirentur Conſules, Aſia Cornelio Syllæ obvenit, ſimulque bellum Mithridaticum. Et cùm deeſſet pecunia, Senatus-Conſultum factum eſt, ut venderetur quidquid Numa Pompilius ſolemnibus Deorum ſacris dicaverat. Tanta fuit in ſumma egeſtate honoris publici ratio; & erant jam quædam hujus generis divendita; undè novem millia librarum auri confecerant: nec plus in tantum bellum inſumpſerunt. Ceterùm Sylla diu ſeditionibus retentus eſt. *Appian. pag.* 185.

Quo tempore Mithridates & contra Rhodios plures naves fabricavit, & Satrapis omnibus civitatumque Magiſtratibus ſcripſit ſecretas litteras, ut univerſi ad eam diem trigeſimam invaderent armis Romanos Italoſque hoſpites cum uxoribus, liberis, ceteriſque ingenuis domeſticis, Italici generis, & occiſos inſepul-

tos abjicerent, ut bona eorum partim Regi, partim percuſſoribus cederent: per præconem etiam interminatus eſt mulctam cæſos ſepelientibus, aut vivos celantibus, præmio propoſito iis qui latitantes tollerent, pollicitus ſervo libertatem, ſi herum occideret; debitori verò, creditorem meanti, dimidium debitæ pecuniæ. His clàm ad omnes ſimul ſcriptis, ubi ſtatuta dies venit, variæ calamitatum ſpecies erant per Aſiam. *Appian. pag.* 185.

Epheſii è Dianæ templo, ab ipſarum ſtatuarum complexu diſtractos interficiebant. Pergameni eos, qui in ædem Æſculapii confugerant, cùm nollent abſcedere, Statuis hærentes ſagittis configebant. Adramyſteni abnatare conatos in mare perſequendo necabant, ſimulque infantes eorum ſubmergebant. Caunii, Antiocho devicto, attributi Rhodiis & paulò antè, Senatu Romano autore, juri ſuo redditi, Italos qui ad ſacratam ejus civitatis Curiam confugerant, ab ipſis aris protraxerunt: cæſiſque priùs in conſpectu matrum infantibus, ipſas deindè, & poſtremò earum maritos, interemerunt. *Id. ibid.* Tralliani ipſi quidem neminem occiderunt; ſed Theophilum quendam Paphlagonem, hominem trucem, *Ex Dione in Excerpt. Valeſ. pag.* 643. qui in ædem Concordiæ concluſos tam immaniter contrucidavit, ut Statuas complectentibus manus amputaret. *Appian. pag.* 185.

Apud Mytilenæos P. Rutilius Rufus exulans, crudelitatem Regis in togatos, ſoccos & pallium aſſumendo, homo Conſularis vitavit. *Cicero pro Rabirio poſtumo.* Ejuſmodi verò veſtitûs mutatione uſi & alii Romani, ut imminens periculum effugerent. *Athen. lib.* 5.

*cap.*

*cap.* 11. Occiſorum autem hoc uno die numerus 80. millium fuit, Memnoni *cap.* 33. & Valerio Maximo *lib.* 9. *cap.* non 150. millium, ut placet Plutarcho *in Sylla*, & Dioni *Legat.* 36.

Mithridates in Coum trajecit, ubi exceptus à libentibus, Alexandri filium cum multis pecuniis in Coo relictum à Cleopatra avia & à Cois ſibi deditum aſſumpſit, educavitque regiè, & è theſauris Cleopatræ magnas divitias, artificum opera egregia, gemmas, mundum muliebrem, magnamque vim pecuniæ miſit in Pontum. *Appian. pag.* 186. Judæorum etiam 800. talenta Mithridatem abſtuliſſe à Judæis Aſiaticis ad templum Croſo-Cymitanum deferenda memorat. *Joſephus lib.* 14. *pag.* 12.

Interea Rhodii mœnia portuſque munierunt & inſtruxerunt machinis, adjuvantibus nonnullis Telmiſſenſibus & Lyciis, & quotquot Itali evaſerant ex Aſia, qui Rhodi habebant receptaculum, in hiſque L. Caſſius Proconſul Aſiæ. Adventante autem cum claſſe Mithridate, ſuburbia diruerunt Rhodii, ne hoſtibus eſſent uſui, naves quoque ad pugnam inſtruxerunt, alias à fronte, alias à lateribus. Mithridates quinquereme circum ſuos volitans, juſſit naves ordine longo extendi in cornua, ut remigio concitatæ hoſticas circumvenirent, pauciores numero. Id veriti Rhodii paulatim cedebant, deinde verſis proris in portum confugerunt; quo firmato repagulis, à mœnibus propugnando Regem arcebant. Ille caſtrametatus in proximo, & ſæpè portum expugnare fruſtrà aggreſſus, expectabat terreſtres copias ex Aſia. *Appian. pag.* 186.

Poſt multas velitatunculas, properè ortum eſt acre

prælium, Mithridate prægravante propter iram & multitudinem navium, Rhodiis verò arte naves ejus circumvenientibus & ſubvertentibus. Damagoras claſſis Rhodiorum præfectus, poſt ſolis occaſum, cum ſex navibus, 25. regias adortus, duas ex iis demerſit, duas item alias in Lyciam compulit, & nocte in alto exactâ, reverſus eſt. In quo certamine, navem Mithridatis ſuos hortantis Chia ſocia per tumultum impacta concuſſit, propèque fuit, ut ipſa Rex in hoſtium manus veniret. Deindè terreſtres copias ad Mithridatem ex Aſia navigantes in onerariis & triremibus, turbo repentinus ad Rhodum tranſverſus appulit; quas turbatas adhuc tempeſtateque diſperſas aggreſſi Rhodii, partim ceperunt, partim perforârunt, incenderuntque, & 400. captivos abduxerunt. Ad extremum Mithridates, Sambuca machinâ & ſcalis ad urbis oppugnationem fruſtrà admotis, victus cum ignominia à Rhodo receſſit. *Appian. ibid. pag.* 187. *cum Memnone cap.* 33.

Obſeſſis deindè Pataris *Lyciæ*, Mithridates cædebat in Latonæ luco arbores ad machinas conſtruendas, donec minaci ſomno juſſus eſt abſtinere à ſacris arboribus: relictoque ad bellum in Lycia continuandum Pelopidâ, Archelaum miſit in Græciam, ut ſuadendo cogendove quotquot poſſet civitates, ad partes ſuas adduceret. Ipſe poſthac pleraſque curas committens ſuis ducibus, delectus habebat militum, arma fabricabat, & oblectabatur ſe cum Stratonicenſi Momina, ac pro tribunali ſedens cognoſcebat cauſas eorum, qui dicerentur inſidiati ejus ſaluti, aut res novas moliti, aut quomodocumque in Romanos proclives. *Appian. pag.* 188.

Archelaüs Præfectus Regis cum 120. millibus equitum ac peditum in Achaiam præmiſſus, Athenas ab Ariſtione Athenienſi traditas accepit. *Lucius lib.* 78. Deindè profectus cum claſſe & cibariis Delum, quæ ab Athenienſibus defecerat, & alia caſtella expugnavit, cæſoque in iis 20. millibus hominum, quorum plerique fuerant Itali, ea caſtella Athenienſibus attribuit, atque his aliiſque modis jactans & extollens res Mithridatis, eum populum amicum ſociumque Regi reddidit. Pecuniam quoque Apollini dicatam è Delo Athenienſibus miſit, ſimul miſſis ad cuſtodiam pecuniæ duobus millibus militum, quorum operâ uſus Ariſtion, tyrannum egit in patria, civibus aliis occiſis propter factionem Romanam, aliis Mithridati traditis. *Appian. pag.* 188. *&* 189.

Eodem tempore Metrophanes ſubmiſſus à Mithridate cum alia manu militum, Eubοæam Demetriadis Magneſiæque, quæ civitates à factione regiâ abhorrebant, populabatur. Quem Bryttius ſura, Prætoris Macedoniæ Sextii Legatus, *apud Plutarchum*, aggreſſus, cum exiguis copiis navali pugnâ certavit, demersâque unâ nave magnâ, & unâ hemiolâ, omnes ſocios navales qui in eis erant, occîdit, inſpectante Metrophane. Ille territus fugit; & quia ſecundo vento navigantem Bryttius aſſequi non poterat, Scyathum expugnavit, quæ prædonum barbarorum èrat receptaculum. Quos in poteſtatem redactos, ſervos in crucem egit, liberos mulctavit abſciſſis manibus. Indè Bæotiam petiit, auctuſque aliis millè partim equitibus, partim peditibus, è Macedonia profectis, circa Chroneam cum Ariſtione & Archelao per continuum triduum dubio Marte

conflictatus eſt: ſed poſtquam ad hoſtes ſupervenerunt Lacedæmoniorum & Achæorum auxilia, ratus ſe jam imparem, caſtra movit ad Piræum, quem & ipſum poſt Archelaüs claſſe occupavit. *Appian. pag.* 189. *&* 190.

Ex filiis Mithridatis unus in Ponto & Boſphoro, vetus regnum uſque ad ſolitudines ſuper Mæotim lacum, adverſante nullo, obtinebat. Alter Ariarathes ingentibus copiis Thraciam & Macedoniam inſiſtebat ſubigere. Alias oras domabant cum exercitibus Duces ejus; quorum Archelaüs Princeps claſſe fermè totum obtinens pelagus, inſulas Cycladas in ditionem redigebat, aliaſque quotquot intra Maleam poſitæ ſunt, ipſamque tenebat Eubæam. *Plutarch. in Sylla pag.* 458. Eretria quoque & Chalcis, adeòque tota Eubæa, ad Mithridatis partes acceſſerunt. *Memnon. cap.* 34.

Tandem Sylla Mithridaticum bellum ſortitus Proconſulari poteſtate cum quinque legionibus & cohortibus aliiſque in Græciam profectus eſt. Sedebat tunc Pergami Mithridates, opes, dynaſtias, & dominatus amicis diſpertiens. Memorant, quo tempore claſſem Sylla ab Italia ſolvit, in aliis quæ agenti Pergami Mithridati oblata fuerunt miraculis, victoriam coronatam; quæ à Pergamenis ſupernè demittebatur machinis, cùm penè attingeret caput ejus, labefactatam & delapſam coronam in theatro ad ſolum diſtractam, atque indè horrore populum, Mithridatem ingenti fuiſſe conſternatione perculſum, licet omnia ei id temporis ex ſententia procederent. *Plutarch. in Sylla pag.* 458.

Mox Sylla in Græciam appulit, ſtatimque pecunias

& auxilia commeatuſque accerſivit ex Ætolia & Theſſalia. Ubi verò ſatis paratus viſus eſt contra Archelaum, tranſivit in Atticam, miſsâ parte copiarum ad oppugnandum in urbe Ariſtionem. Ipſe rectà Piræum petit, ubi Archelaüs intra muros ſe receperat; poſtque multas dimicationes, novis à Mithridate copiis receptis, Archelaüs extra mœnia exiit; ſed repulſis copiis, ipſe fune intra urbem ſubductus eſt. *Appian. pag.* 191. *&* 192.

Jam hyems appetebat, cùm ad Eleuſinem caſtra metatus, foſſam à montibus ad mare profundam deduxit, ne facilè incurſaretur ab equitatu hoſtium; cùmque navibus indigeret, Rhodum miſit, qui eas accerſerent. Rhodii, cùm non poſſent mare, vagantibus Mithridatis claſſibus, ad auxilium ferendum trajicere, Lucullum unum ex Legatis Syllæ, juſſerunt clàm navigare in Syriam & Alexandriam. *Id. pag.* 192.

Intereà Arcathias Mithridatis filius, cum exercitu alio Macedoniam ingreſſus, paucos Romanos præſidio Provinciæ relictos profligavit, ſubactâque totâ Macedoniâ, & in Satrapias diviſâ, ipſe contra Syllam profectus, in itinere circa Tiddæum, morbo prægravante obiit. *Id. pag.* 193.

Sylla Athenas vehementiſſima fame oppreſſas tandem cepit Kalendis Martii. Ariſtion in arcem confugit, incenſo priùs Odeo, ne ex ejus trabibus ad oppugnationem arcis pararet: Sylla urbem incendi non paſſus, in prædam conceſſit militi. Ariſtio aquæ penuriâ tandem arcem dedere coactus, ultimo eſt ſupplicio affectus. *Id. pag.* 195.

Urbe captâ, Sylla Piræum, in quo erat Archelaüs,

obſedit; ſed Romanis claſſe tùm carentibus, Theſſaliam per Bœotos petiit, & circa Thermopylas recolligebat reliquias tum eorum, quos ipſe in Græciam adduxerat, tum eorum qui Dromichetæ ductu eodem venerant. Accerſiit & eos, qui Arcathiam Regis filium in Macedoniam ſecuti fuerant, manum recentiſſimam, nulliſque ſupplementis egentem, & recentiorem etiam aliam, quam tum primùm Mithridates ſubmiſerat; nunquam enim ceſſabat copias mittere. *Id. pag.* 196.

In exercitu Archelai, erant Taxiles Mithridatis Dux, qui ex Thracia & Macedonia 100. millia peditum & 10 equitum, currus falcatos 90. adduxerat, & ipſe Archelaüs cum ſuis; qui ambo, commiſſis agminibus, 120. millia hominum ſub ſignis habebant. Sylla L. Hortenſio aſſumpto, qui 6000. ex Italia ſecum adduxerat, cum ſuis legionibus ne tertiam quidem partem hoſtium numero adæquans, ad Chæroneam tamen congreſſus victoriam conſecutus eſt, cæſis millibus Mithridaticis 110. vel 100. ut in Livii Epitome habetur. Caſtris autem à Sylla expugnatis, ad Chalcidem fugit Archelaüs, cùm non multò pluſquam decies mille ſuperſtites eſſent. E Romanis primùm quindecim viri deſiderati ſunt; poſteà tamen ex his duo reverſi ſunt, falsò periiſſe crediti. *Appian. pag.* 198. & 199.

Mithridates, auditâ tantâ clade, territus, ut par erat, nihilominus novos delectus habuit ex omnibus ſibi ſubjectis gentibus; ratuſque non defore, qui ſibi victo vel nunc vel per aliam occaſionem ſtruant inſidias, omnes ſuſpectos colligebat, priuſquàm bellum denuò crudeſceret. *Id. pag.* 200.

At primùm Gallo-Græcorum Tetrarchas, & quos

circa ſe habebat in amicorum cohorte, & qui nondum erant ſubditi, omnes necavit cum liberis & uxoribus, exceptis tribus fugâ ſervatis. Horum alios inſidiis oppreſſit; alios unâ nocte peremit in convivio, putans neminem eorum in fide conſtantem, ſi Sylla veniat: confiſcatiſque bonis eorum, in civitates induxit præſidia, & genti Satrapam Eumachum impoſuit. Eum mox Tetrarchæ, qui evaſerant, collecta ex agris manu clientum, ejecerunt cum ſuis præſidiis è Gallo-Græcia, ut Mithridates nihil ex ea gente reliquum habuerit, præter pecuniam. *Id. ibid.*

Chiis quoque iratus jam indè ex quo navis eorum imprudens in regiam impegerat, in navali contra Rhodios prælio, primùm publicavit bona civium, qui ad Syllam profugerant: deindè miſit qui apud Chios in factionem Romanam inquirerent. Poſtremò *Zenobius*, (vel ut Memnon vult, *Dorylaus*) cum exercitu eò appulſus, quaſi trajecturus in Græciam, muros Chiorum & munitiora loca noctu occupavit, additisque ad portas cuſtodiis, cives in concionem vocatos, arma & obſides, ſelectos optimatum liberos, ſibi tradere compulit; quæ omnia Erythras confeſtim miſit. Regiæ deindè venerunt litteræ duorum talentorum millium mulctam à Chiis exigentes: ad quam ſolvendam ornamenta templorum & mundum muliebrem conferre coacti ſunt. *Id. ibid. & Memnon. cap.* 35.

Zenobius verò cauſatus deeſſe aliquid juſto ponderi, in naves, ſeorſum viros, ſeorſum mulieres ac pueros, imponendos curavit; & agris inter Ponticos diviſis, divulſos à patriâ miſeros Chios in Pontum Euxinum ad Mithridatem miſit. *Appian pag.* 201.

At Heraclienſes, quibus cum Chiis amicitia interceſſit, Ponticas in tranſitu naves, quæ captivos vehebant, adorti, ne reſiſtentes quidem (non enim ſat virium erat,) in urbem ſuam deduxere. Et tunc quidem largè rebus neceſſariis ſuppeditatis, Chiotas refecerunt, poſtmodùm verò, eximiis affectos muneribus, eos in patriam reſtituerunt. *Memn. ibid.*

Epheſii Zenobium cum militibus accedentem juſſerunt ad portam arma deponere, & cum paucis in urbem ingredi. Tulit hoc ille, & divertens ad Philopæmenem patrem Monimæ à Mithridate adamatæ, quem Rex præſidem & cuſtodem ei civitati reliquerat, per præconem ad concionem evocavit Epheſios. Qui nihil ſuave ab eo expectantes, rem diſtulerunt in ſequentem diem; & noctu congregati cohortatique ſe mutuò, Zenobium in carcerem truſum necârunt, ſimulque muris appoſito præſidio, multitudinem armatam centuriabant, fruges ex agris comportabant, & juventutem in ſua poteſtate retinebant. Quibus audîtis, Tralliani, Hypæpeni, Meliopolitæ, & quidam alii, (in quibus Smyrnæi, Sardiani & Colophonii ab Oroſio, *lib.* 6. *cap.* 2. numerantur) Chiorum calamitate perterriti, Epheſiorum ſunt exemplum ſubſecuti. *Appian. ibidem.*

Mithridates autem miſſo contra deſciſcentes exercitu, in vi receptos graviter ſæviebat, & timens ceterorum defectionem, civitates Græcas libertate donabat, debitoribus remiſſionem per præconem pollicens, inquilinis verò jus civitatis, in ſuo cuique oppido, & ſervis libertatem: ſperans fore, quod accidit, ut obærati inquilini ſervique hoc beneficio devincti,

potentiam

potentiam ſuam propugnarent acriter. *Appian. pag.* 202.

Interea Mynio & Philotimus Smyrnæi, Chiſthenes & Aſclepiodorus Lesbii, omnes familiares Regis; Aſclepiodorus verò fuerat etiam Dux aliquando mercenariorum ejus militum, conſpirârunt in Mithridatem. Cujus conſpirationis Aſclepiodorus ipſe fuit index, & ut verbis ſuis fidem pararet, effecit ut Rex lecto quodam tectus Mynionem audiret. Ita proditis inſidiis, ſocii conſpirationis excruciati perierunt; ſed eâdem die de multis ſuſpicio ſuborta eſt. Ut verò etiam Pergameni 80. ob ſimilia conſilia capti ſunt, & in aliis civitatibus alii plurimi. Scrutatores miſit Rex circa omnes populos, qui inimicos ſuum quiſque indicando, ſuſtulerunt circiter 1600. homines. Accuſatores verò, non multò pòſt, aut à Sylla ſunt affecti ſupplicio, aut ſe ipſos interemerunt, aut fugienti in Pontum Mithridati ſe adjunxerunt comites. *Id. ibid.*

Dum hæc in Aſia geruntur, Sylla ex diverſis locis accepit, regionem, quam retrò reliquerat, non minore quàm anteà exercitu regio conculcari. Siquidem Dorylaüs, qui Chalcidem appulerat grandi claſſe, quâ advexerat armatorum 80. millia, qui erant in omnibus Mithridatis militibus optimè exercitati & inſtructi: confeſtim Bæotiam incurrit, atque eâ orâ potitus, contendit Syllam ad dimicandum elicere. *Plutarch. in Sylla pag.* 565.

Dorylaüs duxit exercitum ad Archelaum habentem adhuc ex prioribus copiis reliqua decem millia. Sylla verò cum eo ad Orchomenium caſtra contulit. Ut verò vidit adventantis equitatûs multitudinem, multas foſſas per campum fodit, latas decem pedes, venientem-

que Archelaum excepit inſtructâ acie. Romanis autem contra tantum equitatum ſegniter pugnantibus, obequitans diu hortatus eſt eos non ſine minis : & cùm ne ſic quidem proficeret, deſiliit ab equo, & correpto ſigno, procurrit inter duas acies cum ſatellitibus, clamans: *Si quis vos, milites, rogaverit, ubinam Syllam Imperatorem veſtrum prodideritis, reſpondete, pugnantem ad Orchomenum.* Tum Præfecti ejus periculo moti, ſuccurrerunt è ſuis ordinibus: quos præ pudore ſecuta cetera multitudo, cedere coëgit hoſtem, qui modò urgebat ferociter. Atque ita facto initio victoriæ, Sylla rursùm aſcenſo equo, laudabat milites ubique præſens hortator, donec vicit egregiè, cæſis circiter 15000. hoſtium, quorum major pars fuerant equites; & inter hos filius Archelai *Diogenes* cecidit; pedites intra caſtra compulſi ſunt. *Appian. pag.* 202. *&* 203.

Tum Sylla veritus, ne Archelaüs ſe navibus adhuc carentem rurſum effugeret in Chalcidem, toto campo nocturnas ſtationes diſpoſuit; & inſequenti die ne integro quidem ſtadio procul ab ejus caſtris foſſam duxit; illo intra vallum ſeſe continente. Quo maximè tempore adhortatus eſt exercitum, ut reliquias belli conficeret, hoſtibus in conſpectum prodire non ſuſtinentibus: ſimulque ad oppugnationem duxit. *Id. ibid.*

Ita utrimque clamore ac impetu coorto, multa edebantur militaria facinora. Jamque angulum quemdam valli convellebant Romani, ſcutis protecti, cum barbari id animadvertentes, circumſteterunt angulum, ſtrictis gladiis propugnaturi cominùs. Nec auſus eſt quiſquam irruere, donec Baſillus Tribunus legionis primus inſiliit & ſtravit obvium. Tum verò univerſus

exercitus conſecutus eſt cum magnâ fugâ ſtrageque barbarorum: dum alii cæduntur incurſu, alii compelluntur in lacum proximum, & imperiti natandi preces fruſtrà effundunt, non intellectas ſuis percuſſoribus. Archelaüs in paludem quandam ſe abdidit nudus; ubi cùm dies duos, ut vult *Plutarch. in Sylla*, vel triduo, ut *Eutrop. lib. 5.* delituiſſet, nactus naviculam, trajecit Chalcidem, & quidquid uſquam erat copiarum Mithridatis properè convocavit. *Appian. pag.* 203.

Sylla poſtero die Tribunum coronâ donavit, & aliis alia dedit dona militaria; deindè Bæotiam continuis defectionibus nutantem diripuit; tranſgreſſuſque in Theſſaliam, hyemavit, Lucullum expectans cum navibus. Et quia nihil comperti habebat de eò, naves alias fabricavit. *Idem pag.* 204.

Interea Marius & Cinna Syllæ inimici, illum in urbe hoſtem indicarunt; & Cinna Flaccum miſit in Aſiam cum duabus legionibus, ut pro Sylla jam hoſte declarato Provinciæ præeſſet, ac bellum contra Mithridatem gereret. Eum rei militaris imperitum comitatus eſt unus ex Senatoribus Fimbria, vir non contemnendæ autoritatis apud milites. His è Brunduſio trans mare navigantibus, multæ naves tempeſtate confractæ ſunt, & præcurſorias earum incendit novus exercitus ſubmiſſus à Mithridate. *Id. ibid.*

Fimbria, cæſo in Bithynia Flacco, & exercitu occupato, Imperator jam appellatus, civitates ſibi adjungens, Cyzicum venit. Mithridates filius, cum Taxile & Diophanto & Menandro ductorum præſtantiſſimis conjunctus, & magno agmine inſtructus Fimbriæ occurſavit. Cumque illi numero militum longè

ſuperiores eſſent, detrimenta in conflictu accepit. Sed cùm ad flumen quoddam perventum eſſet, quod utrumque exercitum dividebat, imbre ſub auroram fortè effuſo, ex improviſo Fimbria flumen trangreſſus, hoſtes in tentoriis ſomno gravatos ita oppreſſit, ut ne ſentirent quidem; & magnâ ſtrage editâ, præfectorum non multi & equites necem effugêrunt. *Memn.cap.* 36.

Mithridates filius ex Aſia ad Miletopolim, indè Pergamum ad patrem, unà cum equitum comitatu, ſalvus evaſit. Fimbria verò ſtationem Regis invadens, ipſum Pergamo expulit; urbeque captâ, fugientem in Pitanem inſecutus, obſeſſum foſsâ circumdare conatus eſt. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2.

Mithridates undique terrâ à Fimbria preſſus, circumſeſſuſque, mare reſpiciens, omnes contraxit & accerſivit ad ſe claſſes; eò quòd cum acri viro & victore ſigna conferre dubitaret. Quod advertens Fimbria, quia claſſe deficiebatur, miſit ad Lucullum oratum, claſſem ut adduceret, ac ſibi præſto eſſet ad infeſtiſſimum Populo Romano atque atrociſſimum omnium Regum capiendum. Et profectò cepiſſet, ſi Lucullus civilibus diſcordiis curam Reipublicæ prætuliſſet; eumque mari coarctare objectâ claſſe voluiſſet. Sed Lucullus non auſcultans Mithridati copiam fecit mari elabendi, & Fimbriæ deludendi exercitum. *Plut. in Lucul. pag.* 493.

Mithridate igitur, conſcenſis navibus, Mytilenen fugiente, Fimbria Provinciam obeundo mulctabat, factionem Cappadocum & agros populabatur excludentium ſe mœnibus: Illienſes autem oppugnati ab eo confugerunt ad Syllam, qui tamen iis ſuccurrere non potuit. *Appian. pag.* 205.

Interea Lucullus primùm circa Lecton Troadis regiam claſſem ſubitò oblatam profligavit, iterùmque ad Tenedum. *Plutarch. in Lucul. ibid. & ſuprà.*

Mithridates poſtquàm etiam ad Orchomenum, cladem acceptam audivit, reputans ex quo exercitum in Græciam miſit, tam multos tam citò deſideratos, ſcripſit Archelao, ut faceret pacem quàm honeſtiſſimis poſſet conditionibus. Congreſſi in mari ſunt circa Delum, ubi templum Apollinis eſt. Exorſus orationem Archelaüs, poſtulavit à Sylla, ut expeditione relictâ Aſianâ & Ponticâ, ad bellum civile proficiſceretur, Regem ei argenti, navium, militum, quantum vellet præbiturum. Excipiens Sylla hortatus eſt eum, Mithridatem ut relinqueret, ipſe loco illius regnaret, appellaturum ſe eum ſocium & amicum Romanorum, ſi claſſem Regis ſibi tradidiſſet. Proditionem Archelao deteſtante, pacis tandem cum Rege ineundæ leges à Sylla ſunt propoſitæ. *Plutarch. in Sylla pag.* 466. His auditis Archelaüs continuò deducebat omnia præſidia: de ceteris conditionibus ſcripſit Regi ſuo. *Appian. pag.* 207.

His pactis, digreſſus Sylla tendit per Theſſaliam & Macedoniam ad Helleſpontum, honorificè Archelaum ſecum habens. Qui cùm propè Lariſſam periculoſum in morbum incidiſſet, Sylla inhibita profectione, non aliter ac ſi quiſpiam ſuis è Ducibus & Prætoribus fuiſſet, curam ejus habuit quàm maximam. Quod ſuſpicionem auxit, haud bonâ fide ab Archelao ad Chæroneam pugnatum fuiſſe. *Plutarch. in Sylla ibid. ut ſupra.*

Cùmque Legati à Mithridate reverſi, cetera pro-

barent, ſolam excipientes Paphlagoniam, *Appian. ibid.* & navium traditionem, *Plutarch. ibid.* addiderunt æquiores conditiones ſe impetraturos fuiſſe ab altero Imperatore Fimbria. Tum Sylla moleſtè ferens hanc collationem, reſpondit, & Fimbriam pœnas daturum, & ſe quàm primùm attigerit Aſiam, viſurum num pace an bello Mithridates opus habeat. *Appian. ibid.* Archelaüs à Sylla tamen obtinuit, ut ipſemet ad Mithridatem allegaretur. *Plutarch. in Sylla pag.* 467.

Reverſus à Mithridate Archelaüs, apud Philippos in Macedonia Syllæ occurrit, omnia nuntians ex ſententia eſſe, cupere autem ante omnia Mithridatem ipſum convenire. *Plutarch. in Sylla ibid. Appian. ibid.*

Itaque Sylla movit à Cypſelis, Mithridates à Pergamo, & congreſſi ſunt ad oppidum Troadis Dardanum. Habebat ibi Mithridates ſecum naves remigio inſtructas 200. & terreſtrium copiarum 20000. equites 6000. & curruum falcatorum vim magnam. Syllam cohortes 4. & equites 200. comitabantur. Hoc igitur in loco conventum eſt; ambobus cum exiguo comitatu in campum progreſſis, inſpectante utrimque exercitu. Cùm autem Syllæ Mithridates obviam veniſſet, ac dextram porrexiſſet, interrogavit eum Sylla, acciperet-ne quibus conditionibus pepigerat Archelaüs pacem. Tacente primùm Rege, ac multis deindè querelis & criminationibus utrimque jactatis, tandem iracundâ Syllæ oratione Mithridates territus conſenſit in leges pacis Archelao datas.

Leges pacis hæ fuerunt: MITHRIDATES ROMANIS ASIA CONCEDAT, BITHYNIS ET CAPPADOCIBUS REGES PRÆSINT GENTILES. MITHRIDATI TOTIUS PONTI REGNUM

SIT CONFIRMATUM. PECULIARITER VERO SYLLÆ EXPEDIAT TRIREMES 83. M. TALENTUM, AD REDITUM QUEM IPSE ROMAM INSTITUISSET. CIVITATIBUS APUD ROMANOS HAUD SIT NOXÆ, QUOD AD MITHRIDATEM DEFECERINT. Atque ita Mithridaticum bellum ante annos 4. cœptum, ne integro quidem triennio, *Memnon. cap.* 37. finitum eſt. Sylla in Italiam remeavit, & Mithridates ad ſua ſe recepit.

Sylla Curioni juſſit, ut Nicomedem in Bithyniam, & in Cappadociam Ariobarzanem reduceret, impoſitoque tributo quinquennali Aſiæ *Appiano* 20000 talentorum, *Plutarcho* autem 50. Murenam ad ordinandas res in Aſia cum duabus Fimbrianis legionibus reliquit. Lucullus Murenæ Quæſtor fuit, *ex Cicerone in Lucullo.*

Mithridates in Pontum reverſus, multas denuò gentes, quæ propter res ejus adverſas ab illo defecerant, ſub poteſtatem ſuam redegit. *Memnon. cap.* 37. Colchi rebelles filium ejus Mithridatem ſibi Regem poſtulârunt: quo impetrato, ſtatim redierunt ſub imperium. Id Rex ſuſpicatus factum per ambitionem filii, vocatum ad ſe vinxit aureis compedibus, nec multò poſt necavit; egregiâ hujus operâ uſus contra Fimbriam. *Appian. pag.* 214.

Adverſus Boſphoranos autem claſſem parabat & magnum exercitum, adeò ut ob magnitudinem apparatûs, mox exorta ſit opinio, non in Boſphoranos, ſed in Romanos hæc parari. Nam neque dum Ariobarzani ſolidam Cappadociæ poſſeſſionem reddiderat, retentis ſibi locis quibuſdam: & Archelaum ſuſpectum habebat, quaſi cùm eſſet in Græcia, plus æquo in

conditionibus pacis Syllæ conceſſerit. Quod ubi ille ſenſit, territus ad Murenam fugit, eumque irritando, ut prior Mithridati arma inferret. *Appian. ibid.* Archelaum ad Syllam defeciſſe ſcribit Dio *lib.* 39. Ad Syllam cum uxore liberiſque ſe contuliſſe refert *Oroſius lib.* 6. *cap.* 2. Archelaum verò cum Mithridate & in poſtremo bello, illius partes ſtrenuè admodùm defendiſſe narrat *Memnon cap.* 36. Sed ei parum fidei adhibendum.

Murena mox per Cappadociam invaſit *Comana*, urbem in regno illo maximam, & religioſo opulentoque templo inſignem, interfecitque nonnullos *Mithridatis* equites. *Appian. ibid.*

Ad Murenam Mithridates Legatos miſit, qui, cùm ipſi natione Græci eſſent, & vitæ genere Philoſophi, plus Regem culpârunt, quàm commendârunt. *Memn. cap.* 38.

Cùmque Legati objicerent fœdera, negavit ſe videre ulla fœdera: nulla enim Sylla conſcripſerat, ſed executione pactorum contentus, diſceſſerat. Hæc locutus Murena confeſtim prædas agebat, & ne à ſacris quidem pecuniis abſtinens, hiberna habuit in Cappadocia. *Appian. ibid.* Illius regreſſum Ariobarzani magis confirmavit: & circa ingreſſum regni Mithridatis, urbem Ecininam condidit. *Memnon. ibid.*

Mithridates & ad Senatum & ad Syllam miſit, qui expoſtularent de Murena. *Appian. ibid.* Murena verò pro ſe Legatos ad urbem amandavit. *Memnon. ibid.*

Interim autem trajecto Haly fluvio magno, & tum maximè imbribus tumido, 400. Mithridatis vicos incurſavit, nuſquam occurrente Rege, & expectante

Legatorum

Legatorum reditum; atque ita refertus prædâ in Phrygiam Gallo-Græciamque reverſus eſt. Ubi Callidis propter querelas Mithridatis ab urbe miſſus, nullum quidem S.C. ei obtulit; denuntiavit tamen omnibus audientibus jubere Senatum, ut à fœderato Rege abſtineat. His dictis mox in conſpectu aliorum, ſeorſum cum eo collocutus eſt: nec Murena quicquam remiſit de priſtina vehementia, tunc quoque incurſans fines Mithridatis. *Appian. ibid.*

Murenæ non pauci dederunt conſilium, ut Sinopem invadens, de regia ipſa bellum moveret: eâ enim captâ, facilè etiam cetera in poteſtatem ventura. At Mithridates, validis hac præſidiis communitâ, ipſe bello gerendo rursùs incubuit. *Memnon. ibid.* Mithridates aperto jam bello, ſe peti exiſtimans, Gordium juſſit invadere vicos ſinitimos. Ille mox jumenta multa impedimentaque & tam paganos (id eſt ruſticos) quàm milites comprehendit, & caſtra ſua Murenæ caſtris in adverſa ripa oppoſuit. Pugnæ verò neuter fecit initium, donec Mithridates venit cum majore exercitu, moxque circa fluvium commiſſum eſt magnum prælium. *Appian. pag.* 215.

Ibi Rex vi tranſivit flumen, alias quoque Murenam longè ſuperans, qui in tumulum naturâ munitum refugit Regis impetum, & indè per montanos calles properavit in Phrygiam, multis amiſſis vel in fuga, vel in prælio. Hæc tam præclara accelerataque & obiter parta victoria præpeti famâ vulgata, multos tranſtulit ad Mithridatem, qui ex Cappadocia pulſis omnibus Murenæ præſidiis, ſacrificavit *bellipotenti* Jovi, more patrio, in excelſo monte, addito ei cacumine

ex lignorum congerie, quæ ſuſtineret victimas. *Id. ibid.*

Ceterum Sylla indignum cenſente Mithridatem fœderatum bello infeſtari, miſſus eſt A. Gabinius, qui ſeriò Murenæ denuntiaret, abſtineret arma à Rege, & Mithridatem cum Ariobarzane reduceret in mutuam gratiam. In eo conventu Mithridates, obſide tradito Ariobarzani, filio quadrimulo, acceptâque parte Cappadociæ, quatenus eam occuparat præſidiis, non ſine auctuario, convivium præbuit omnibus, propoſuitque certum auri pondus his, qui bibacitate aut educitate, dicteriis, cantu, ceteriſque ſolemnibus ludicris vincerent, cujus ſolus expers fuit Gabinius. Atque ita ſecundum Mithridaticum bellum anno tertio finitum eſt. *Appian. pag.* 215. *&* 216.

Mithridates otium nactus, ſubegit Boſphorum, & genti unum ex filiis Macharem Regem dedit. Indè Achæos aggreſſus Colchis finitimos, duabus partibus exercitûs, partim inſidiatorum dolo, partim aperto Marte; atque etiam inclementiâ frigoris amiſſis, domum reverſus, in urbem miſit qui leges fœderis conſcriberent. *Appian. pag.* 216.

Ariobarzanes quoque miſit, ſive ſponte, ſive incitatus ab aliis, qui patres docerent ſe non recepiſſe Cappadociam, & majorem ejus partem retinere Mithridatem, qui juſſus à Sylla cedere Cappadocia, ceſſit. *Id. ibid.*

Rursùſque aliam legationem miſit ad ſcribendas leges fœderis; & quia defuncto jam Syllâ, magiſtratus ea de re ad Senatum non retulerunt, *Mithridates* Tigranem generum ſubornavit, ut Cappadociam inva-

deret : nec tamen id commentum Romanos latuit. *Id. ibid.*

Tigranes Cappadociâ velut indagine cinctâ, ut nemo poſſet evadere, ad trecenta millia hominum abſtraxit in Armeniam, & agros eis ad incolendum cum aliis attribuit : ubi primùm Armeniæ regni diadema ſibi impoſuit, & oppidum *Tigranocertam* à ſe denominavit, quaſi dicas *Tigranopolim. Appian. ibid.*

L. Magius & L. Fannius ab exercitu profugi Mithridati ſe adjunxerunt, eique ſuaſerunt ut cum Q. Sertorio, qui in Hiſpania tum contra Romanos arma ſumpſerat, ſocietatem belli paciſceretur. Hos ille Legatos cum litteris ad Sertorium miſit, pecuniam & naves ei ad bellum ſe præbiturum promittens, viciſſimque omnem Aſiam, quâ paulò antè, Romano fœdere cum Sylla icto, ceſſerat, ab eo confirmari ſibi poſtulans. *Cicero pro Lege Manil. & in Verrem. Plutarch. in Sertorio. Appian. pag.* 216.

Sertorius, cùm advenissent Legati, coacto conſilio, quod *Senatum* vocabat, Bythiniam & Cappadociam ſi occuparet Mithridates Regi parere aſſuetas, nec quicquam ad Populum Romanum attinentes, eas ſibi non invidere ait : fœdus itaque ſancitur : Sertorius Ducem & milites miſſurum ſe pollicetur, Mithridates autem tria millia talentûm cum 40. navibus ſeſe præbiturum promittit. *Plutarch. in Sertor.* Aſiam, Paphlagoniam & Gallo-Græciam, occupandas refert Appianus *pag.* 217. Dux mittitur M. Marius ex Senatoribus exulibus, *Plutarcho.* M. autem Varius *Appiano.* Quem Rex in locum *Archelai*, qui transfugerat, Ducem fecit. *Cicero ibid.* Cui duos *Lucios* addit Conſiliarios, *Magium* & *Fan-*

*nium*, quibus autoribus Mithridates tertium & ultimum bellum Romanis intulit, in quo totum amiſit imperium. *Appian. pag.* 217.

Mithridates igitur jam antè vires Romanas expertus, & belli ſine cauſa repentè moti nullam ſperans veniam, totus erat in apparatu, de ſumma rerum jacturus aleam, æſtatis reliquum & integram hyemem conſumpſit materie cædendâ, fabricandiſque navibus & armis. *Id. ibid.* Copias ad verum & juſtum apparatum contraxit. Detraxit enim variam multitudinem, diſſonorum minas barbarorum, armorum inauratorum & gemmis diſtinctorum inſtrumentum: quod victoribus id prædæ eſſet, non adderet tenentibus nervos. Pro his gladios fabricavit more Romano, ſcuta ſolida compegit, atque exercitatorum habuit magis quàm comptorum equorum delectum. Ad hæc naves non deauratis tabernaculis, nec balneis pellicum, & gynæciis delicatis adornatas, ſed armis, miſſilibus telis opibuſque comparavit refertas. *Plutarch. in Lucul. pag.* 496.

Frumenti 200. medimnum Myriadas ad mare detulit. Auxilia præſtò ei fuere præter veteres copias, Chalybes, Armenii, Scythæ, Tauri, Achæi, Heniochi, Leucoſyri, & qui circa Termodontem fluvium terram colunt, quam vocant Amaſonum: hæc acceſſerunt in Aſia priſtinæ potentiæ. Trans mare verò in Europa Sarmatarum gentes, Baſilii, Tazyges, Coralli, Thracum item quæcumque Iſtrum flumen, & Rhodopen Æmumque montes accolunt; & inſuper Baſternæ omnium hominum fortiſſimi. *Appian. pag.* 217.

Ineunte autem vere, decurſione factâ claſſium, *Mithridates* ſacrificavit bellipotenti Jovi, more conſueto; & Neptuno quadrigas alborum equorum in altum demerſit; atque itaproperavit in Paphlagoniam, Ducibus exercitûs *Taxile* & *Hermocrate. Id. ibid.* Peditum 120. *ex Plutarcho.* 140. *ex Appiano* erant millia ad Romanos ordines inſtructorum; equitum 16. millia, præter currus falcatos 100. Sequebatur caſtra & alia turba magna eorum, qui vias muniebant, aut deferebant ſarcinas, atque etiam negotiatorum. *Id. in Lucul. pag.* 496.

Poſtquàm ventum eſt in Paphlagoniam, Mithridates concionem ad milites habuit magniloquam, orſus de ſuis majoribus, tum de ſe ipſo, tum quam præſentem retulit à Romanis, quorum avaritiam & intemperantiam accuſavit: deindè tranſiit ad extollendas ſuas copias. His dictis irritato exercitu, invaſit Bithyniam à Nicomede nuper ſine liberis defuncto, teſtamento relictam Romano Populo. *Appian. pag.* 218.

Alia quoque quod intolerandis malis à Feneratoribus & Publicanis Romanorum eſſet oppreſſa, ad Mithridatem eſt relapſa. Mithridates cum Mario à Sertorio Duce miſſo urbes aliquot cepit; eumque in illas cum virgis & ſecuribus invectum Rex ipſe tanquam majorem poteſtatem & miniſtri ſpecie ultrò ſubſequebatur. Marius verò aliis libertatem dabat: aliis cùm immunitatem concederet, beneficio ſe facere id Sertorii dicebat. *Plutarch. in Lucul. & Sertor. pag.* 497.

M. Cotta ad Propontidem cum claſſe tuendam & ad Bithyniam propugnandam, L. verò Lucullus in Aſiam ad Mithridatem perſequendum miſſi ſunt. *Memnon.*

*cap.* 39. Lucullus conſcriptâ in Italia legione, in Aſiam cum ea trajecit, ubi duas Fimbrianas & duas alias legiones accepit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 495. At Mithridates tùm alium in procinctu habens exercitum frequentiſſimum, tùm triremes 400. Naviumque minorum, quas *penteconteres & cercuras* vocitant, non exiguus erat numerus. Diophantum etiam Mithanim, cum valida manu, in Cappadociam dimittit, ut præſidia in urbibus collocet; &, ſi Lucullus Pontum ingrediatur, occurrat, & progreſſum ejus intercludat. Ipſe verò 200000. peditum ſub vexillis apud ſe retinet, & 12000. equitum, quos falcati ſequuntur currus 120. nec ulla machinarum omnis generis copia abeſt. Concitato igitur itinere per Timonidem, Cappadociam & Galatiam pergens, ad diem nonum Bithyniam attingit. Lucullus interim Cottam in Chalcedoniorum portu ſtationem habere jubet cum omni claſſe. *Memn. cap.* 39.

Mithridatis autem claſſis Heracleam præterlegens ab ea non recipitur. Forum tamen venale rogantibus præbent & commerciis, ut fieri ſolet, initis, Archelaus copiarum navalium ductor, *quem alii partes Regis reliquiſſe dicunt*, Silenum & Satyrum, nobiles ex Heraclea viros comprehendit, nec prius dimiſit, quàm perſuaſiſſet, ut quinque triremibus ipſum in hoc cum Romanis bello adjuvarent, quo facto Romanorum inimicitiam Populus Heraclienſis ſibi conciliavit. *Idem cap.* 40.

M. Cotta multis nuntiantibus Lucullum adventare, & jam in Phrygia caſtra habere, exiſtimans triumphum ſe tantum non in manibus tenere, ne conſors

ejus Lucullus foret, cum Mithridate dimicare maturavit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 496. Marius & Eumachus Duces à Mithridate adversùs Lucullum miſſi, magno exercitu brevi congregato, cum P. Rutilio *Cottæ Legato*, apud Chalcedonem congreſſi ſunt, eumque cum plurima exercitûs ipſius parte cæciderunt. *Paul. Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2. Baſſerius Italorum pedites in fugam vertentibus, & prolixam ſtragem edentibus. *Memnon. cap.* 41.

Romani undique Chalcedonem ad Cottam confluerunt; quam urbem cùm Rex peteret, Cotta negotiis bellicis minime aſſuetus non prodiit; ſed claſſis ejus Præfectus nomine Nudus, cum exercitûs parte campum occupavit, quâ erat munitiſſimus, pulſuſque indè refugit ad portam Chalcedonis, laborioſe multa ſepta ſuperans, & in ipſa porta compreſſio fuit ſimul irruentium: quo factum eſt ut perſecutores nullum telum in eos fruſtra mitterent. Ut verò portæ cuſtodes demiſerunt clathros præ metu, Nudum & aliquot alios Præfectos ſubduxerunt funibus, reliqui amicos inter & hoſtes contrucidati ſunt, incaſſum manus tendentes ad utroſque. *Appian. pag.* 218.

Mithridates utendum fortunâ ratus, eâdem die claſſem ad portum admovit: præruptaque in ore portus cathena ferrea, quatuor hoſtiles naves incendit, reliquas ſexaginta ligatas ad puppes ſuarum abſtraxit, nec Nudo prohibente, nec Cottâ, qui ſe continebant intra mœnia. Deſiderata ſunt Romanorum 3000. & in his L. Manlius Senator. *Id. pag.* 219. Præter 60. naves cum viris, terra 4. peditum millia, Cottam amiſiſſe refert Plutarchus *in Lucullo pag.* 496. Uno die mare &

terram cadaveribus Romanis cæde oppleta fuiſſe narrat Memnon IIX M. in conflictu navali occiſis, IV M. & D. captis, de pedeſtri exercitu, V. M. CCC. A parte autem Mithridatis Baſternæ circiter XXX. ex reliqua multitudine ceciderunt IↃCC. *Memnon. cap.* 41.

Atque hoc fuit prælium ad Chalcedonem, quo M. Aurelius Cotta Conſul victus eſt. *Liv. lib.* 93. Cottæ res ſic & terra marique calamitoſæ, vehementer & opes Regis & nomen auxerunt. *Cicero pro Murena.* Hoc Mithridatis ſucceſſu omnium animi ſervilem in modum concidêre, ſed Lucullus ad Sangarium fluvium caſtra habens, cognitâ eâ clade, perculſos militum animos verbis erexit. *Memnon. ibid.*

Cùm Archelaus autem Mithridatis quondam in Bæotia Præfectus, qui poſt deſcivit ab eo, & tunc in præſidiis erat Romanis, ſuo tantùm conſpectu confirmaret Lucullum toto Ponti regno potiturum, negavit venatoribus ſe timidiorem eſſe, omiſſis feris ut ad vacua eorùm luſtra contenderet. Ita fatus movit in Mithridatem. Pedites habebat 30000. equites 2500. Ubi contemplatus eſt hoſtes, obſtupefactus eorum multitudine, cupiebat abſtinere à pugna & tempus ducere; ſed quia Mârius à Sertorio miſſus occurrit laceſſivitque eum, inſtruxit aciem ad confligendum; cùm jam penè concurrerent, oſtentum utroſque perculſos diremit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 496.

Mithridates cùm urbem Cyzicenam Aſiæ januam fore putaviſſet, qua effracta & revulſa tota pateret Provincia, totius belli impetum in eam transferre inſtitit. *Cicero pro Murena.* Porro Cyziceni in nupera clade Chalcedonenſi civium 3000. & 10. naves amiſerant;

Rex

Rex igitur quo Lucullum falleret, mox à cœna denſam ac nimboſam noctem nactus caſtra movit, & oriente luce oppoſitum urbi montem Adraſtiam occupavit. *Plut. in Lucul. pag.* 487. Lucullus caſtra ſua Mithridati oppoſuit, & ex transfugis quod circiter 300000. peditum ille haberet, cognovit. *Appian. pag.* 222.

Cyzicenos Rex denis ex terra caſtris cinctos, claſſe per æquor, freto quod à continente ſummoveret urbem, obturato, utrimque obſedit. Subibant illi quidem cetera forti animo pericula, & erant ad omnia acerba pro Populo Romano perpetienda obfirmati, neſciebant ubinam gentium eſſet Lucullus, Mitridatici ejus caſtra ſub oculis civium poſita, Armeniorum & Medorum eſſe auxilia, Mithridati à Tigrane miſſa, jactabant. Prinius Demonax ab Archelao in urbem miſſus, adeſſe Lucullum iis indicavit. Quibus fidem ei non habentibus, arbitrantibuſque ad levanda præſentia mala eum ficta adferre, puer adfuit captivus, qui è manibus hoſtium elapſus, digito caſtra Romana eis commonſtravit. *Plut. in Lucul. pag.* 497. Ad ipſos quoque Lucullus, ut bono animo eſſent, nuntium miſit unum ex militibus nandi peritum, qui per hoſtium naves duobus utribus ſuſpenſus, mediam ipſe regulam tenens & pedibus iter adgubernans, ſeptem millia paſſuum tranſmeavit. *Florus lib.* 3. *cap.* 5.

Conſpicatus autem Lucullus montem caſtris opportunum; quo occupato, ipſe copiam habiturus erat commeatuum, hoſtes verò inopiam, rem aggreſſus eſt ut maximi momenti ad victoriam parandam ſine periculo: cùmque unicus anguſtus eſſet in eum aditus, Mithridates hunc tenebat, valido præſidio à Taxile

Ducibuſque aliis admonitus. At L. Magius, arbiter fœderis icti cum Sertorio, poſt illius mortem, clam ad Lucullum miſerat nuntium, à quo accepta fide, perſuaſit Regi, ſineret Romanos tranſire & caſtrametari pro libito: Fimbrianus enim legiones, quæ aliquando militaſſent ſub Sertorio, velle transfugere, & facturas id prope diem. Quid igitur opus eſſe ſudore & ſanguine, quando ſine certamine vincere liceat. *Appian. pag.* 219.

Huic conſilio Mithridates imprudenter aſſenſus, ut nil ſuſpicatus, paſſus eſt Romanos ſecure ſuperatis faucibus, contra ſe magnum montem munire: quo in poteſtatem redacto, ipſis à tergo ſubvehendi erant commeatus liberè: Mithridati contrà lacu, montibus & fluviis excluſo, ab importationibus terreſtribus, tenuiter ſubminiſtrabantur, cùm neque pateret exitus, neque vi repellere poſſet Lucullum, ob neglectam locorum opportunitatem, & imminens hyems etiam maritimas importationes eſſet impeditura. *Id. pag.* 220.

Mithridates quamvis fortaſſe potuiſſet tunc quoque cum tanta multitudine per medios hoſtes erumpere, hoc tamen neglexit, malens ad oppugnationem Cyzici uti machinis inſignibus, quas Nicomedes Theſſalus fabricaverat, eminente inter ceteras Helepoli centum cubitorum, ſupra quam alia turris aſſurgebat, catapultis inſtructa ejaculantibus ſaxa telaque varia: ad portum autem duæ quinqueremes conjunctæ aliam turrim inferebant, undè pons in murum injiceretur. *Id. ibid.*

Omnibus verò paratis primùm tria millia Cyzicenorum captivorum in navibus ad urbem admovit, qui manus tendentes ad mœnia, orabant ut ſibi periclitantibus cives parcerent; donec Lyſiſtratus, Cyziceno-

rum Dux, è muro per præconem eos monuit, ut ſemel in alienam poteſtatem redacti, fortunam ferrent fortiter. Mithridates hoc conatu fruſtratus, impoſitam navibus machinam admovit ad murum; moxque demiſſo ponte, procurrerunt quatuor milites. Ibi rei novitate perculſi Cyziceni ceſſerunt nonnihil: verum ceteris ſubſequi cunctantibus receperunt animos, & quatuor illos ejecerunt, perfuſiſque pice navibus & immiſſo igne, coegerunt eas retrò ſe recipere unà cum machina, atque ita repulſa eſt oppugnatio maritima. *Id. pag.* 220. *&* 221.

Eadem die tertiò ſimul omnes à terra ſunt admotæ machinæ, oppidanis ultrò citróque tranſcurſantibus quacunque laboraretur maximè, qui arietes aut ſaxis immiſſis præfringebant, aut injectis laqueis deflectabant, aut ictus eorum molliebant, objectis lana refertis peronibus, tela verò ignita excipiebant, centonibus aceto & aquâ madidis, ceterorum veſtibus aut pannis oppanſis infringebant impetum in ſumma nil inexpertum relinquebant, quod humana poteſt conferre alacritas. Attamen omnem laborem patientiſſimè ferentes, efficere non potuerunt quin pars mœnium exuſta corrueret ſub veſperam, ſed propter calorem incendii nemo ſuſtinuit irrumpere: verum ipſi Cyziceni noctu ſubſtruxerunt munitionem aliam. *Id. pag.* 221.

Serò effecit Lucullus, ut auxiliares in urbem per noctem immitterentur. *Strabo pag.* 576. Cùm enim in lacu Daſcylite acatia ſatis magna commearent, eorum maximum ille ſubduxit, plauſtro ad mare devexit, eique quot capere poterat milites impoſuit. Qui noctu

clam trajicientes, imprudentibus hoſtibus urbem ſunt ingreſſi. *Plutarch. in Lucul. pag.* 497.

Per eoſdem dies procella vehemens coorta, reliquas Regis machinas ſic laceravit, ut inutiles redderet. *Appian. ibid.*

Fertur hanc urbem in dotem à Jove datam Proſerpinæ, quam Cyziceni venerantur præ omnibus Numinibus: cujus ſolemni redeunte, in quo atram bovem immolant, illi nullam talem habentes è piſta finxerunt hoſtiam: interim atra bos ex alto ad eos pernatavit, & in ore portus clauſtra ſub aquis evaſit; atque ita per mediam urbem curſu ad Deæ templum delata ante aram conſtitit: hanc Cyziceni egregiâ ſpe conceptâ, immolârunt. *Appian. ibid.*

Amici autem Mithridati conſulebant ut ab urbe ſacratâ claſſem ſolveret, qui nihil motus aſcendit imminentem montem Dindymum, & ab eo duxit continentem ad muros urbis aggerem, in quem impoſitis turribus, cuniculis quoque ſuffodiebat, & ſuſpendebat mœnia. *Id. ibid.* Quæ quidem Cyziceni ita ſuſtinuerunt, ut parum etiam abfuerit quin ipſum Mithridatem caperent vivum in cuniculo, quem is fodiebat, cùm ipſi alium ex adverſo agerent: evaſit tamen, cùm re obſervatâ ſe è cuniculo ſubduxiſſet. *Strabo pag.* 576.

Hyeme ſuperveniente, privatus eſt Mithridates & maritimis commeatibus, ſi quos habuerat. Neceſſariorum igitur difficultate preſſo exercitu, fame multi emoriebantur, humanis quidam veſcebantur carnibus, herbas alii in cibum vertendo, morbos ſibi contrahebant, quorum inſepulta cadavera peſtem invexerunt inſuper. *Memnon cap.* 52.

Dum oppugnaret Lucullus arcem quandam, occaſione maturans Mithridates uti, averſis ab hoſte itineribus, dimiſit omnem fermè equitatum cum jumentis, atque expeditatu minus inutiles, in Bithyniam. Hac re nuntiata, contraxit Lucullus de nocte in caſtra. Diluculo tempeſtate ſæviente inſecutus eos eſt cum cohortibus decem & equitatu, quanquam nive affligerentur, atque aliis incommodis, ut multi milites ex gelu ſuccumbentes ſequi non valerent. Cum ceteris ad Rhyndacum amnem hoſtes aſſecutus, ſtragem edidit tantam, ut Apollonia egreſſæ fœminæ diriperent impedimenta & trucidatos ſpoliarent. Capta ſunt equorum ſex millia, & jumentorum infinitus numerus, capita millia quindecim, omneſque præter caſtra hoſtium duxit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 498.

Fannius qui ſe Mithridati junxerat, & Metrophantes Regius Prætor, à Mamerco tunc victi cum duobus millibus equitum in Mæſiam profugerunt; atque indè in Mæoniam digreſſi, in colles campoſque Inarimos inciderunt; in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti ſunt, & clam in Regis caſtra venerunt. *Oroſ lib. cap.* 2.

Eumachus Mithridatis Dux, incurſionibus infeſtans Phrygiam, multos Romanos interfecit cum liberis & conjugibus. Piſidas ac Iſauros ſubigens & Ciliciam, donec Dejotanis unus è Tetrarchis Gallo-Græciæ vagantem aſſecutus, repreſſit cum magna clade hoſtium. *Appian. pag.* 222.

Mithridates cùm Cyzicum expugnare deſperaret, decrevit fugere, idque noctu fecit ipſe, claſſe provectus Parium. *Id. ibid.* At ut tricas & moras Lucullo

nectereret à tergo, miſit ad mare Græcum Præfectum claſſis ſuæ Ariſtonicum: quem, jam ſolutum, Lucullus per proditionem in poteſtatem ſuam redegit cum decem millibus aureorum, quos portabat ad ſollicitandam exercitûs Romani partem. *Plutarch. in Lucul. pag.* 498.

Pedeſtri quidem agmini, Harmæum & Marium præficit, qui 30. hominum M. illuc ducebant. *Memn. cap.* 42. Cùm Lampſacum peterent, eos à tergo premens Lucullus, & fluvius Æſepus tunc ſolito tumidior, trajicientes eò aſſecutus multos aſſumpſit. *Appian. pag.* 222. Permultos cepit, concîdit millia viginti. *Plutarch. in Lucul. ibid. ut ſuprà.*

Mithridatis verò Satrapes, Romanæ avaritiæ peritus, ſpargi à fugientibus ſarcinas & pecuniam juſſit, qua ſequentes moraretur. *Polyæn. Stratag. lib.* 7.

Mithridates verò cùm noctu fugeret, dum milites cum eo ſoluti, naves, quarum aliæ mox replendæ eſſent, confertim occuparent, & undique illis adhærerent, factum eſt ut præ multitudine imminentium pars navium deprimeretur, pars etiam ſubverteretur. Quod conſpicati Cyziceni, impetu in caſtra Ponticorum facto, ægros ibi relictos trucidârunt, & ſi quid ſupererat, diripuerunt. *Memnon. cap.* 42.

Lucullus Cyzicum ingreſſus, ingenti lætitia & magnifico honore exceptus eſt. *Plutarch. in Lucul. pag.* 499. Hacque de cauſa hodieque ludos in honorem ejus celebrant, quos vocant *Lucullia. Appian. pag.* 222.

Mithridates ſuos Lampſacum compulſos & obſeſſos à Lucullo claſſe illuc miſſa exportavit unà cum Lampſacenis, relictiſque decem millibus ſelectorum in na-

vibus L. ſub Mario Duce Sertoriano, Alexandro Paphlagone & Dionyſio Eunucho, cum majore eorum parte petiit Nicomediam. Verùm & harum & illarum multæ tempeſtate perierunt. *Id. ibid.*

Mithridates interim, collectis, ut potuit, in Ponto viribus, Perinthum circumſidet & oppugnat, eaque non potitus, in Bithyniam tranſmittit. *Memnon cap.* 42.

Barba cum robuſta Italorum manu veniens & ex Ducibus Luculli Triarius Apameam *Bithyniæ* obſederunt cives, cùm aliquando pro viribus ſuis hoſtem ſuſtinuiſſent, apertis tandem partis, intromiſerunt. *Id. cap.* 43. Urbem vi cepit, & Apamenorum, in fanis ad quæ confugerant, magnam cædem edidit. *Appian. pag.* 223. Pruſam etiam urbem Romanus exercitus cepit, licet hæc ad Olympum Aſiæ montem; hinc Pruſiadem mari impoſitam petiit. Ut urbi appropinquavit, facilè eum Pruſienſes receperunt, Ponticis ejectis. Nicæam deindè, quam præſidium Mithridatis tenebat; ventum eſt. Pontici vero intellecto cives animis ad Romanos propendere, noctu ſe ad Mithridatem Nicomediam ſubduxerunt. Romani igitur ſine moleſtia urbem ſuæ poteſtati ſubjecerunt. *Id. cap.* 43.

Lucullus ad Helleſpontum profectus, claſſem inſtruxit, & Troadem delatus, nocte ſomnio monitus, contra hoſtes progreditur, cùm quidam nuntiarent conſpectas ad Achæorum portum quinquiremes regias tredecim, quæ curſum in Limnum intenderent. Statim igitur ſolvit, & 13. illis navibus potitus, præfectum eorum Iſidorum recidit. Mox inſectatus eſt cæteros nautas. Stabant hi in ancoris, omnibuſque terræ appulſis navigiis propugnaverùnt ex ſororum ta-

bulis, ac Romanis vulnera ingeſſere. Nec circumvehendi dabat locus facultatem vel navibus fluctuantibus hoſtiles premendi terræ accubantes & firmiter conſiſtentes. *Plutarch. in Lucul. pag.* 499.

Circummiſit alias naves, quæ diverſa parte pedites in inſulam exponerent. Atque ita hoſtes in naves compulit: qui metu Luculli non auſi altum petere, oram legebant, & terrâ marique impugnati vulnerabantur cum magna cæde ac conſternatione fugientium. Tres illi Duces in ſpeluncæ latebris capti ſunt, è quibus Dionyſius *Eunuchus*, epoto quod ſecum habebat veneno, mox expiravit. Marius à Caroculo captus, Luculli juſſu occiſus eſt; non placebat enim Romanum Senatorem in triumpho duci. Cæterum Alexander ad eam pompam ſervatus eſt. *Appian. pag.* 223.

Triginta naves & duas regias & complures onerarias aut demerſit Lucullus, aut cepit. Multi ibi ex his quos Sylla proſcripſerat, interempti ſunt. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2. Atque hæ fuerunt duæ navales Luculli victoriæ, hæc ad Tenedum, altera in mari Ægeo de qua loquitur *Memnon cap.* 44. Poſtea Lucullus de ſuis rebus geſtis ad Senatum miſit laureatas litteras. *Appian. pag.* 223.

His confectis properavit ipſum inſequi Mithridatem, quod in ſpe eſſet circa Bithyniam ſe illum inventurum, retentum à Voconio, quem ad inſtandum fugienti cum navibus miſerat Nicomediam. Enimverò Voconius, dum in Samothrace initiatur myſteriis & feſtos dies celebrat, haud occurrit in tempore. At Mithridatem, qui jam cum claſſe vela fecerat, & maturabat antequam ipſum peteret Lucullus, Pontum tenere,

tenere, corripit atrox tempeſtas, quâ claſſis partim abrepta, partim eſt depreſſa. Omnia littora, ejectis fluctu naufragiis, per multos dies completa fuere. Rex ipſe, cùm navis oneraria, quâ vehebatur, nec ad terram appelli ob molem in tanta procella & cæcis fluctibus videretur gubernatoribus poſſe, & aquam jam accepiſſet, atque obruta eſſet undis, tranſgreſſus in myoparonem piraticum, corpore prædonibus permiſſo, incolumis Heracleam Ponticam inſperato & ſummo cum diſcrimine pervenit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 499.

Sinopem primùm ac pòſt Amiſum ſubvectum incolumem narrant *Appianus* & *Oroſius*. Tempeſtatem Dianæ Priapinæ irâ Ponticis immiſſam dicebant, quod fanum ejus ſpoliaviſſent & ſignum loco moviſſent. *Plutarch. in Lucul. ibid.*

Cùm Mithridates Nicomediæ ſubſiſteret, Cotta Conſul ſuperiora damna reſarcire volens, à Chalcedone, ubi ſuccubuerat, Nicomediam copias transfert, & 150. ſtadia ab urbe caſtra metatus, à dimicatione cavet. Ibi magnâ adhibitâ feſtinatione, citatis itineribus Cottam ſponte ſuâ Triarius adſequitur, & Mithridates in urbem ſe recipit. Tum uterque Romanus exercitus ad oppugnationem ejus ſe parat, ſed Rex cum claſſe in Pontum abiit. *Memnon. cap.* 44.

Lucullus, Cotta & Triarius ad Nicomediam agminibus conjunctis, in Pontum irruptionem facere deſtinârunt. At renunciatâ Heracleæ oppugnatione, cùm de proditione necdum conſtaret, ſed totius ſimul civitatis voluntate defectionem contigiſſe arbitrarentur. Luculli conſilium erat, ut ipſe cum robore exercitus per Mediterranea & Cappadociam moveret in

Regem, & totum ejus regnum, & Heracleam oppugnaret Cotta. Triarius autem aſſumptâ claſſe, miſſas in Cretam & Hiſpaniam Mithridatis naves, in reditu, circa Helleſpontum & Propontidem interciperet. *Mem. cap.* 45.

Quibus Mithridates auditis, in novos belli apparatus incumbit, & Scytharum Reges, Parthumque & generum ſuum Tigranem Armenium ſollicitat: ceteri quidem denegant: at Tigranes, licet diu cunctaretur, ſæpiùs tamen à *Cleopatra* filia Mithridatis, non ſine moleſtia, interpellatus, auxilia tandem promiſit. *Memn. ibid.* Ad Macharem etiam filium, in Boſphoro regnantem miſit, qui properè contraherent auxilia, ad Scythas autem cum multis donis & magno auri pondere Dioclem ire juſſerat, ſed ille & cum donis & cum auro ad Lucullum transfugit. *Appian. pag.* 224.

Interim diverſos contra Lucullum Mithridates Præfectos dimiſit, & poſt commiſſas acies, variæ acciderunt Fortunæ vices; in pleriſque tamen proſpera fortunæ aura afflavit Romanis, & Mithridati animus elanguit. *Memnon. cap.* 45. In principio Lucullus laboravit uſque adeo difficultate neceſſariorum, ut 30. millia Gallo-Græcorum ſequerentur caſtra, qui medimnos ſingulos frumenti humeris portabant. Progreſſus verò omnia ſubjugando ad affluentiam evaſit tantam, ut bos in exercitu drachma, mancipium quatuor eſſet venale, ceteram prædam nullo reſpectu alii relinquerent, alii corrumperent, quippe diſtrahere prædam omnibus abundantibus nulli valebant. *Plutarch. in Lucullo pag.* 499. *&* 500.

Deindè Lucullus oppugnavit Amiſum & Eupatoriam, quam juxta Amiſum Mithridates condidit & appellavit de ſuo cognomine, fecitque regiam: pars verò exercitûs ad Themiſcyram oppugnandam miſſa eſt, dictam ab Amazone quadam, ſitam ad Thermodoontem fluvium. Hi contra Themiſcyrenſes turribus utebantur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, ut in eis pugnæ committerentur ſubterraneæ. Hos oppidani ſupernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios, urſas aliaſque beſtias & apum examina. At apud Amiſum laborabantur aliis difficultatibus, dum Amiſenſes repugnant ſtrenuè, nonnunquam erumpendo atque provocando ad ſingularia certamina. *Appian. pag.* 224.

Dum Lucullus ad Amiſum lentâ obſidione terit. *Plutarch. in Lucul.* Cotta motis Romanorum caſtris, adverſus Heracleam tendit. Primò tamen in Pruſiadem ducit. Indè ad mare Ponticum deſcendit; & maritimam prætergreſſus oram, mœnibus in vertice poſitis, caſtra applicavit. Loci autem firmitati Heraclienſes fidebant, & Cottæ oppugnationem fortiter urgenti, cum præſidio repugnabant, & plures è multitudine Romana cadebant. Crebra tamen etiam Heraclienſium vulnera erant à telis. Quapropter ab oppugnatione receptui Cotta ſuis canit, & remotiùs aliquantò caſtra metatus, totus in hoc eſt intentus, ut exitum ad res neceſſarias intercludat obſeſſis. Annonæ igitur caritate oborta; dimiſſis ad colonias Legatis, alimenta ſibi venundari petunt. Et benigna accipitur legatio. *Memn. cap.* 49.

At brevi antè Triarius Romanâ claſſe inſtructus, à

Nicomedia impetum fecerat in Ponticas triremes, verſus Cretam & Hiſpaniam emiſſas. Sed cùm reliquas in Pontum retrò abire reſciviſſet (multæ enim de his, & procella & pugnis, ſuo quæque loco navalibus interierant), adſecutus illas ad Tenedum manus conſerit. 70. ipſi triremes erant, Pontici autem pauciores, aliquanto 80. agebant. Poſtquam infeſtis concurſatum eſt proris, regii ad tempus vim hoſtium initio ſuſtinent; poſtea univerſis in fugam effuſis, plenam Romanis victoriam & celebrem conſequitur. Atque ita claſſis Mithridatis tota, quanta in Aſiam cum ipſo exiverat, ſubacta eſt. *Idem cap.* 50.

Ad Amiſenſes obſeſſos Mithridates largè commeatus, arma, milites, ſubmittebat è Cabiris; ubi hybernans alium collegebat exercitum. *Appian. pag.* 224.

Olthacus, Appiano Olcabas Scytha, qui erat in præſidiis Mithridatis Dardariorum Dynaſtes, (eſt autem iſta gens è barbaris illis, qui Mæotim paludem accolunt) omnibus vir in bellicis factis inſigniter manu promptus & audax, & conſilio cum primis bonus, in conſuetudine præterea civilis & obſequioſus. Hic, quod ſemper cum aliquo popularium ſuorum Dynaſtarum certamen & æmulationem de primis haberet, recepit Mithridati ingens factum, Lucullum ſe interfecturum; collaudatus ab Rege, atque in ſpeciem iræ probris ab eo ex compoſito ſugillatus, equo arrepto, transfugit ad Lucullum, à quo eſt receptus benignè. *Plut. in Lucul. pag.* 501.

Olympiadis 177. inſtante anno primo, vere, Murena *Murenæ à Sylla Prætoris in Aſia relicti filio*, ad Amiſi obſidionem continuandam cum duabus legionibus reli-

ćto Lucullus cum tribus aliis per montana contra Mithridatem profećtus eſt. *Phleg. Trall. Chron. in Biblioth. Photii pag.* 267.

Mithridates ſtationes diſpoſuerat eum prohibituras & ignibus ſignificaturas. His præerat Phœnix, vir regii generis, qui dedit quidem ex paćto ſignum adventus Luculli, verùm ipſe ad eum transfugit cum ſuis copiis, & ille ſuperatis jam ſecurè montibus, deſcendit ad Cabira. *Appian. pag.* 224.

Rex tranſgreſſus Lycum amnem, & in campos patentes progreſſus, laceſſivit Romanos. *Plutarch. in Lucul. pag.* 500. Diophanto & Taxila adverſus eos miſſis, & principio velitationibus ferè aſſiduis hoſtiles exercitus inter ſe vires explorabant. *Memn. cap.* 45.

Commiſſo poſtea equeſtri prælio, terga Romani verterunt. In eo Pomponius, *Appiano Pompeius equitum Præfećtus*, ſaucius captus eſt, atque ad Mithridatem vulneribus gravis pertraćtus. Quem ubi rogavit Rex an, ſi ipſum conſervaſſet, amicus ſibi eſſet futurus; Sanè, inquit, ſi pacem cum Populo Romano feceris: ſin ſecus, hoſtis; cujus Rex admiratus virtutem, nihil eum læſit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 500.

Deindè per continuos aliquot dies, produćtis in aciem copiis, cùm qui ad montana refugeret, ad pugnam non deſcenderet, quâ ad eum aſcenderet Mithridates circumſpiciebat. *Appian. pag.* 225.

Olcaba, quòd in proximo equeſtri prælio multos ſervaverat, ideò ad menſæ conſiliorumque ac ſecretorum ſocietatem admiſſus, venit ad Lucullum meridiantem in tentorio, volebatque irrumpere brevi tantùm pugione accinćtus ex more. *Id. ibid.* Sed Mene-

demus à cubiculis ad limina ſtans intempeſtivè ait Olthacum venire; modò Lucullum quieti ſe ex longis vigiliis & tantis occupationibus tradidiſſe. Qui cùm juſſus non diſcederet, ſed invito eo oſtendit ſe ingreſſurum; ibi ſtomachabundus Menedemus, nihil tanti eſſe ait ac Luculli ſalutem, hominemque ambabus manibus repulit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 501.

Mox Olcaba aſcenſo equo ad Mithridatem transcurrit, ſive ſuſpectum ſe credens, ſive iratus ob acceptam, ut exiſtimabat, injuriam; ad Regem autem detulit alium Scytham, nomine Sobadacum, quod de transfugiendo ad Lucullum cogitaret, qui ſtatim comprehenſus eſt. *Appian. pag.* 225.

Lucullus deſcenſum in campos cavens, præpollentibus equitatu hoſtibus, nec videns tranſitum alium; reperit in ſpelunca venatorem, nomine Apollodorum *Plutarcho*, peritum montanorum callium; quo ductore uſus, per vias nulli tritas pervenit ſupra caput Mithridatis, deſcenditque tunc quoque, campis vitatis propter equites, & poſt eluviem quandam aquâ plenam caſtra poſuit. *Id. ibid.*

Cùm neuter exercitus in animo haberet in præſentia prælio decernere, ferunt cervum perſequentibus regiis interceptâ viâ occurriſſe Romanos. Hinc initium ortum certaminis, pluribus ſemper ad utroſque affluentibus. Fugâ tandem Romanorum factâ, ipſe ſolus in campum deſcendens Lucullus, & primis occurrens fugientium, conſiſtere imperavit, & redire ſecum in hoſtem. His parentibus, ceteri à fuga ſe reprimentes, globo facto, hoſtes facilè fugaverunt, & uſque ad caſtra conſectati ſunt. Reverſus Lucullus eos qui ce-

perant fugam ſolitâ ignominiâ notavit, & diſcinctos foſſam duodecim pedum ducere jubens, adſtantibus & ſpectantibus reliquis militibus. *Plutarch. in Lucul. pag.* 501.

Deficiente commeatu, frumentum mittebat in Cappadociam, & crebro velitabatur cum hoſtibus, donec fugientibus aliquando regiis, Mithridates è caſtris procurrens ſuos objurgabat, è fuga revertere coegit; tantumque pavorem incuſſit Romanis, ut perpetuo curſu in montana refugerent, etiam poſtquam à perſequendo deſtitiſſent regii, & quiſque proximum à tergo fugæ ſocium, tanquam perſecutorem fugeret, tantus pavor omnes occupaverat. Ejus victoriæ nuntios Mithridates circa omnes terras dimiſit. *Appian. pag.* 225. & 226.

Indè Sornatius cum decem cohortibus eſt frumentatum in Cappadociam miſſus cum decem cohortibus, & inſectante eum uno è Mithridatis Ducibus Menandro, reſtitit; commiſſoque prælio, magnam ſtragem & fugam edidit hoſtium. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Poſtquam iterum cum copiis Adrianus à Lucullo in Cappadociam miſſus eſt, ut cumulatè exercitus commeatum haberet. *Id. ibid.* Taxiles & Diophantus, Mithridatis Duces, Necnemachum & Myronem cum 4. peditum & 2. M. equitum millibus contra eum miſerunt, ut inſidiis in medio poſitis, impedimenta revertentibus adimerent. *Memnon. cap.* 45. Cùm enim Lucullo ſola Cappadocia commeatus ſuppeditaret, ſperabat Mithridates ſe redacturum eum ad talem inopiam, qualem ipſe ad Cyzicum paſſus fuerat. *Appian. pag.* 226.

Verùm equites regii, cùm in primum agmen fru-

mentatorum in quibuſdam faucibus incidiſſent; non expectato dum in patentiora loca procederet, non potuerunt equis uti in anguſtiis; Romani interim celeriter inſtructis ordinibus, favente ſibi aſperitate locorum, alios ex regiis occiderunt, alios per rupes præcipites impulerunt, alios turmatim diſperſos coegerunt fugere; pauci noctu in caſtra evaſerunt, qui ſoli crediti ſupereſſe incolumes. *Appian. ibid.* Horum veſtigiis inhærentes Romani, ſubſidiis à Lucullo miſſis, ad ipſa Diophanti & Taxilis caſtra provehuntur. Ubi valido certamine inito, ad breve tempus obſtitere Pontici. Mox ubi primi abſceſſerunt Duces, tota inclinata eſt acies, & ipſi copiarum Duces nuntii cladis venerunt Mithridati. *Memnon. cap.* 45. Omnes trucidati ſunt, exceptis duobus. *Plutarch. in Lucul.* 30. M. lectiſſima Regis à quinque Romanorum millibus vaſtata ſcribit Eutropius *lib.* 6.

Hujus cladis fama non tam citò ad Lucullum quàm ad Mithridatem pervenit. *Appian. pag.* 226. Eam Mithridates diſſimulans, ut non tantam, ſed exiguam & acceptam Ducum imperitia. At Adrianus iter fecit magno ſplendore præter illius caſtra, ingentem numerum ſecum trahens plauſtrorum commeatu & præda onuſtorum. Undè animus illius plane eſt dejectus, trepidatio autem & timor milites inceſſit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Rex ratus Lucullum in ſe deſtitutum equitatu, quamprimùm facturum impetum, de fuga cogitavit præ metu, & id conſilium amicis ſtatim aperuit in ſuo tentorio: at illi non expectato ſigno vaſa colligendi, pro ſe quiſque ante lucem è caſtris emittebant

bant ſarcinas; adeo ut in portis jumenta præ multitudine ſe invicem comprimerent. Exercitus verò id videns & agaſones agnoſcens, pavore ſuſpicionem augente, indignè ferens non datum ſignum etiam ſibi, vallum cum ira uno impetu proruit. *Appian. pag.* 226. Iratique milites, ad portas accurrentes, diripuerunt ſarcinas; & qui eas abducebant, obtruncârunt. Inter quos Dorylaüs Dux, qui præter purpuram, quâ erat amictus, nihil habebat, propter eam ipſam periit, & Hermæus Aruſpex in portis conculcatus interiit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Diffugiebant paſſim totis campis milites nullo ordine, quò quiſque poterat, non expectatis Ducum ac Præfectorum imperiis. Quæ ubi Rex ſenſit tumultuariè properèque fieri, procurrit è ſuo tentorio dicturus aliquid; ſed cùm à nemine audiretur, compreſſus in turba concidit, ſtatimque in equum ſublatus cum paucis ad montem properabat. *Appian. pag.* 226. in Cabiris, clam cum ſuis ſe continuiſſe refert *Memnon*, ac deindè fugam arripuiſſe. *cap.* 46. Mithridates apud *Plutarchum*, cùm nemo apud eum ne apparitor quidem vel equiſo remanſiſſet, in caterva ſe ceterorum extulit caſtris, ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuit. Verùm cùm ſero tandem in fluctu fugæ illius conſpexiſſet jactatum Eunuchus Ptolemæus, cui equus erat, deſiliit præbuitque equum Regi. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Lucullus certior factus de frumentatorum victoria, videnſque fugam hoſtium, miſit magnam manum equitum, quæ fugientes perſequeretur; eos verò qui in caſtris adhuc reliqui ad reſiſtendum ſe parabant,

circumdedit legionibus, edixitque ut tantiſper à rapinis abſtinerent, dum ſatisfieret cædibus. At miles conſpectis multis vaſis aureis & argenteis, pretioſiſque veſtibus, edicti oblitus eſt. *Appian. pag.* 227. At avaritia & ſordes militares multis certaminibus magniſque periculis diu captatam prædam Romanis eripuere, Lucullumque victoriæ præmio fraudavêre. Jam enim prope in manibus inſtantium equus, qui Mithridatem avexit, erat. *Plutarch. in Lucul.* Captuſque eſſet inſectantibus Gallis, qui tamen Regem ignorabant. *Memnon. cap.* 46. Cùm mulus ex iis qui gazam ejus portabant, conjecit ſe inter Regem & conſcitantes, ſive ſponte ſeſe obtulit, ſive de induſtria Rex objecit eum inſequentibus. *Plutarch. in Lucul.* Itaque Mithridatem paſſi ſunt evadere. *Appian. ibid.*

Cùmque Calliſtratum, qui Regi à ſecretis erat, duci Lucullus in caſtra imperaſſet, qui verò illum ducebant ſuccinctum quingentis aureis ſentientes, occiderunt; & his caſtra Regis tamen diripienda conceſſit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Mithridatem inſequendo Lucullus Talaurorum tenùs pervenit. Undè cùm quarto jam die Mithridates perveniſſet in Armeniam, ad Tigranem fugere, retrò conceſſit. *Id. ibid.*

In Comana igitur evadens Rex, indè ad Tigranem cum duobus equitum millibus profugit, qui in conſpectum ſuum non admiſſum juſſit in caſtellis more regio ali. *Appian. pag.* 227. licet contemptum & ſuperbè rejectum, atque remotiſſimè in locis paluſtribus & inſalubribus quodammodo ſeptum eum fuiſſe Plutarchus ſcripſerit *in Lucullo.*

Ea maxime de cauſa Mithridates de regno deſperans, Bacchum *aliis Bacchidem* Eunuchum miſit ad ſuam regiam, *Plutarcho* Pharnaciam, ut ſorores, uxores, concubinas, quomodocunque poſſet interimeret, quæ gladiis, venenis, laqueis in ſe ſævierunt. *Appian. pag.* 227.

In multis duæ Regis ſorores fuerunt Roxane & Statira, quæ annis prope quadraginta in virginitate vixerant, & conjuges duæ Ionides natione Berenice-Chia & Mommia-Mileſia, erat hujus celebre inter Græcos nomen, quod cùm eam Rex attentaret, & 15. millia aureorum miſiſſet, eatenus fuerit reviſa, dum ſponſaliis factis, miſſoque diademate appellavit Reginam Ea ante quoque in perpetuo mœrore egerat, depleveratque corporis ſui venuſtatem, quæ dominum ſibi pro viro, pro nuptiis autem & penatibus conciliaſſet cuſtodiam Barbarorum, tam quod procul Græcia relegata ſperatis bonis per ſomnium frueretur, & veris illis eſſet ſpoliata. Ubi jam adfuit Bacchides, eiſque indixit mortem, quæ cuique facillima & leviſſima videretur; detractum capiti diadema collo aptavit, atque ex eo ſemetipſa ſuſpendit. Quo citò abrupto: Execrabilis faſcia, inquit, ne hic quidem eris mihi utilis. Tum illud projecit, conſpuitque, ac jugulum obtulit Bacchidi. *Plutarch. in Lucul.*

Berenice *ſoror* poculum veneni ſumpſit, cujus portionem matri dedit præſenti & petenti, unàque ebiberunt ambæ. Valuit autem in corpus imbecillius vis veneni. Berenicem verò, quæ minus juſto hauſerat, non abſtulit, cùm diu animam ageret, accelerante Bacchide ſtrangulata eſt. Ferunt etiam ex innuptis illis ſo-

roribus, alteram, poſt multas in fratrem execrationes & probra, virus epotaſſe, Statiram verò collaudato fratre, quòd de vita in diſcrimen vocatus, rationem habuiſſet etiam ipſarum, proſpexiſſetque, ut citra contumeliam vitam ponerent liberæ. *Id. ibid. pag.* 503.

Lucullus Cabiris circumſeſſis, dum barbari certo ſe ei pacto permittunt, & ipſos in fidem accipit & caſtello potitur. *Memn. cap.* 47. Cabiris verò aliiſque compluribus captis arcibus, grandes theſauros invenit, & carceres, in quos conditi multi Græci, multi etiam Regis neceſſarii erant: qui cùm habuiſſent ſe jamdudum pro deploratis, Luculli beneficio non tam conſervati ſunt, quàm revixerunt & quodam modo renati ſunt. Atque inter cæteros ſoror Mithridatis Nyſſa capta eſt, magna ipſius ſalute. *Plutarch. in Lucul. pag.* 502.

Hæc animadvertentes Præfecti Præſidiorum Mithridatis, unanimes ad Lucullum tranſibant, paucis exceptis. *Appian. pag.* 227. Inter hos Strabonis Geographi avus maternus, quod ſobrinum ipſius Tibium, hujuſque filium Theophilum Mithridates nuper necaſſet, ſecum 15. præſidiaria caſtella, ab eo ad Lucullum convertit. *Strabo lib.* 12. *p.* 557. Atque ita Romanis legionibus Pontus eſt patefactus, qui ante Populo Romano ex omni aditu clauſus fuerat. *Cicero pro Lege Manil.*

Cotta verò ad Heracleam caſtra habens, nondum toto expugnationem exercitu aggreſſus erat, ſed aliquos de Romanis particulatim admovebat, multos Bithyni nominis ſtatuens in fronte. Dumque complures

vulnerantur & oppetunt; operibus & machinis animum adjicit, quarum teſtudo præ aliis formidinem incuſſit obſeſſis. Totam igitur vim militum caſtris excitans, admovet turri cuidam, ruinæ ſpem præferenti. Verùm ubi ſemel atque iterùm percuſſa, non modò contra opinionem perſiſteret, ſed etiam aries à cetera machina disfractus evelleretur, animus Heraclienſium creſcere, & perturbatus mœrore Cotta timere cœpit, nunquam urbs ne caperetur. Poſtero etiam die cum machina iterùm impacta nihil proficeret, inſtrumentum illud concremat & fabris capita præcidit, relictoque ad mœnia præſidio, cum cetera militum turba in campo (quod Lycæum vocant) ſtativa delegit, quo in loco larga erat victûs copia. Atque indè omni circa Heracleam regione devaſtata, in magnam cives difficultatem cogit. Quare denuò ad Scythas Cherſoneſi incolas & Theodoſianos, & circa Boſphorum Dynaſtas, in ſocietate legationem mittit, quæ non abſque effectu revertitur. *Memnon. cap.* 51.

Dumque hoſtes urbi incumbunt, non multo minus ab internis vexatur moleſtiis. Præſidiariis enim militibus, id non ſatis erat, quo plebs urbana victitabat. Verberibus igitur multatos cives, ſuppeditare, quæ in promptu non erant, per vim jubent, quid? quod Præſidiariis longè importunior erat præfectus Cornacorix, non modò non prohibens vim ſuorum, ſed etiam liberè permittens. *Id. ibid.*

Lucullus Chaldæos & Tibarenos ſubegit, Armenia quoque minore, quam Mithridates tenuerat, potitus eſt. *Plutarch. in Lucul. pag.* 503. Et poſtquam obeundo, Ponti Provinciam conſtituiſſet, ad maritimas quoque

illius urbes claſſem appulit. *Appian. pag.* 227.

Hinc profectus eſt Amiſum, quæ adhuc obſidebatur. In cauſa præfectus erat Callimachus, qui ſcientia apparatus machinalis & omnis vi verſutiæ, cujus in obſidione uſus ſit, vehementiſſime fatigavit Romanos. *Plutarch. in Lucul. pag.* 503. Lucullus Amiſum profectus, & ad deditionem eos cohortatus, ubi non perſuadet, omiſſa illa, ad Eupatoriam obſidionem transfert, & negligenter ſe illam oppugnare ſimulat, ut ſimili negligentiæ exemplo provocatis hoſtibus, ſubita mutatione, apud animum cogitata, proſperè conficeret, & eventus reſpondit. Dum enim cuſtodes nihil tale opinantur, ſed ſecurè agunt, ille juſſis arripere ſcalas militibus, mœnia conſcendendi copiam facit, & ſic capta Eupatoria ex templo diruitur. *Memnon cap.* 47.

Nec multo poſt capitur etiam Amiſus. *Id. ibid.* Callimachus verò ſolertiâ & conſilio Luculli victus eſt, qui quâ diei horâ abducere & reficere conſueverat milites, eâ adortus eſt mœnia. Quorum cùm modicam partem cepiſſet, ille, vel quod prædam invideret Romanis, vel quo facultatem ſibi evadendi ſtrueret, deſeruit, inceditque urbem. Nemo enim morabatur ſolventes. Verùm ut vis flammæ ſublata muros comprehendit, accingebant ſe milites ad prædam. At Lucullus intereuntis miſertus urbis, foris voluit prohibere ignem, atque ad reſtinguendum adhortatus eſt milites. Cæterùm nemo obtemperabat ei, ſed eruebant opulentiam, clamanteſque armis concrepabant, donec vi adactus, quo urbem ipſam certè eriperet ex incendio, permiſit eis prædam. Illi verò diverſum egerunt. Cùm enim ad faces rimarentur omnia, &

omnes in angulos lumen inferrent, ipſi pleraque ædificia concremavêre. Flammam imber, dum capitur urbs, divino quodam caſu effuſus extinxit. Pleraque ipſe ante diſceſſum ſuum quæ diruta fuerant, inſtauravit. *Plutarch. in Lucul.* Cædeque ulteriore civium inhibitâ, & urbem & religionem ſuperſtitibus reddidit. *Memnon. cap.* 47.

Lucullus Legatum ad Tigranem miſit Appium Clodium (uxoris ſuæ fratrem) qui Mithridatem expoſceret. *Id. cap.* 48. Quem Antiochiæ, hæc Epidaphne dicta eſt, invenit. Multis inſuper Appius domitis à Tigrane civitatibus, quæ Legatos clam ad ipſum miſerant, Luculli opem promiſit, juſſis in præſenti nihil movere. *Plut. in Lucul. pag.* 505.

Ubi Antiochiam Tigranes rediit. Appius palam dixit ſe veniſſe, ut Mithridatem Luculli triumphis debitum abduceret, alioquin Tigrani bellum ſe indicere. Quâ libertate factus ille eſt commotior, quamvis vultum ad ſerenitatem, Legati audiendi causâ, compoſuiſſet, qui tunc primum, poſt annos fermè viginti quinque, liberam vocem audiret, tot enim annos regnaverat, vel potius graſſatus fuerat. Reſponſum dedit Appio ſe non deſerturum Mithridatem, & Romanis ſi bellum intuliſſent reſtiturum. Lucullo verò infenſus, quod Regem ſe tantum, non Regem Regum in epiſtola ſalutaviſſet; nec ipſe Imperatorem illum ſalutavit. Dona tamen Appio ſplendida miſit, quæ cùm non caperet, alia adjecit plura. Ex his Appius ne ea videretur offenſione aliqua repudiare phiala, unâ acceptâ, remiſit reliqua, ac celeri curſu eſt ad Imperatorem regreſſus. *Id. ibid.*

Cùm detectus eſſet Gordyenorum Rex Zarbienus clam cum Lucullo ſocietatem iniiſſe, unà cum uxore & liberis à Tigrane necatus eſt. *Id. ibid.*

Ut rediit Appius & bellum cum Tigrane gerendum apparuit, Lucullus qui in Aſiam regreſſus erat, votiva ſacra Diis ſuis Epheſi perſolvit, ac ſi jam debellatum eſſet; deindè in Pontum iterum contendit, motiſque caſtris Sinopen obſedit. *Appian. pag.* 228. Ut enim foris à Romanis, ita intus oppugnata urbs ab inſidente tyranno, cuſtodiæ illius à Rege Mithridate præfecto Cleochare ſcilicet Spadone, Oroſio, vel Bacchide Straboni. Namque hic proditionem aliquam ſubindè metuens, ac multas cædes civium edens, eò rem deduxit, ut neque ad propugnandum fortiter civibus animus neque ad deditionem initis pactis faciendam facultas eſſet. *Strabo lib.* 12. *pag.* 546.

Leonippus, cui cum Cleochari Sinopes cura & tutatio commendata fuerat à Mithridate, re deſperatâ, de proditione ad Lucullum mittit. At Cleochares cum Seleuco (nam & hic Mithridatis erat Legatus, officii autoritate cum cæteris æquatus) Leonippi proditionem odorati, advocatâ concione, hominem accuſant: cives verò criminis hujus actionem non admittunt, quod probum eſſe exiſtimabant. Ideo Cleocharis factio, gratiam ejus apud plebem metuens, noctu ex inſidiis hominem trucidant. Populus quidem hunc caſum ægre ferre, ſed Cleochares cum ſuis rerum potiri & tyrannicè res adminiſtrare: hâc viâ parricidii in Leonippum pœnas ſubterfugituros ſe exiſtimantes. *Memnon cap.* 55.

Interim Cenſorinus, Romanæ claſſis Prætor, triremes

mes agens 15. commeatum à Boſphoro Romanorum caſtris advehentes, propè Sinopen appellit. Contra quem Cleocharis & Seleuci triremes Sinopicæ, ductu Seleuci egreſſæ, navali prælio decernunt; & victis Italis, naves onerarias in ſuum Duces lucrum auferunt. Elatus igitur hac fortunæ benignitate Cleochares cum collega pluſquam antea tyrannico urbem imperio premit. Nam cauſis legitimo judicio non diſceptatis, ad neces oppidanos rapiunt, & ad multa alia crudelitate ſua abutuntur. Accidit autem ut in contraria ſtudia ſcinderentur Cleochares & Seleucus. Ille enim perſiſtendum in bello, hic trucidatis Sinopenſibus univerſis, urbem Romanis, magnificæ remunerationis pacto, tradendam cenſebat. Atqui neutra ſententiarum probata, quidquid poſſidebant, navibus onerariis ingeſtum, ad Macharem filium Mithridatis, tum temporis in Colchide agentem, dimittunt. *Id. ibid.*

Sub idem tempus Lucullus ad urbem accidens, valido illam nixu oppugnabat; Machares verò Mithridatis filius, legatione ad Lucullum miſſa, amicitiæ & ſocietatis fœdus ab eo petiit: ille petitione admiſſa, fœdus pro firmo ſe habiturum reſpondit, ſi nullo Sinopenſium commeatu juvaret. Qui non ſolùm imperata fecit; ſed etiam deſtinata Mithridaticis ad Lucullum deferenda curavit. *Id. cap. 56.* Atque ita Boſphori Rex Machares miſsâ ad Lucullum mille aureorum coronâ, in amicitiam & ſocietatem Populi Romani receptus eſt. *Plutarch. in Lucul. pag. 507.*

Excitatâ igitur flammâ, quid actum ſit Lucullus animadvertit, ſcalaſque ad mœnia adhibere juſſi milites tranſcendunt. *Memnon. cap. 56.* Ingreſſus urbem

Lucullus ex regiis qui remanſerant octo millia interfecit. *Plutarch. in Lucul. ibid.* Ceterorum verò miſertus, celeri occurſu, immiſſum reſtinxit incendium, & civibus res ſuas reſtituit. Ita miſera civitas, verſa vice hoſtium ſociorumque, unde defendenda, diſperdita, & unde diſperdenda, ſervata eſt. *Oroſ. lib. 6. cap. 3.*

Lucullus eam civitatem mox fecit liberam, ſomnio tali monitus. Autolycum ferunt expeditionis ab Hercule in Amazonas ſuſceptæ ſocium, tempeſtate appulſum Sinopen, ibi regnaſſe, & poſt mortem quoque religioſum ibi habuiſſe oraculum: hunc Sinopenſes aſcituri fugæ comitem, pannis obvolutum conſtrinxerant funiculis. Lucullus ignarus rei, nec à quoquam monitus, viſus eſt ſibi videre illum vocantem, & inſequenti die cùm quidam ſtatuam obvolutam ferrent præter eum, ſolutis ipſius juſſu involucris, talem vidit, qualis ſpecies ei noctu obverſata fuerat. *Appian. pag.* 227. Et Autolyci, qui Sinopen condidit, ſtatuam fuiſſe didicit. *Plutarch. in Lucul.* Hanc verò, quod Sthenidis erat opus & Billari, ſphæram ſecum tulit, reliquis omnibus urbis ornamentis relictis. *Strab. lib.* 12. *pag.* 546.

Ceterùm Lucullus poſt Sinopen, Amiſum etiam reſtituit ſuis civibus, qui pariter per mare fugerant, miſeratus eos & Alexandri erga Atticos favorem æmulans, juſſit eſſe liberos. Sinopenſes quoque in ſuam civitatem revocavit celeriter. Ita Sinope Amiſoque deſolatis, Lucullus habitatores reſtituit. *Appian. pag.* 228.

Repugnabat etiamnunc Amaſia, ſed non multum interceſſit ſpatii, cùm etiam ipſa Romanorum in fidem conceſſit. *Memnon. cap.* 56.

Agros Heracleæ populatus Cotta, muros iterum adortus eſt, & vocatum Triarium ut in mari commeatus oppidanis interciperet; unde ingens annonæ caritas urbem tenuit, & peſtis inde cives invaſit, quæ Connacorigen impulit, ut Heracleam proderet pacto cum Triario facto; pars horum ſe dedidit, pars trucidata eſt. Audiens poſtea Cotta, Teium & Amaſtrim à Connacorige fuiſſe occupatas, Triarium ſine mora dimiſit, ut has ei urbes adimeret; ipſe Heracleæ manſit. *Memnon. cap.* 53. *&* 54.

Triarius ad urbes ſibi demandatas profectus, Connacorigi ſecuritate abeundi facta, civitates ſub conditionibus certis recipit. Cotta autem rebus confectis, pedeſtres copias unà cum equitatu Lucullo tradit, & ſociorum auxilia, in ſuam quæque patriam, dimittit: ipſe verò cum claſſe Romam contendit. *Id. pag.* 54.

Lucullus, Cornatio ad ordinandam Provinciam cum 6000. militibus relicto, ac 12. millibus peditum & minus tribus millibus equitum, *Plutarcho*, duas legiones & 500. equites habet, *Appian. pag.* 228. Ad ſecundum bellum perrexit, ægrè ferentibus militibus, *in Lucul.* In Cappadociam ingreditur; & Ariobarzane terræ regulo utens amico, *Memnon. cap.* 57. quàm maximis itineribus contendit ad flumen Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. *Saluſt. Hiſt. lib.* 4.

Inflatus turbiduſque erat ex hyeme Euphrates; ſed cùm ſub veſperam cœpiſſet unda ſubſidere, ubi diluxit, amnem ripis ſuis oſtendit clauſum. Unde incolæ Lucullum adoraverunt, quod haud temerè id antea accidiſſet, fluviuſque tranſitum illi præſtaret expeditum

& maturum. Traducto quoque exercitu, lætum illi prodigium oblatum eſt. Ex bobus enim Dianæ Perſicæ (quam eximiè venerantur Barbari trans Euphratem colentes) ſacratis, quæ haud facilè capiebantur, una ſponte ſemetipſam Lucullo præbuit hoſtiam. Qui Euphrati etiam, tranſitûs causâ, ſacrificavit taurum, & toto eo die ſtativa illic habuit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 507.

Poſtero die & inſequentibus iter fecit per Sophenem. Incolas qui dedebant ſe & promptè recrepant exercitum, nulla re violavit. *Id. ibid.* Solas ab eis exigens pecunias; nam regionum earum incolæ abhorrebant ab armis, nec dignabantur ſe medios ingerere Tigrani & Lucullo dimicantibus. *Appian. pag.* 228.

Extentis deindè itineribus Tigrim tranſgreſſus Lucullus, iniit Armeniam. *Plutarch. in Lucul.*

Cotta Romam reverſus, honore à Senatu affectus eſt, & *Pontici* cognomento, quod Heracleam cepiſſet, nobilitatur. *Memnon. cap.* 61.

Porro Mithridates annum & IIX. menſes in partibus Armeniæ demoratus, necdum in generi conſpectum admiſſus erat. Hic tamen exoratus tandem, ut coram ſe ſiſtendi poteſtatem ei faceret, ſplendida cum pompa occurrit, & regali ſocerum magnificentia excipit. Sed triduum abſque colloquio cum eo tranſegit: lautiſſimis deindè conviviorum apparatibus benevolentiam ei ſuam oſtendit. *Id. cap.* 57. Tum in colloquio, quod habuerunt in regia arcanum, mutuas ſuſpiciones in Metrodori Scepſii & aliorum capita lenierunt amicorum, in quos cauſas detorſere. *Plut. in Lucul.* Et Tigranes decies mille inſtructum equitibus Mithri-

datem, in Pontum remiſit. *Memnon. cap.* 57.

Lucullus agmen ad urbem adduxit, ubi Tigranis pellices, & de rebus pretioſis ac charis non pauca aſſervari didicerat. *Id. cap.* 58.

Nec quiſquam Luculli adventum indicavit Tigrani: nam primus qui nuntiarat, ſuſpenſus eſt, tanquam turbator populi : ut verò tandem ſenſit, Mithrobarzanem præmiſit cum duobus millibus equitum, *Appiano:* vel tribus, *Plutarcho :* & peditum ingenti numero, contra Lucullum miſit, cum mandatis, ut eum ad ſe vivum attraheret, ceteros obterreret. *In Lucullo.*

Luculli copiæ partim caſtra metabantur, pars adhuc erat in itinere, cùm nuntiant ei ſpeculatores adeſſe Barbaros. Itaque timuit ne diſtractos & incompoſitos turbaret incurſu ſuos, quare ſubſtitit ad caſtra munienda. Sextilium Legatum cum mille ſexcentis equitibus, militibus Legionariis, & levis armaturæ non multo pluribus miſit, juſſum, cùm veniſſet prope hoſtem, conſiſtere dum ſe caſtra permuniviſſe accepiſſet, & voluit quidem parere juſſis Sextilius, verùm à ferociter invehente coactus eſt Mithrobarzane manum conſerere. In conflictu Mithrobarzanes pugnans cecidit, reliqui in fuga, demptis paucis, perierunt cuncti. *Id. ibid.*

Tum Tigranes relictis Tigranocertis grandi urbe, quam condiderat, ipſe ad Taurum recepit ſe, eo copias omnes contrahens. Ceterum Lucullus ſpatium ei non permittens ad ſe parandum, Murenam miſit ad premendos & carpendos eos qui ad Tigranem conglobabant ſe; Sextilium aliò, ut obſiſteret magnæ Arabum manui, ne conjungerent ſe Regi. *Id. ibid.*

Sextilius caſtra ponentibus ſuperveniens oppreſſit majore ex parte Arabas: Murena Tigranem inſequens aſpera & arcta convalle longo agmine iter facientem, oportunitate data, adoritur Tigranes, dimiſſis omnibus impedimentis, fugam capeſſit. Multi recumbunt, plures capiuntur Armenii. *Id. ibid.*

Mancæo verò Sextilius intra Tigranocertam compulſo, regiam mox extra mœnia ſitam diripuit, urbem arcemque circumvallavit, admotiſque machinis, cuniculis etiam ſuffodit mœnia. *Appian. pag.* 229. In eo rerum progreſſu Lucullus versùs urbem veniens, urbem caſtris cinctam obſedit acriter, non perpeſſurum id ratus Tigranem, ſed ſtimulante ira ad dimicandum deſcenſurum. *Plutarch. in Lucull. pag.* 508.

Mithridates Tigranem per Legatos & litteras *Plutarchus*, tum primùm conveniens *Appianus*, deterruit ne ſigna cum Romanis conferret, ſed cum equitatu tantùm circumcurſando agroſque vaſtando, ad famem eos, ſi poſſet, redigeret, quemadmodum ipſe à Lucullo preſſus ad Cyzicum, ſine certamine amiſerat exercitum. Id conſilium irridens Tigranes, procedebat inſtructa acie. *Appian. pag.* 229.

Tigrani junxerunt ſe Armenii & Gordyeni, ad hæc omne nomen Medorum & Adiabenorum excitum Reges illarum gentium adduxerunt: frequentes quoque à mari Babylonico venerunt Arabes, multi item à mari Caſpio Albani, & contermini illis Iberes, nec pauci ad Araxem colentium liberi Populi, ſtudiis in Regem & donis evocati occurrerunt, ſpe, ferocia, minis barbaricis omnia perſonarunt Regis convivia, perſonarunt conſilia, ibi in diſcrimen vitæ venit Ta-

xiles, qui obliquè repugnabat ſententiæ de committendo prælio. Videbatur etiam per invidiam avertere Tigranem ab inſigni palma Mithridates. Undè nec illum eſt Tigranes præſtolatus, ne in ſocietatem veniret gloriæ. *Plutarch. in Lucul. pag.* 509. & non priùs ipſe miſiſſet, qui Mithridatem revocarent. *Memnon. cap.* 58.

Sex circiter militum millia Tigranes, ad tutandam urbem in qua ejus pellices obſervabantur, ire juſſit. Qui cùm eò veniſſent per medium Romanorum agmen facto impetu, & exitibus ex eorum caſtris ſagittariorum grandine intercluſis, regias concubinas & gazas periculo exemptas noctu Tigrani tutas & ſalicas præmiſerunt. Ubi verò illuxit, Romani & Thraces, certamine cum Armeniis feliciter inito, prolixam eorum ſtragem fecerunt; nec pauciores vivos ceperunt, quam ceciderunt. *Memnon. cap.* 58.

Itaque Tigranes cum reliquo exercitu contra Lucullum progreditur: per quam ægrè ferens (ut ferunt) apud amicos, quod cum uno ſibi Lucullo, non cum univerſis eſſet Romanis Ducibus certandum. Siquidem ſagittariorum & funditorum habebat 20. millia, equitum 50. gravis armaturæ pedites, partim in cohortes, partim in phalangas deſcriptorum 150. M. viarum munitorum & ad alia miniſteria deſtinatorum 35. millia *Plutarch. in Lucul. pag.* 509.

Ut Tauro ſuperato, ſimul cum tanto agmine conſpectus & ipſe ex edito circumſidentem Tigranocerta exercitum Romanum eſt contemplatus, barbara colluvies, quæ in urbe erat, ululatu & plauſu excepit Regis conſpectum, Romaniſque ex muro minitans commonſtravit Armenios. *Id. ibid.*

Conſulenti de prælio Lucullo, alii ducendum in Tigranem omiſſa obſidione ſuaſerunt, alii non relinquendum à tergo tam numeroſum hoſtem, neque intermittendam obſidionem. Ille utroſque dixit parum rectè, ſed ambos rectè cenſuiſſe : atque ita bipartito exercitu, Murenam cum ſex millibus peditum reliquit ad continuandam obſidionem; ſecum duxit quatuor & viginti cohortes, in quibus legionarii non amplius 10. M. erant, univerſum equitatum funditores & ſagittarios ad mille, atque ita proceſſit. *Id. ibid.*

Cùm apud amnem in campo ſpatioſo conſediſſet, apparuit Tigrani admodum exilem eſſe, præbuitque ludibriorum adulatoribus materiam. Hi namque irridebant, illi de manubiis jaciebant per jocum ſortem. Unuſquiſque Ducum & Regum Tigranem adiit, eam Provinciam ſibi depoſcens uni, ipſe ut ſpectator ſederet. Voluit ipſe quoque nonnihil urbanus & facetus eſſe Tigranes, atque uſurpavit illud vulgare: Si ut Legati veniſſent, multos eſſe, ſin ut milites, paucos, ac tunc quidem in iſtis dictis & ludis perſtitere. *Id. ibic.*

At Lucullus prima luce armatas copias caſtris eduxit. Exercitus Tigranis erat ad partem fluminis orientalem. Flexum amnis ad occidentem habet, qua maxime erat ſuperabilis. Eo dum infeſtam aciem citus rapit, Tigrani viſus eſt retrò recedere, appellatoque Taxile ridens, invictos hoſce, inquit, Romanos nonne vides fugere; ad quem Taxiles : Utinam aliquid, inquit, Rex fortunæ tuæ præter expectationem accedat. Atqui non ſumunt illi ad iter ſplendidam veſtem neque tum ſcutis terſis & nudis galeis utuntur,

tur, uti nunc coriaceis detractis armorum tegumentis; ſed eſt ſplendor hic pugnare intendentium & in hoſtem jam euntium. *Id. pag.* 510.

Nondum ſermonem finierat Taxiles, cùm prima aquila flectentis agmen Luculli eſt conſpecta, & cohortes manipulatim in ordines ad tranſitum euntes. Ibi tandem, tanquam ex magna vinolentia Tigranes emergens, bis aut ter exclamavit: In nos illi! Itaque magno tumultu acies inſtructa eſt tantæ colluviei. Mediam ipſe tenuit Rex, Adiabeno attribuit lævum, Medo dextrum cornu, ubi cataphracti plerique erant in fronte collocati. *Id. ibid.*

Tranſmiſſurum flumen Lucullum quidam Duces admonuêre cavendam illam diem, quæ ex nefaſtis (quas atras vocant) erat una. At ille, etiam fauſtam hanc Romanis diem efficiam. Ita fatus, cùm bono animo eos eſſe juſſiſſet, amnem tranſmeavit, ac Princeps duxit in hoſtem, primuſque ad tumulum aggreſſus, cùm videret motum Barbarorum exclamavit: Vicimus ô Commilitones. *Id. ibid.* Dextro verò Tigranis cornu ſtatim in fugam acto, mox inclinatio fit in proximo, dehinc grandem itaque & præcipitem Armenii fugam capeſſunt, & pro hominum numero cædes ſequitur. *Memnon. cap.* 59. Romanis armillas & torques calcando per 120. ſtadia cædem continuantibus, donec nox ſupervenit. Qui tum demum reverſi, ſpoliabant cadavera; quod fieri ante cædem peractam Lucullus edicto vetuerat. *Appian. pag.* 230.

Cæſa è Tigranis copiis V. M. tantùm & his plures captos Phlegon tradit. 30. M. narrat Oroſius *lib.* 6. *cap.* 2. Pedites cecidiſſe ſupra 100. M. Equites paucos effugiſſe

S

ſcribit Plutarchus *in Lucul.* Ex Romanorum exercitu 100. vulnerati, 5. deſiderati: Antiochus Philoſophus negat à ſole victoriam viſam parem, *in Comment.* Ipſos Romanos puduit, & riſerunt quod in ejuſmodi mancipia induiſſent arma, *Strab.* Nunquam Romanos ſigna cum hoſtibus contuliſſe tanto numero inferiores ſcribit *Livius.* Neque enim vigeſimam propemodum partem, imo nec minorem, æquârunt victores victorum. *Plutarch. in Lucul.*

Tigranes initio ſtatim vix 150. equitibus comitatus effuſo curſu ad caſtellum quoddam fugam arripuit. Filium cùm videret in eadem fortuna, detractum ex capite diadema & tiaram illi profuſiſſimis tradidit, aliâ viâ jubens, ſi quâ poſſet, ut ſeipſum ſervaret. Adoleſcens, quia regni inſignia non audebat capeſſere, fidiſſimo amico ea ſervanda dedit, qui fortè captus atque ad Lucullum eſt attractus. Atque ita inventam Tigranis tiaram vittaſque milites Lucullo dederunt. *Oroſ. lib. 6. cap. 3. Xiphilin. in Epit. Dionis.* Lucullus verò ſignis retro Tigranocertam verſus motis, majore conatu in obſidionem incubuit. *Memnon. cap. 59.*

Nec ad pugnam properavit Mithridates, ſolita Lucullum cautione & productione bellum ratus adminiſtraturum: itaque lentè ad Tigranem pergebat. At poſtquam primùm in paucos Armenios incidit in via, qui perculſi metuque exangues recipiebant ſe, conjecit adverſum caſum. Ut plures jam exuti & vulnerati occurrerunt, audita clade, Tigranem requiſivit. Quem cùm ſemel deſolatum, & abjectum offendiſſet, non inſultavit ei viciſſim, verùm ex equo deſiliit, deploratiſque communibus calamitatibus, regium comi-

tatum, qui ipſum ſubſequebatur, dedit illi, eumque in futurum confirmavit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 511. Fiducia ei adhibita, ornatum quoque regium, adſueto non viliorem circumpoſuit. Exercitus etiam colligendi propoſuit conſilium (cum & ipſe manum non contemnendam haberet) ut victoriæ damna bello recuperaturo. Tigranes autem, plus virtutis & prudentiæ illi tribuens,& magis Romanorum bellis,idoneum exiſtimans, omnia Mithridati permiſit. *Memnon. cap.* 60.

Poſt eam cladem Mancæus Tigranocertæ Præfectus milites mercenarios exarmavit, ut ſuſpectos, qui veriti ne comprehederentur, arreptis fuſtibus congregati, & incidebant & quieſcebant. Mancæo verò cum armatis barbaris eos invadente, obvolutis veſte brachiis vice clypei, audenter in eos fecerunt impetum: & quotquot occidiſſent, eorum arma inter ſe ſtatim partiebantur. Cùmque ſatis armorum viderentur nacti pro tempore, occupatis aliquot turribus quibus diſtinguebantur mœnia, vocabant ad ſe Romanos obſeſſores, & aſcendentes recipiebant intra mœnia. Ita Tigranocertâ captâ, ingenti prædâ ditavit exercitum, utpote urbs recens condita, ambitiosè contractis undique incolis. *Appian. pag.* 630.

Ex peregrinis urbem inhabitantibus fuiſſe Cilices, eoſque orta inter ipſos & Armenios ſeditione, Romanos noctu introduxiſſe, atque hos, præter ea quæ Cilicum erant, omnia diripuiſſe affirmat Dio *lib.* 35. Tum, ait Memnon, Mithridatis in urbe Legati deſperatâ rerum ſummâ, Lucullo ſe dedere ſalutem pacti. *cap.* 59.

Lucullus Tigranocerta potitus, theſauros Regis,

qui ibi erant, cepit, urbem militibus dedit diripiendam, in qua, præter ceteras opes, octo millia talentûm pecuniæ ſignatæ ſunt inventa, ſed & octogentas drachmas in ſingulos inſuper de præda diviſit. Cùm repertos in urbe accepiſſet multos ſcenicos, quos undequaque conquiſierat Tigranes dedicaturus theatrum quod extruxerat, his ad ludos & ſpectacula & triumphalia eſt uſus. *Plutarch. in Lucul. pag.* 511. Multas potentiſſimorum conjuges captas ab omni injuria cuſtodivit: atque eo facto maritos earum ſibi conjunxit. *Dio lib.* 35. Græcos autem, præbito viatico, remiſit in patrias ſuas. *Plut. in Lucul. ibid.* Cappadoces quoque & Cilices & alii Barbari, qui eò commigrare coacti fuerant, poſt hirimio domum redire permiſſi ſunt. *Strabo lib.* 11. *pag.* 532. Itaque accidit, ut unâ urbe convulsâ, multæ receptis civibus ſuis inſtaurarentur: à quibus ut bene de ipſis meritus & conditor eſt cultus Lucullus. *Plutarch. in Lucul. ibid.*

Tunc ad Lucullum totius penè Orientis ſupplices venêre Legati. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 3. Antiochum Regem Commagenæ, Alchaudonium Arabiæ regulum, alioſque nonnullos per Legatos ſecum paciſcentes in fidem recepit. *Dio lib.* 35. Multas quoque Armeniæ partes ſibi adjunxit. *Plutarch. in Lucul. ibid.*

Tigranes & Mithridates, obeundo regiones, colligebant alium exercitum, cujus præfectura Mithridati eſt credita, quem alter putabat jam ſatis doctum ſuis calamitatibus. *Appian. pag.* 230.

Tum Legatos qui auxilia peterent, tum ad alios vicinos miſerunt, tum ad Arſacem Parthum, Romanos apud eum traducentes, eoſque ſi victoriam ob-

tinuiſſent contra ſe, ab aliis deſtitutos, in ipſum quoque arma ſtatim verſuros, dicentes. *Dio lib.* 35.

Lucullus verò, de legationibus Tigranis & Mithridatis ad Arſacem miſſis factus certior, ipſe quoque nonnullos ex ſociis ad eundem ablegavit, minas ei ſi illos auxiliis juvare, promiſſiones autem, ſi Romanorum rebus ſtudere maluiſſet, præponentes. *Dio lib.* 35. Illè utrique parti ſocietatem clam pollicitus, neutri præſtitit. *Appian. pag.* 230.

Extat epiſtola Mithridatis integra ad Arſacem apud fragmenta *Hiſt. lib.* 4. *Saluſtii.* De Tigranis bello contra Arſacem ita exponit: *Iram recentis belli .... Ille enim obnoxius qualem tu voles, ſocietatem accipiet....... Quia multitudinem arctis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis, pro victoria oſtentans....... Tu verò, cui Seleucia maxima urbium regnumque Perſidis inclycis divitiis eſt, quid ab illis, niſi dolum in præſens, & poſtea bellum expectas? Romani in omnes arma habent, acerrima in eos quibus victis ſpolia maxima ſunt? audendo & fallendo, & bella ex bellis ſerendo, magni facti, per hunc morem extinguent omnia, aut occident, quod difficile non eſt, ſi in Meſopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitus ſine frumento, ſine auxiliis, &c. Teque illa fama ſequetur auxilio profectum magnis Regibus, latrones gentium oppreſſiſſe. Quod uti facias moneo, hortorque, neu malis pernicie noſtra unum imperium prolatare, quàm ſocietate victor fieri.*

Lucullus ad Gordyænos profectus, quorum Regem Tigranes necaverat, quòd ſocietatem cum Romanis pepigiſſet, illius exequias celebravit. Pyræ veſte & auro regali & Tigranis inſtructæ ſpoliis, ipſemet ſub-

didit facem, ac libamina cum amicis & neceſſariis illius infudit, amicum quoque ſuum & ſocium Populi Romani appellavit. Ad hæc monumentum juſſit ei ſumptuoſum, ex theſauris regiis faciendos locari. Unde Gordyenorum gens ita fuit in Lucullum animata, ut relictis ſedibus ſuis, illum ſequi cum liberis & conjugibus vellent. *Plutarch. in Lucul. pag.* 512.

In Tarbieni regiis aurum & argentum ſunt reperta. Frumenti in horreis decies trecenta millia medinnûm condita erant. Ita & miles auctus eſt, & Lucullo fuit ingenti honori, quod, ne teruncio quidem ex ærario accepto, bellum ipſius belli ſumptibus ſuſtineret. *Id. ibid.*

Hic etiam Regis Parthorum Legati eum adierunt, amicitiam & ſocietatem petentes. Fuit id Lucullo haud ingratum, qui Sextilium miſit ad Parthum. *Id. ibid.*

Arſaces ſuſpicatus hominem bello clarum non tam pacti nuper initi causâ quàm ut regionem copiaſque ſuas exploraret, miſſum, Romanis auxilia nulla ſuppeditavit, ita tamen ut ne contra illos quicquam etiam moliretur, ſed in medio ſeſe partium contineret. *Dio lib.* 35.

Cùm ubi Lucullus Arſacem comperiſſe fluctuantem conſilio, poſcentemque etiam à Tigrane ſocietatis præmium, Meſopotamiam Sextilium reſcivit, Tigranem ac Mithridatem ſtatuit, ut adverſarios confectos tranſilire, & periclitari Parthorum vires atque expeditionem in eos movere. Itaque in Pontum ad Pornatium Legatum ſuum, & alios miſit litteras, ut copias, quæ illic erant, adduceret, quaſi ex Gordiene in Parthos moturus ſigna; ſed illi cùm moroſos & con-

tumaces milites habuerunt, tum in præſentia cognoverunt proterviam eorum, quod nullis blandimentis, vel imperio movere illos valerent, teſtantes & vociferantes, neque illis permanſuros ſe, ſed relicto ſine præſidio abituros Ponto. Hæc ad Lucullum relata inſuper, quos ſecum habebat milites labefecerunt, ob divitias & delicias langueſcentes ad militiam, & otium quærentes. Ut verò illorum acceperunt ferociam, viros appellaverunt, mutandoſque jactaverunt, multis etiam factis miſſionem ſe & requiem meritos. Atque ita Lucullus expeditionem Parthicam deponere coactus eſt. *Id. ibid.*

At Mithridates oppidatim inſtruxerat armorum fabricas & delectus habens, conſcripſit fermè omnes Armenios, ex quibus ſelectis fortiſſimorum 70. M. peditum, & dimidio equitum, reliquos dimiſit, hos verò in turmas & cohortes digeſtos proximè diſciplinam Italicam dedit exercendos viris Ponticis. *Appian. pag.* 230.

Lucullus, ob nimium frigus, media tantùm æſtate movit in Tigranem, poſtquam ſuperavit Taurum, & campos vidit virentes, deprehenſus eſt. Adeo ſunt illi ex algore ſerotina tempora. Attamen deſcendit in campos, ac duobus vel tribus præliis, coortos in ipſum Armenios fudit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 512. Mithridates autem peditatum omnem & partem equitatus in colle continuit: cum reliquo Tigranes Romanos frumentatores adortus, victus eſt; unde poſteà ſecuriùs frumentabantur etiam ex propinquis locis Mithridati & caſtra admoverunt propiùs. *Appian. pag.* 231. Inde liberè vicos populati ſunt, captoque qui-

comportatus Tigrani fuerat commeatu, quam ipſi extimeſcebant, affuderunt inopiam hoſtibus. *Plutarch. in Lucul. pag.* 513.

Lucullus aliquam regionis partem, ut hoſtes eam defendentes ad pugnam eliceret, cùmque nihil illi moverent, ad ipſos contendit, ibi tum equitatus hoſtilis graviter equitatum Romanum premebat, nemine cum peditatu manum conſerente, ſtatimque ubi Lucullus ſcutatis ſuis equitatui ſuccurrebat, terga oſtendebant; neque tamen cladem ullam accipiebant, ſed ſagittis in inſequentes à tergo emiſſis, multos mox interimebant, multos vulnerabant. Ea vulnera gravia difficiliaque ſanatu erant, nam duplices erant ſagittis cuſpides, & ita quidem adfixæ, ut ſive manerent in corporibus tela, ſive extraherentur, interitum eis celerrimum adferrent. *Dio lib.* 35.

Romanus Imperator exercitum inde ad Tigranis regiam convertit Artaxata, ubi parvi liberi & conjuges ejus erant, non facturum ratus Tigranem, quin pro eorum ſalute dimicaret, ad hanc urbem contendentem Lucullum non tulit Tigranes, ſed caſtris motis quarto die prope Romanos conſedit, medium capiens Arſamiam amnem, quem tranſire neceſſe erat petituris Artaxata Romanis. *Plutarch. in Lucul. pag.* 513.

At Lucullus poſtquam Diis ſacrificavit, quaſi certus de victoria, exercitum traduxit. Duodecim cohortibus in fronte poſitis, reliquos, ne circumveniretur ab hoſtibus, in ſubſidiis collocavit. Multi enim & delecti equites ſtabant in hoſtium averſa acie, ante quorum ſigna ſagittis ex equo utentes Mardi & Iberes haſtati, quibus Tigranes præcipuè inter externos milites ut

pugnaciſſimis

pugnaciſſimis fidebat. Nihil eſt ab illis tamen editum præclari. Pauliſper cum equitatu Romano velitati, non tulerunt impetum legionum. Verùm hinc inde fugâ divulſi, equitem ad inſequendum traxere. *Plutarch. in Lucul. ibid.*

Simulat que hi diſſipati ſunt, provehentibus Tigranis equitibus, videns ſplendorem & multitudinem eorum Lucullus, ſubtimuit. Itaque equitem à conſectandis hoſtibus revocat. Interim ipſe Satrapis cum præſtantiſſimo quoque ſibi oppoſitis occurrit primus; quos, antequam manum conſerere poſſent, conſternatos pepulit. Ex tribus Regibus, qui unà in hac acie fuerunt, fœdiſſime fugit Ponticus Mithridates, qui ne clamorem quidem ſuſtinuit Romanorum. Hi cùm per longum ſpatium tota nocte hoſtium tergis inhærerent, non ſolùm trucidandis, verùm etiam capiendis, pecuniaque & præda agenda ferenda fatigati ſunt. Lucius autor eſt priore prælio plures fuiſſe, in hoc nobiliores captos & cæſos. *Id. ibid.*

Hinc erectus Lucullus & fiduciæ plenus, ſuperiores regiones petere & domare ſtatuit barbarum. Cæterùm ſub æquinoctio autumnali graves tempeſtates nec opinantem corripuere. Igitur cùm non multos ſecundum prælium dies fuiſſent Lucullum ſecuti, inſtiterunt ei obluctari. Primum precibus ad Lucullum per Tribunos agere; deindè tumultuoſius coire, & per tentoria noctu conclamare: quod eſſe ſeditioſi exercitus ſignum apparet. Cùm etiam obnixè obſecraret Lucullus, obteſtans eos hactenus, ut occalerent animis, dum Armeniorum Carthagine capta infeſtiſſimi hoſtis (Annibalem deſignabat) opificium deleviſſent. Ubi

T

nihil profecit, retrò ſigna movit. *Id. ibid.*

Per Armeniam aliiſque jugis trajecto Tauro in regionem Mygdonicam appellatam deſcendit, munificam & apricam: in qua urbs ampla & populoſa erat, Niſibin Barbari, Græci vocant Antiochiam Mygdonicam. Huic præerat autoritate Tigranis frater Guras, arte & ſolertia machinali Callimachus, is qui Amiſi plurimum negotii exhibuerat Lucullo. Caſtris propè urbem poſitis, poſtquam omne genus oppugnationis adhibuit. *Id. ibid.*

Initio autem hyemis, cùm Barbari ſe victores Romanoſque jam jam diſceſſuros exiſtimantes, negligentius nonnihil ſe gererent: noctem Lucullus nactus, in qua neque luna fulgebat, & imber ingens cum tonitribus coortus erat, ut neque cernere Barbari neque audire quicquam poſſent: atque ob id exteriorem murum foſſamque in medio actam, paucis ibi relictis, deſererent, ab omni parte murum aggreſſus eſt. Cùmque per aggeres in eum haud difficulter evaſiſſet, obtruncatis nullo negotio cuſtodibus, qui ibi pauci relicti fuerant, partem foſſæ aliquam, (ante enim Barbari pontes dejecerant) ingeſta terra æquavit; cùm ab hoſtibus neque ſagittis, neque igne ob vim pluviarum lædi poſſet. Foſsâ ſuperatâ, urbem ipſam ſtatim cepit: neque enim erant interiora mœnia admodum valida, quod exterius obductis fidebant. *Dio lib. 35.*

Eos qui in arce confugerant, fide datâ acceptâque, recepit. *Id. ibid.* In quibus Tigranis fratrem Guram, in poteſtatem ejus ſe dedentem, comiter habuit Callimachum autem non audivit, quamvis grandis pecuniæ ſe reconditos theſauros profiteretur proditurum,

verùm in vinculis haberi imperavit ad pœnas pendendas, quod inflammata Amiſenorum urbe, gloriam ſibi & benignitatis erga Græcos materiam declarandæ præcidiſſet. *Plutarch. in Lucul. pag.* 514. Multâ deindè acceptâ pecuniâ, Niſibi Lucullus hiberna habuit. *Dio lib.* 35.

Dum Niſibim Lucullus obſideret, Tigranes ad eam, quam inexpugnabilem eſſe exiſtimabat, defendendam ſe non convertit: ſed Mithridate propriam in regionem miſſo, ipſe in Armeniam ſuam contendit, ubi L. Fannium reſiſtentem ſibi obſedit, tantiſper dum Lucullus re cognita auxilio illi proficiſceretur. *Dio ut ſuprà.*

Mithridatem, in Pontum ad regni ſui reliquias profectum, ſequebantur propriorum quatuor millia, & totidem accepti à Tigrane. *Appian. pag.* 231. Cum quibus ille alteram Armeniam ceteraſque regiones invadens, multos Romanorum in iis regionibus vagantes ex improviſo adortus interfecit, nonnullos prælio victos cæcidit, & pleraque loca magnâ celeritate recepit. Benevolentia enim illi homines erga Mithridatem affecti erant, tum quod ſuæ eſſet gentis, tum ob paternum ejus regnum: iidemque Romanos odio habebant, partim quòd peregrini eſſent, partim quòd à præfectis eorum malè tractarentur: itaque Mithridati libenter acceſſerunt. *Dio lib.* 35.

Mithridates aggreſſus M. Fabium Ducem à Lucullo in iis locis relictum in fugam vertit, quingentis in ea pugna occiſis. *Appian. pag.* 231. Magnopere uſus auxilio Thracum, qui cum antea ſub ipſo ſtipendia fuiſſent, tum cum Fabio militabant: itemque ſervorum

qui in caſtris Romanorum erant. *Dio lib. 35.*

Primum Thraces à Fabio ſpeculatum miſſi, cùm nihil ſani renuntiaſſent, iſque incautius progreſſus in Mithridatem incidiſſet, Thracesquoque Romanos adorti ſunt. Undè in fugam verſus eſt Fabius, quingentis in ea pugna occiſis. Fabius deindè, liberatis ſervis, quotquot caſtra ſequebantur, rursùs per totam diem dubio Marte pugnavit, donec ſervis libertatem Mithridate deferente, ipſi in prælio adjuverunt, periiſſentque haud dubiè Fabiani omnes, niſi Mithridates ſaxo ictus in genu, & telo ſub oculo ſaucius, elatus celeriter fuiſſet è prælio. Dum barbari enim, de Regis ſalute ſolliciti, per multos dies à pugna ceſſarent; Fabio cum ſuis in tutum locum perfugiendi ſpatium conceſſus eſt. Curabant autem Regem Agari, gens Scythica, remediis confectis è ſerpentum virulentia: qui propterea ſemper ſequebantur comitatum regium. *Dio & Appianus ut ſuprà.*

Fabius deindè Cabiris incluſus oppugnatuſque, à C. Triario ſervatus eſt: is enim cùm ex Aſia ad Lucullum iter eà faciens rem geſtam accepiſſet, coacta ex iis qui aderant, quàm maximâ poterat manu, Mithridatem, totum exercitum Romanum adverſus ſe venire putantem, adeò terruit, ut priuſquam in conſpectum ejus veniret, caſtra movere cogeret. Undè Triarius audacior factus uſque in Comana fugientem inſecutus, ibi vicit. Caſtra habebat Mithridates ex altera ejus fluvii parte, quâ Romani accedebant. Eos ut ex itinere feſſos aggrederetur, ipſe prior occurrit: reliquos inter prælium, per alium pontem invadere juſſit. Cùm diu æquo Marte certatum eſſet, pons

abruptus, quod multi confertim per eum tranſire contenderent, Mithridatem ſubſidiis ſpoliavit, perturbavitque. Ab hoc conflictu utrique *ob hyemene* ſe in caſtella receperunt, & quieti dederunt. *Dio lib.* 35.

Poſtquam Mithridatem nuntiatum eſt, fuſo Fabio, in Sornatium & Triarium pergere, milites verecundiâ moti, Lucullum ad ſuppetias illi ferendas ſecuti ſunt. *Plutarch. in Lucul. pag.* 515. Mithridates interim ad Gaziurſa Triario oppoſitis caſtris, provocare hominem ad prælium atque irritare intendit, cum aliis rebus tum quod ipſe milites in oculis Romanorum exerceret, ac duces exercere juberet, ut cum eo congreſſus ante Luculli adventum, ſuperiorque factus (quod ſperabat) reliquam etiam regni partem recuperaret. Cùm Triarium non eliceret ad caſtellum, cui Dadaſa nomen erat, oppugnandum, ſuorum aliquos mittit, in quo impedimenta Romanorum depoſita erant, ut ſaltem illorum tuendorum causâ hominem ad conſerendas manus adduceret, neque id eum fefellit. Cùm enim eatenus Triarius Mithridatis multitudinem reformidans, Lucullumque, quem acceſſierat, operiens, ſeſe continuiſſet, poſtquam Dadaſæ oppugnari accepit, militeſque rebus ſuis metuentes, tumultuantes, minati ſunt ſe injuſſu ejus, niſi ipſos reduceret, ad defendendum ituros, invitus caſtris exceſſit. *Dio lib.* 35.

Cùm progreſſus eſſet Triarius in aciem contra Mithridatem, procella, qualis nulla ante in omni hominum memoria, exorta eſt; quæ in utriſque caſtris disjecit tentoria, jumenta tranſverſum egit per devia, præcipitavit etiam nonnullos milites. Et tunc quidem

utrique retroceſſerunt. Cùm autem nuntiaretur adventus Luculli, Triarius abſente illo depugnare cupiens, ante lucem invaſit ſtationes Mithridatis: cùmque diu pari virtute certaſſent, tandem Rex in ſuo cornu connixus incepit victoriam, & diſtractis hoſtibus peditatum eorum in foſſam quandam cœnoſam compulit, ubi cædebantur impunè ſidente veſtigio. Uſus deindè victoria, perſequebatur animosè per campos equites, donec quidem Romanus Centurio, qui ſpecie famuli equitantem curſu æquabat, in femur eum percuſſit graviter, quod tergum ejus non ſperaret ſe poſſe per thoracem perfodere, & hunc quidem ſtatim in fruſta conciderunt proximi: Mithridates verò in extremam aciem relatus eſt. *Appian. pag.* 232.

Amici Regii ſuis egregiè vincentibus ſignum properè dederunt receptui: id ut inopinatum, trepidationem injecit pugnantibus, veritis ne fortè aliundè aliquid mali acciderit, donec re cognitâ ſtatim in campo tumultuariè circumſteterunt corpus regium. Tandem Timotheus Medicus cohibito ſanguine, ſublimem eis oſtendit. Mithridates, poſtquam recollegit animum, ſtatim reprehendit eos qui ſignum receptui dederant, & eâ ipsâ die Romanis caſtris admovit exercitum, quæ jam deſerta erant pavore militum, Romanorum militum ſupra 7. M. cæſa fuiſſe dicuntur, *Plutarcho*. Inter cadavera reperti ſunt Tribuni 24. Centuriones 150. Quantus Præfectorum numerus haud temerè in illa Romanorum clade deſideratus eſt. *Appian. ibid.*

Ad Scotium verò montem pugnam hanc factam fuiſſe, Appianus docet *pag.* 254. Non longius millibus paſſuum tribus à Zela Ponti oppido eum abeſſe indi-

cat Hirtius *de bell. Alexandr.* In illo campo Mithridates erexit trophæum, quod Julius Cæſar poſtquam in eodem loco poſtea Pharnacem Boſphori Regem Mithridatis filium viciſſet, non ſuſtulit, uti nefas erat, ſed alterum poſuit, cujus nobis ſunt illius nummi argentei teſtes, in quibus ab una parte caput Veneris cum his litteris H. T. id eſt ſecundum trophæum, & in averſa illius parte, duo trophæa. Et ab hac victoria Cæſaris, Zelitæ poſtea epocham libertatis ſuæ dinumerarunt, ut indicant nummi Juliæ Piæ & Caracallæ cum annis 240.

Mithridates, curato vulnere, ſuſpicatus alios quoque in ſuo exercitu hoſtes eſſe, militum delectum quaſi alius rei cauſa inſtituit; juſſiſque ſingulis confeſtim in ſua tabernacula ſe recipere, Romanos ſolos deprehenſos occidit. *Dio lib. 35.*

Inde in Armeniam, quam Romani Minorem vocant, ſe recepit, commeatus qui deportari poterant ſecum auferens, ceteros vero corrumpens, ne Lucullo venienti eſſent uſui. Quo tempore Attilius, Romanus Senator, qui judicii metu dudum profugus ad Mithridatem in amicitiam ejus receptus fuerat, deprehenſus eſt Regi ſtruere inſidias. Quem ille pro dignitatis priſtinæ reverentia torqueri vetitum, ſimplici morte necavit: ſed conſcios excruciavit graviter. Liberti vero cum quibus Attilius conſilium communicaverat, illæſi dimiſſi ſunt, ut patroni ſui miniſtri. *Appian. pag.* 232. & 233.

Adveniens Lucullus Triarium, quem infenſi milites requirebant, clam eripuit; ſed qui ſubceciderunt militum cadavera reliquita inhumata, quod ſuorum mi-

litum animos imprimis ab eo putatur abalienaſſe. *Plutarch. in Lucul. & Pomp. pag. 515.*

Ad Talaura loco edito Mithridates conſidens, & adventantem cum ingenti manu Tigranem expectans, priuſquam conjungerentur ambo, pugnam detrectabat, & Medus Mithridates alter Tigranis gener, Romanos palantes repentè adortus, magnâ clade affecit. *Dio lib. 35.*

Lege Gabinia Conſul M. Acilius Glabrio in Bithyniæ & Ponti Provincia ſucceſſor Lucullo datus eſt, & legionibus Fimbrianis quæ militiâ liberatæ priùs, iterùm ſtipendia faciebant, militiæ miſſio facta eſt. Quod cùm illæ comperiſſent, victoriâ quieteque, & rerum copiâ luxuriantes, ad hæc abſente Lucullo degentes, tumultuatæ ſunt Lucullum quaſi privatum jam contemptui habentes. *Id. ibid.*

Lucullus inops conſilii, nec temerè ſe movere loco, nec ibi hærere auſus, ſtatuit obviam procedere Tigrani, ſi fortè illum inopinantem ſimul ac itinere fatigatum fundens, aliquo modo ſeditiones militum componeret, quorum neutrum ipſi ſucceſſit. Milites enim aliquandiu eum ſecuti, cùm in Cappadociam iter flectendum eſſet, omnes unanimiter, ne verbo quidem ullo facto, ſeſe converterunt. Valeriani qui & Fimbriani, cùm Romæ exauctoratos ſe eſſe accepiſſent, & aliis decretas eſſe Luculli Provincias, omnino à ſignis dilapſi ſunt. Nullam non hîc indignitatem ſubiit Lucullus, ſingulos orando & tentoria obeundo, demiſſus & lachrymis oppletus: nonnullorum etiam prehendens manus. Illi verò prenſationes repellere, inanes zonas objicere, jactareque, ſolus dimicaret

caret cum hoſtibus, ex quibus diteſcere noſſet ſolus. *Dio lib. 35. & Plutarch. in Lucul. pag. 515.*

Ita Lucullum, ne perſequeretur Mithridatem ac Tigranem, ſummamque victoriæ imponeret, ſeditio militum tenuit, qui ſequi nolebant, cùm legiones Valerianæ, impleta à ſe ſtipendia, dicentes, Lucullum relinquerent. *Liv. lib. 98.* Tandem tamen ceterorum quoque militum precibus Fimbriani iſti expugnati, receperunt ſe illam æſtatem ad ſigna manſuros: quod ſi nemo interea ad pugnandum ſecum deſcenderet, diſceſſuros. His oportebat acquieſcere Lucullum, aut deſertam præſidio relinquere Barbaris Provinciam: continuit ergo illos, non jam imperio, neque eos in aciem eduxit; verùm ſatis huic erat, modò manerent, patiebaturque vaſtari à Tigrane Cappadociam, & inſoleſcere de integro Mithridatem. *Plutarch. in Lucul. pag. 516.*

Scripſerat verò jam antè ad Senatum Lucullus confectum à ſe fuiſſe bellum Mithridaticum, adveneruntque ad res Ponti componendas, ſicut pacatas, Legati. Qui ubi jam adfuerunt, offenderunt ne ipſum quidem ſui juris eſſe, verùm à militibus haberi ludibrio & ſugillari. Hi verò eò in Imperatorem progreſſi inſolentiæ ſunt, ut exacta æſtate ſumpſerint arma, gladiiſque diſtrictis provocarent nuſquam apparentes, qui jam receperant ſe hoſtes, jubilanteſque & brachia jactantes inaniter, excederent caſtris, teſtati completum tempus, quo Lucullo commoraturos ſe promiſerant. *Id. ibid.*

Adveniens deindè in demandatam ſibi Provinciam Acilius Glabrio Conſul, dimiſſis circa populos præco-

nibus pronuntiavit, Lucullum incuſari à Senatu quod bellum diutiùs juſto protraheret: proindè Senatum miſſum facere ejus exercitum, publicaturum bona eorum qui voluntati ſuæ non paruerint. Quibus ad exercitum perlatis, mox diffluebant milites; exceptis paucis, qui admodum pauperes, ideoque mulctam non timentes, maluerunt apud Lucullum permanere. *Appian. pag.* 233. Sicque propè totum regnum ſuum Mithridates recepit, & Cappadociæ multum detrimenti intulit: neque Lucullo obſtante, neque ipſo Acilia defendente. Is enim cùm priùs feſtinaſſet, ut victoriam Lucullo præriperet, ubi tum quæ acta eſſent reſcivit, ne ad exercitum quidem venit; ſed in Bithynia tempus traxit. *Dio lib.* 35.

Interea Tigranes junior Mithridatis ex filia nepos, à Tigrane patre deficiens, bello ab eo victus eſt; indeque primores ſibi adjungens patris imperio offenſos, ad Phrahatem *Sinatrockis filium*, Regem Parthorum, confugit. *Id. lib.* 36.

Pompeius in Luculli locum, ad gerendum bellum adversùs Mithridatem profecturus, cum Rege Parthorum Phrahate amicitiam renovavit. *Liv.* 98.

Pro cujus cum Pompeio initi fœderis ratione Phrahates Armeniam Tigrani ſubditam unà cum juniore Tigrane, *cui filiam uxorem dederat*, invaſit. Pervenientes igitur uſque ad urbem Artaxata, obviis omnibus ſubactis, eam obſederunt. Tigrane ſene, eorum metu, in montes ſe ſubducente. *Dio lib.* 36.

Ad tentandum Mithridatis animum, Metrophanem, qui amicas ei occaſiones offerret, Pompeius miſit. Mithridates Pompeium parvi admodùm eo tempore pende-

bat, quod Phrahatem Parthorum regnum recens adeptum, adjunctum ſibi ſperabat. Quem ubi celeriter à Pompeio præoccupatum ad invadendum Tigranis Armeniam impelli percepiſſet; animo collapſus, Legatos ex templo ad Pompeium miſit, qui de conditionibus pacis agerent, Pompeius ut arma deponeret, & transfugas traderet, jubebat. *Id. ibid.*

Ubi id primum in exercitu Mithridatis eſt auditum, transfugæ, quorum magnus erat numerus, ne traderentur veriti, atque Barbari, ne deſtituti auxilio horum bellare cogerentur, tumultuabantur, & admiſiſſent aliquid in Mithridatem, niſi Legatos à ſe miſſos ille prætendiſſet, non pacis petendæ causâ; ſed ut Romanorum apparatum ſpecularentur. *Id. ibid.* Juravit ſe nunquam cum Romanis pacem habiturum, propter ipſorum avaritiam, nec traditurum eis quemquam, nec faſſurum quicquam niſi in communem utilitatem omnium. *Appian. pag.* 238.

Cùm jam in Galatiam Pompeius veniſſet, ei Lucullus obviam factus eſt, *Dio lib.* 36. ad Danaia caſtellum. *Strabo lib.* 12. *pag.* 567. Erat Lucullus Conſulatus ordine & ætate prior, ſed Pompeii ex pluribus imperiis & gemino triumpho dignitas ſuperior. Faſces utrique laureatæ, victoriarum causâ, præferebantur. Quia verò venerat Pompeius longâ viâ per loca arida & ſqualida, torridas laureas faſcibus ejus circumjectas, cùm conſiderarent Luculli lictores, benignè illius lictoribus largiti ſunt ex ſuis recentibus & virentibus. Eam rem amici Pompeii in fauſtum omen vertêre, Luculli victoriarum præmia & ornamenta Pompeium ablaturum. *Plutarch. in Lucul. pag.* 516.

Lucullus Pompeio debellatum omnino Mithridatem affirmavit, neque expeditione quicquam opus eſſe militari: hac eadem de cauſa etiam viros, à Senatu ad res componendas ablegatos jam adeſſe. Pompeio cùm ut retrò cederet, non perſuaderet, ad eum criminandum ſe convertit: inter alia probra, hominem multarum ſubindè rerum agendarum, bellique & imperii cupidum nominans. Pompeium parum ea moverunt: itaque propoſito edicto juſſit, ne quis in poſterum Lucullo obtemperaret. *Dio lib.* 36.

Lucullus in Galatia diviſit pro arbitrio captum de hoſte agrum, & dona alia dedit, indeque acerbè à Pompeio eſt reprehenſus, quod hoſte vivo Provincias componeret, præmiaque & honores elargiretur, quæ facere patrato & confecto bello victores ſolerent. Milites ab eo Pompeius abſtraxit omnes, 1600. ſolùm ad triumphum illi relictis; itaque Lucullus Romam rediit, & Pompeius movit in Mithridatem. *Plutarch. in Pomp. & in Lucul. pag.* 516.

Pompeius caſtrametatus eſt in Mithridatis finibus: qui tum è propria ditione habebat lectiſſimum exercitum. 30. M. peditum, 3. M. equitum, 2. tantùm *Plutarcho*, ad regni ſui præſidium. Et quia Lucullus eam regionem nuper vaſtaverat, propter inopiam commeatuum, multa fiebant transfugia, quamvis Rex in deprehenſos ſæviebat attrocibus ſuppliciis, quos aut de rupe dabat præcipites, aut mulctabat oculis, aut vivos comburebat: quo metu abſterrebat quidem multos ne transfugerent, ſed nihilominus atterebatur inopia. *Appian. pag.* 238.

At Pompeius equitibus collocatis in inſidiis, alios miſit qui propalam ſtationem Regis laceſſerent: quos

juſſit poſt provocationem cedere, quaſi territos, donec hoſtes in inſidias provecti terga verterent: & fortaſſe victores irrupiſſent in caſtra cum fugientibus, nî Rex hoc ipſum metuens, produxiſſet pedites: illi verò retroceſſerunt. Hæc fuit prima inter partes equeſtris velitatio. *Id. ibid.*

Mithridates aliquandiu ſubterfugiebat, quòd copiis eſſet minoribus inſtructus, vaſtabatque obviam quamque regionem, hoſtemque hinc indè circumducere & commeatuum inopiâ affligere ſtudebat. Ubi verò Pompeius Armeniam ingreſſus eſt, partim hac ipſa de cauſa, partim ut eam deſertam occuparet; ibi demum veritus Mithridates, ne ea regio ſe abſente in poteſtatem hoſtium veniret, eò perrexit. *Dio lib. 36.* Tumulum ex adverſo hoſtium tutum inſedit, ipſe cum toto exercitu quietem egit, penuria rerum neceſſariarum Romanos ſe confecturum ſperans, quæ ſibi in ſua ditione commoranti, undequaque affatim advehebantur. Erat ſub eo tumulo planities nuda poſita: in eam ſubindè nonnullos equitum demittebat, qui obvios quoſque læderent; quo effectum eſt, ut crebri ab hoſte ad eum transfugerent. *Id. ibid.*

Pompeius cùm eo in loco hoſtem aggredi non auderet, alium caſtris locum obtinuit, circa quem omnia ſylvis erant obſita, ut minus jam hoſtium equitatus ſagittariique nocere poſſent. Ibi inſidiis commodo loco poſitis, ipſe cum paucis ad caſtra hoſtium palam acceſſit: tumultuque excitato, ad locum, quem deſtinaverat, è caſtris eos pertraxit: ita magnam hoſtium cædem fecit. Addidit ea res animum, ideoque alios ad alias regionis partes emiſit, qui commeatus explicarent. *Id. ibid.*

Cùm montem in quo caſtra habuerat, quaſi aridum Mithridates reliquiſſet, eum ipſum occupavit Pompeius, atque ex fruticum indole locorumque convexitate conjiciens ſubeſſe ibi fontes, imperavit puteos paſſim deprimi, fuitque in caſtris ſtatim aquæ affluentia, ut miraretur tam diu id Mithridatem fugiſſe. *Plutarch. in Pomp. pag.* 635.

Mithridates autem montem occupavit in Acíliſena, quâ præditum, apud Daſtira, non procul Euphrate, qui dividit minorem Armeniam ab Aciliſena. *Strabo lib.* 12. *pag.* 555. Pompeius caſtra Regis in minore Armenia juxta montem Daſtracum. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 4. Ibi vallum 150. ſtadiorum crebris caſtellis diſtinctum Regi circumdedit, ut difficilem ei frumentationem redderet. Id opus Rex non impediit, ſive metu, ſive imprudentiâ, quæ plerumque ſolet calamitatem antecedere. Per dies 50. *Plutarcho* tantùm 45. Pompeius obſeſſum tenuit, Mithridates quidquid jumentarum cùm mactaviſſet, equis tantùm ſervatis, ut famem exercitûs ſublevaret, abiit. *Appian. pag.* 239.

Rex Manaitin regionem Armeniæ, Deo ejuſdem nominis conſecratam, per aliquot dies cepit, frequenteſque alios ſe adjungere, Marcii quoque exercitum Pompeio acceſſiſſe percepit, regionem hanc ſibi relinquendam ſtatuit. Igitur noctu caſtra movit, & nocturnis deinceps itineribus Armeniam Tigrani ſubditam petiit. *Dio lib.* 36. Atque Pompeium perſequentem bellè repellere ſtatuens. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 4.

Pompeius vix eum aſſecutus extremum agmen invaſit. Rex ne tum quidem, quamvis amicis ſuadentibus, deſcendit in prælium, contentus hoſtem ſubmo-

vere per equites, & veſperè in denſiſſimas ſylvas ſe abdidit. *Appian. pag. 239.*

Sequenti die vicum occupavit circumquaque munitum rupibus: ad quem unicus aſcenſus patebat, & ſervabatur à quatuor cohortibus. Romani quoque ex adverſo ſtationem oppoſuerunt, ne Rex effugeret. *Dio lib. 36.* Cùm in ipſos limites adventum eſſet, metuens Pompeius ne Euphratem tranſmittere Mithridates anteverteret, atque ita effugeret, nocturnam pugnam tentare inſtituit. *Plutarch. in Pomp. pag. 636.* Eò ſtatuto prior caſtra clàm movit, fefellitque Barbaros meridie conquieſcentes, eâ pergens viâ, quâ ipſi erant ituri, nactuſque locum idoneum inter colles ſitum, ibi milites in edita traduxit, expectavitque hoſtium adventum. Barbari, quibus nihil tunc adverſi evenerat, & jam in loca tuta ſe accedere credebant, ſecurè neque cuſtodiæ etiam causâ quoquam præmiſſo, ibant ſperantes ab inſequendo jam Romanos deſtitutos. *Dio lib. 36.*

Quo tempore fama fert vidiſſe Mithridatem in ſomnis ſpeciem, quæ futura ei pronuntiaret. Videbatur ſibi in mari Pontico ſecundo navigare vento, Boſphorumque jam proſpicere & comiter unà vectos affari, ut qui certa & indubitata incolumitate gaudeat, verùm repentè ab omnibus ſe reperiſſe deſertum, ac fragmento exiguo navigii jactari. His occupatum motibus & imaginibus aſſiſtentes amici excitavêre, Pompeium nuntiantes adeſſe. Pugnandum igitur neceſſariò pro vallo erat, eductiſque copiis ſtruxerunt Duces aciem. *Plutarch. in Pomp. pag. 636.*

Quos parare ſe ubi Pompeius animadvertit, dubi-

tavit per tenebras diſcrimen prælii, tantùm circumfundendos, ne fugerent, arbitratus eſt, ac ſub lucem exercitu ſuo, qui firmior erat, aggrediendos. At majores natu ordinum ductores precando & adhortando concitaverunt. *Id. ibid.*

Porrò id prælium ſic commiſſum eſt. Primò omnium ex compoſito omnes tibicines ſimul claſſicum cecinere, pòſt & milites & cætera turba clamorem bellicum ſuſtulerunt; tum alii haſtis ſcuta, alii ſaxis ærea vaſa percuſſerunt. Montes circumcavi acceptum ſonitum quàm maximè terribilem reddiderunt, quem ut repentè Barbari nocturnum in deſertis locis accepere, vehementer animo dejecti ſunt, ſe divinitus immiſſum in malum incidiſſe rati. Interim Romani undique de ſublimi lapidibus, ſagittis teliſque jaculari, & ob tantam multitudinem nullum ſine vulnere telum cadere: Barbari in ſummum diſcrimen adduci (non enim ad prælium, ſed ad iter ſe compoſuerant, obſervabanturque eodem in loco equi cameliqu e multiplices, tum viri mulieresſque, partim equis, partim curru, covinis carriſque promiſcuè tractati.) Alios accepta vulnera, alios expectata terrere; igitur tanto facilius, ipſi ſe in concurſu prementes, perire. *Dio lib.* 36.

Hæc eminus icti mala tolerabant: Romani, cùm jacula omnia conſumpſiſſent, in Barbaros decurrerunt, ibi extremorum cædes facta, (& erant plerique inermes; ita ut ad mortem unus ictus ſufficeret) quique in medio erant, undique ob præſens periculum huc ſe recipientibus exterioribus, premebantur: mutuoque ſeſe trudentes conculcanteſque peribant, cùm neque

ſeipſos

ſe ipſos tutari neque hoſtem aggredi poſſent: quod major pars equites ac ſagittarii erant, quibus neque in tenebris proſpectus, neque in tantis anguſtiis conatus ullus procedebat. *Id. ibid.*

Ubi Luna effulſit, Barbari utique ſe in luce hoſtem depellere poſſe putantes gaudebant, poteratque ipſis commodo eſſe, niſi eam à tergo Romani habuiſſent: modò hac, modò illac incidentes, juſſum conatuſque eorum magnopere decepiſſent. Nam quia admodum frequentes erant, ſimul omnes umbram perquàm denſam edebant, quæ Barbaros, cùm invaderentur, decipiebat. Fruſtra enim inanem umbram, ac ſi jam comminus ſtarent, impetebant: cùmque in umbra propiùs congrederentur, etiam præter expectationem vulnerabantur. Eo modo & plurimi ſunt interempti, & haud pauciores vivi in poteſtatem hoſtium venerunt. *Id. ibid.*

Nocturnum hoc fuiſſe prælium omnes ferè Hiſtorici conſentiunt; ſolus Appianus interdiu rem ita narrat. Poſtridie uterque exercitus primo mane armatus eſt, & progreſſi utrimque ſtationarii velitabantur per declivia: nonnulli etiam equites Regii, ſine equis injuſſi opem ferebant ſuis militibus: in quos cùm complures Romanorum equites irruerent, Regii uno agmine caſtra curſu petebant, ut conſcenſis equis cum Romanis æquo Marte confligerent. Eos ita cum clamore curſuque ruentes conſpicati è ſuperiore loco qui adhuc armabantur, rem non intelligentes, ratique hos captis diverſa parte caſtris fugere, & ipſi projectis armis fugiebant: & cùm non pateret exitus, impingebant in ſe invicem, glomerabanturque donec per rupes

deſilirent. Atque ita Mithridatis exercitus periit propter temeritatem eorum, qui dum immiſſi volunt ſuis ſuccurrere, tumultum excitaverunt. Reliquum facile fuit Pompeio conficere, cædenti prehendentique inermes & impeditos rupibus. *Appian. pag.* 239. *&* 240.

Longè pluſquam decem millia interiiſſe narrat *Plutarchus.* Plurimos fuiſſe occiſos, haud pauciores vivos in poteſtatem Romanorum veniſſe, *Dio.* Quadraginta millia, *Eutropius.* Totidem cæſa vel capta, *Oroſius.* Pompeium verò 20. vel 30. tantùm de exercitu ſuo amiſiſſe & duos centuriones, *Eutropius.* Romanos vulneratos mille, vix autem 40. interfectos ſcribit *Oroſius.*

Ipſe Mithridates octingentorum equitum cuneo per Romanos erupit. Mox ceteris dilapſis, ſolus relictus cum tribus eſt: in quibus Hypſicratia fuit pellex, *Valerio Maximo* conjux, quæ ſemper quidem virilis audaciæ fuerat, quare Hypſicratem eam Rex appellavit. Tunc verò veſte amicta virili Perſica, & equo vecta, nec corpore ex fugæ prolixitate fatiſcere viſa eſt, nec curando Regis corpore & equo eſt fatigata. *Plutarch. in Pomp. pag.* 636. Filia quoque Dripetine Ladoice Regina nata, duplici ordine dentium deformis admodum, comes fugæ patris fuit. *Val. Max. lib.* 1. *cap.* 8.

Sic igitur Rex inter tumultus belli fugâ elapſus, adjutus etiam beneficio ſubluſtris noctis evaſit: per devia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos ſtrepitus trepidans; *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 4. donec in quoſdam equites mercenarios incidit, & peditum circiter tria millia, à quibus ſtatim deductus eſt in caſtellum Sinoregem; ubi multum pecuniæ coacervaverat. *Appian.*

*cap.* 240. Quod caſtellum Inora *Plutarcho*, Sinoria *Straboni*, in confinio minoris & majoris Armeniæ poſitum, *lib.* 12. *pag.* 555.

Mox data ſunt ab eo munera & annua ſtipendia numerata fugæ comitibus, ablataque indè fermè ſex millia talentorum. *Appian. pag.* 240. Indèque ſumpſit veſtes pretioſas, quas confluentibus ad ipſum ex fuga diſtribuit. Præterea lethale virus cuique amicorum ferendum ſecum dedit, ne quis in manus hoſtium veniret invitus. Inde in Armeniam ad Tigranem contendit. *Plutarch. in Pomp. pag.* 636.

Cùm ab eo per Legatos compellato nullum amicum reſponſum tuliſſet, quod is Mithridatem Tigrani filio ſuo (erat is nepos Mithridatis) contra ſe ſeditionis cauſam fuiſſe prætenderet: ac ob id præterquamquod Mithridatem non ſuſcipiebat, Legatos etiam comprehenſos in vincula conjeciſſet: ita ſpe ſua fruſtratus, in Colchidem verſus eſt. *Dio lib.* 36.

Cùm nuſquam curſum intermitteret, die quarta Euphratem tranſiit. Per triduum deindè diſpoſitis & armatis præſentibus, vel accedentibus copiis, invaſit Chotenen, præfecturam Armeniæ, ubi Chotenos Hiberoſque miſſilibus ac glandibus iter impedire conatos propulit, & pervenit ad Abſarum fluvium. *Appian. pag.* 240.

Pompeius, qui Mithridatem inſequerentur, emittit: Is verò Phaſin flumen tranſgreſſus effugerat. *Dio lib.* 36.

Tigranes pater in filium Tigranem, ſolum, Phrahate in regnum reverſo, ad Artaxatorum obſidionem profectus, prælium eum vicit, atque is in fuga pri-

mùm ad Mithridatem avum ſe contulit. Eum autem victum eſſe cùm intelligeret, atque ipſum auxilio aliorum magis indigere, quàm alii poſſe opitulari, ad Romanos ſe adjunxit, Pompeioque ad Araxem flumen occurrit, *apud Plutarchum*: eoque Duce uſus Pompeius in Armeniam atque adverſum patrem ejus, exercitum duxit. *Dio ibid.*

Tigranes pater re cognita territus, ſtatim præconem ad Pompeium miſit, traditis etiam Mithridatis Legatis, quos in vincula conjecerat. Cùm filius impedimento eſſet, ne quicquam tolerabile poſſet impetrare, nihiloque minus Pompeius, tranſmiſſo Araxe fluvio Artaxatis appropinquaret, ibi demùm Tigranes urbem ei dedidit, ipſeque ſua ſponte in caſtra Pompeii advenit, ne caduceatore quidem præmiſſo: ita ſe, quo & reverentiâ Pompeio, & miſericordiâ dignus videretur, comparaverat, ut quantum ejus fieri poterat, maximè inter priſtinam dignitatem, ac præſentem humilitatem, medium ſervaret ſtatum. Togam namque, quam dimidia ſui parte albam gerere ſolebat, & candyn totum purpureum exuerat, tiaram autem cum faſcia gerebat. *Id. ibid.*

Permiſſurus ejus arbitrio omne ſuum jus, & accuſaturus filium apud ipſum judicem. Cui cùm Pompeius Tribunos & Præfectos equitum obviam miſiſſet honoris gratiâ, Regis comites parum ſecuros ſe rati, quia caduceatorem non præmiſerat, retrò fugerunt. *Appian. pag.* 243.

Ubi ad caſtra Pompeii 16. ab Artaxatis milliario Tigranes venit, præſto ei fuerunt duo Pompeii lictores, qui juſſerunt ut equo deſcenderet, quo vectus patrio

more ipſum etiam vallum intraturus fuerat. Neminem enim mortalium in caſtris Romanis unquam viſum, qui equo inſideret. Obtemperavit Tigranes, gladiumque diſcinxit tradiditque eis. *Dio ut ſuprà.*

Pedibus ingreſſum, projectoque diademate in terram prolapſum, adorantemque ſe more barbarico intuitus Pompeius, miſericordiâ commotus exiluit, & apprehensâ dexterâ eum erexit, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abjecerat, repoſuit; & ſedere juſſit ad latus ſuum, ex altero filium collocans; qui neque aſſurrexit patri, neque ulla comitate erga eum uſus eſt. *Id. ibid.*

Tigranes ſe regnumque ſuum Pompeii ditioni permiſit, & ab hoc deindè ſimul cum filio, ad cœnam invitatus eſt: verùm filius vocatus non adfuit, quâ re in primis ſibi Pompeium infenſum reddidit. *Id. ibid.* Patri avitum Armeniæ regnum reſtituit, filium verò in Gordena & Sophena regnare juſſit. *Plutarch. in Lucul.* Has conditiones accepit pater: indignatus verò filius, fugam cogitantem in cuſtodiam dedit, deindè in vincula, & tandem ad Pompeii triumphum ſervatus. *Plutarch. & Appian. pag.* 241.

Pompeius relicto ad præſidium Armeniæ Afranio, per gentes circùm colentes contra Mithridatem iter intendit: Albani & Iberi primo petenti tranſitum Pompeio dederunt. Alii narrant Oræzem Albanorum Regem & Artocum Iberorum cum 70. millibus inſidias Pompeio ſtruxiſſe circa Cyrtum flumen: bellum quidem propter hyemem dilataſſe ferunt Romanos. *Appian. pag.* 242.

Mithridates hybernabat in Dioſcuriade. *Idem pag.*

240. Ubi initium eſt Iſthmi Euxino & Caſpio mari interjecti. *Strabo lib.* 11. *pag.* 497.

Verè Pompeius Cyrnum tranſiit, qua re interritus Arſaces ad Pompeium de pace impetranda internuntios cum donis miſit, & eam tandem iniit. *Dio lib.* 37.

Mithridates per gentes Scythicas, vel infenſas vel alienas, iter fecit, partim conciliatis hominibus, partim vi adactis, & Heniochos quidem, libenter exceptus, tranſiit: Achæos verò obſiſtere auſos fugavit. Mæotichas deindè ingreſſus, multis ſubditas regulis, ob famam rerum geſtarum, regnique ab omnibus hoſpitaliter exceptus deductuſque, multa dona dedit recepitque, atque etiam in ſocietatem eos pertraxit: elocatis filiabus potentiſſimum quemque illorum ſibi conjungens. *Appian. pag.* 240. & 241. De Zygiorum autem tranſitu ſpem abjiciens ob locorum difficultates iſtorum & feritatem hominum, ægrè per oram inceſſit, plerumque mare conſcendens. *Strabo lib.* 11. *p.* 496.

Machares Mithridatis filius, qui in Boſphoro Cimmerio tunc regnabat & Romanorum rebus ſtudebat, cùm patrem audiviſſet tam brevi tempore, tot feras gentes, & quæ vocantur clauſtra Scythiæ, nulli antea permeata tranſiiſſe, Legatos ad eum miſit, qui excuſarent, quòd neceſſitate coactus Romanos coluerit; ſed ubi cognovit eum implacabilem, fugit in Cherſoneſum Ponticam, incenſis navibus, quò patri perſequendi facultatem adimeret; ſed cùm ille immiſiſſet in eum claſſem aliam, manus ſibimet intulit. Mithridates amicos, quos ipſe Machari in regnum

abeunti comites addiderat, omnes interemit, domeſticos verò dimiſit incolumes. *Appian. pag.* 241. Patrem per ejus familiares, ſecuritate & pecuniis miſſis, ad facinus impulſos, filium interfeciſſe, ſcribit. *Dio lib.* 36. Macharem quoque parricidio trucidatum ab eo fuiſſe refert Oroſius *lib. 6. cap. 5.*

Pompeius in Septentrionem Scythicum, iter tanquam in mari ſtellis ſecutus, & ad Phaſim fluvium Servilius illi cum claſſe occurrit, quâ tuebatur Pontum; ſed Mithridatis inſectatio, qui in gentes Boſphori & Mæotidis incolas abdiderat ſe, magnas perplexitates Pompeio tribuit. *Plutarch. in Pomp.* Depopulata Albanorum regione & cum iis pace inſtaurata & cum Iberis, in Armeniam minorem divertit. *Id. ibid.*

Ex Armenia in Syriam profectus, ubi Regum & populorum rebus conſtitutis hyemem tranſiit; caſtellum verò Symphorium ei tradiderat Stratonice Mithridatis concubina, hoc unum pacta, ut ſi fortè Pompeius Xipharem filium in poteſtatem redigeret, matri eum ſervaret incolumem. *Id. ibid.*

His cognitis, Mithridates filium Xipharem interfecit ad fretum, inſpectante matre ex adverſo littore, & cadaver inſepultum, projecit pietatem negligens, modo matri doleret quæ peccaverat. *Appian pag.* 245.

Dum rebus in Syria & Judæa tractandis deſtinetur Pompeius, Mithridates Pontum circumluſtravit, & Panticapeum, quod eſt in Europa ad oſtium Ponti emporium occupavit. *Id. pag.* 244. Ipſe quoque Legatos ad Pompeium adhuc in Syria morantem, & neſcientem eum eſſe ſuperſtitem, miſit, qui tributa Populo Romano pollicerentur, ſi concederetur ei regnum

paternum. Cùmque ille poſtularet, ut ipſe Rex veniret, ſicut Tigranes venerat, id ſe facturum negavit, ut parum decorum perſonæ Mithridatis, miſſurum tamen filios & amicos. *Id. pag.* 245.

His dictis, delectus maximos habuit promiſcuè, tam è ſervis quàm ex ingenuis: arma quoque multa & tela fabricabat & machinas, nulli parcens materiæ, ne bobus quidem aratoribus in uſum nervorum. Tributa omnibus etiam tenuibus præſcripſit, quæ à Miniſtris exigebantur cum multorum injuriis, non ſentiente Mithridate. Morbus enim quidam ulceroſus faciem ejus invaſerat, ut à ſolis tribus Eunuchis aſpici pateretur qui eum curabant. Quo percurato, jam etiam copiæ paratæ aderant, 60. cohortes ſexcentenariæ & alia multitudo numeroſa, naveſque, & loca opportuna, quæ Duces illo ægrotante occupaverant, trajecitque partem exercitûs Phanagoriam, alterum emporium ſitum in oſtio, ut aditum utrinque teneret; Pompeio etiam tum hærente in Syria. *Id. ibid.*

Eodem tempore Caſtor Mithridatis Præfectus, qui Phanagorio præerat, Tryphonem Eunuchum Regium (à quo tortus aliquando fuerat) intrantem adortus interfecit, & plebem ad libertatem vocavit; quæ quamvis jam arx teneretur ab Artapherne ceteriſque Mithridatis filiis, aggeſtis circunquaque lignis eam incendit. Quo metu Artaphernes, Darius, Xerxes, Oxathres & Eupatra liberi Mithridatis, ſeſe dediderunt. In his ſolus Artaphernes erat fermè quadragenarius; reliqui formoſi pueri: Cleopatra verò, altera filia, reſtitit: cujus generoſitate pater delectatus, ſubmiſſis multis Dicrotis eam eripuit. *Id. ibid. & pag.* 246. Re-

liquos

liquos Caſtor arce occupatâ, ad præſides Romanorum tranſmiſit. *Oroſ. lib. 6. cap. 5.*

Quotquot erant in propinquo caſtella nuper occupata à Mithridate, audaci exemplo Phanagorenſium permota defecerunt Cherſoneſus, Theudoſia, Nymphæum, aliaque circa Pontum opportuna bello gerendo. *Appian. pag. 246.*

Mithridates accenſus irâ, non ſolùm defectorum nonnullos deprehenſos ſupplicio affecit; ſed etiam complures amicos ſuos & Exipodram filium ſuum interfecit. *Oroſ. lib. 6. cap. 5.* Et videns crebras defectiones, & ſuſpectum habens exercitum, ne parum conſtantis eſſet fidei, quippe coactus ad militiam, præſertim accedentibus gravibus exactionibus, & adverſitate fortunæ ſemper intuta apud mutabiles ſubditorum militum animos, miſit ad Scythiam per Eunuchos ad Regulos nuptum filias; petens ut quamprimùm cum copiis venirent ad auxilium. Hæ deducebantur à 500. militibus, qui parum à Mithridate digreſſi, Eunuchos interfecerunt, quòd ab his apud Regem ſemper moleſti fuerant, & puellas ad Pompeium adduxerunt. *Appian. pag. 246.*

Pompeius, relictâ Syriâ, Amiſum in Ponto profectus eſt: ubi ambitione impulſus, quod in Lucullo tantopere reprehenderat, ipſe egit: dominante enim in Boſphoro Mithridate, qui manum haud contemnendam jam contraxerat, quaſi omnibus confectis, Provincias ordinavit & dona contulit. *Plut. in Pomp. pag. 638.*

Et quidem Pontum, vivente adhuc Mithridate, in Provinciæ formam ab eo redactum Livius indicat *lib.*

102. Sed Pompeius illo dejecto, quæ ad Armeniam ſunt & Colchidem regulis diviſit, quorum operâ in bello uſus fuerat, reliqua in undecim Reſpublicas diſtribuit, & Bithyniæ addidit, ut ex utriſque una conſtaret Provincia. *Strabo lib.* 12. *pag.* 541.

Mithridatium à Ponto avulſum Bogodiatoro Pompeius dedit. *Id. ibid.* Lunæ quæ à Comanis colitur, Archelaum Regia Dynaſtia præditum, creavit Pontificem. *Appian. pag.* 251. Attalum Paphlagoniæ Regulum fecit. *Ibid.* Attalo & Pylæmeni Paphlagonia reddita eſt. *Eutrop. lib.* 6. Circa mediam illius poſtea à Pylæmene moriente P. Romanus relictus eſt hæres. *Sex. Ruf. brev.* Circa medium Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ Regi conceſſit. *Appian. pag.* 251.

Mithridates tot liberis & caſtellis totoque regno ſpoliatus, dignitate quoque amiſſa & ſpe auxiliorum è Scythia, tamen ne tum quidem quicquam humile aut præſente calamitate dignum cogitabat: ſed ad Gallos quorum jam antè hac de cauſa paraverat amicitias, iter deſtinabat, ut cum eis per Alpes Italiam invaderet; ſperans multos Italiæ populos odio Romanorum ſibi adjungendos. *Id. pag.* 246.

Eos magnificos conatus deſtituit exercitus, deterritus ipſa immani audacia & expeditionis longitudine, tum quod ducerentur contra viros, quos ne domi quidem ſuſtinere potuerant: & exiſtimabant Mithridatem rebus ſuis deſperatis velle fortiter potiùs ac regiè vitam finire, quàm in otio. Attamen durabant aliquantiſper, & quieti eum patiebantur: erat enim non mediocris & haud quaquam contemnendus Rex vel in calamitatibus. *Id. pag.* 247.

Contra Aretam Arabiæ Regem Pompeius expectationem ſuſcepit. *Dio lib. 37.* Quæ expeditio apud multitudinem caſtrenſem non quidem carebat reprehenſione: declinationem enim putabant eam inſequendi Mitridatis, atque in illum vertenda arma cenſebant, veterem hoſtem, qui jam bellum inſtaurabat & parabatur per Scythiam & Pannoniam cum exercitu invadere Italiam. At Pompeius pronius ſibi factu exiſtimabat vires opprimere bellum gerentis, quàm corpus capere fugientis. *Plutarch. in Pomp. pag.* 640.

In hoc rerum ſtatu Pharnaces filiorum & ſæpè regni hæres deſignatus, patri ſtruxit inſidias, ſive quòd timebat ne Italica patris expeditio omnem ei apud Romanos ſpem reconciliationis præcluderet, ſive aliâ causâ vel cupiditate permotus. Captis autem conſciis & ad torturam admotis, Menophanes perſuaſit Mithridati, non oportere in diſceſſu necari filium ad eam diem cariſſimum: ſolere enim has mutationes exiſtere belli tempore, quo finito & illas conquieſcere: ſic ille perſuaſus, filio veniam obtulit. *Appian. pag.* 247.

At ille indicio quodam territus, & ſciens exercitum alieno eſſe ab expeditione animo, noctu primarios Romanorum transfugas proximè Mithridatem tendentes acceſſit, & periculum ſi in Italiam irent, ipſis non ignotum exaggerans, multaque ſi manerent, eis pollicens, induxit eos, ut à patre deficerent. Moxque nocte eadem ad alia propinqua caſtra dimiſit nuntios; & illis quoque pertractis in ſuam ſententiam, mane primi transfugæ conclamaverunt, quibus proximi quique, & mox alii poſt clamorem reddiderunt, atque etiam navalis exercitus: fortaſſe non omnes præmoniti,

ſed ſuaptè facilitate proni ad contemnendum miſerum & novarum rerum ſemper cupidi, alii conſciorum ignari, putabant omnes corruptos, ratique ſe ſolos non poſſe reſiſtere pluribus, neceſſitate magis quàm voluntate adducti acclamabant cum ceteris. *Id. ibid.*

Mithridates excitatus clamore, miſit quoſdam rogatum, quid ſibi poſcerent: illi non diſſimulantes aiebant ſe filium Regem petere juvenem pro ſene Eunuchis dedito, interfectore multorum filiorum, ducum & amicorum. His auditis Mithridates eos allocuturus prodiit, & interim manus quædam præſidiariorum conferebat ſe ad transfugas: qui negabant ſe eos admittere, niſi ad fidem impetrandam ederent aliquod facinus, ſimulque Regem oſtendebant: at illi equum fugientis interfecerunt, & Pharnacem quàſi jam voti compotes Regem appellaverunt: quorum quidam membranam chartaceam longam latamque è templo depromptam vice diadematis circumdedit ejus capiti. *Id. pag.* 248.

Id conſpicatus ſenex è ſuperiore porticu, alios poſt alios mittebat ad Pharnacem, qui tutum abitum peterent: ſed cùm nemo rediret, veritus ne Romanis dederetur, ſatellites & amicos qui adhuc apud eum permanebant, laudatos miſit ad novum Regem; quorum aliquot in via præter opinionem occidit exercitus. *Id. ibid.*

Ipſe diu ex altiſſimo muro filium fruſtra precatus, ubi inexorabilem vidit, moriturus exclamaſſe fertur: *Quoniam Pharnaces mori jubet, vos ſi eſtis Dii patrii, precor, ut quandoque & ipſe hanc vocem à liberis ſuis audiat.* Statimque deſcendens ad uxores, pellices ac filias ſuas, venenum omnibus dedit. *Oroſ. lib. 6. cap. 5.*

Sic Dio rem narrat. Pharnaces facillimè ſibi conciliatis, quos ad eum comprehendendum pater miſerat, cum his, iiſque, quos jam ante paraverat, recta ad ipſum patrem contendit. Is tum Panticapæi degebat: audienſque nonnullos milites adverſus filium emiſit, ipſe ſtatim ſubſecuturus; ſed hos quoque, quippequi Mithridatem ipſi etiam non amabant, Pharnaces levi momento convertit: urbeque haud invita occupata, patrem, qui in regiam confugerat, interemit. *lib.* 37. *pag.* 36.

Mithridates exempto ex involucro veneno quo ſemper accingebatur, unà cum gladio, id miſcebat: duæ verò filiæ virgines, quæ apud eum educabantur Mithridatis & Nyſſa, Ægypti Cyprique Regibus deſponſæ, enixè rogabant, ut ante illum potionem venenatam ſumerent, vetabantque bibere, donec ipſæ hauſerunt, & has quidem veneni vis penetravit continuò: in Mithridatem quamvis data opera ambulantem concitatius nihil agebat, propter quotidianam Pharmacorum conſuetudinem, quibus ſe contra veneficos præmunire ſolebat, quæ nunc quoque vocantur Mithridatis. *Id. ibid.* Ictus gladii, quem ſua manu intulerat, cùm propter ætatem, præſenteſque, quæ circumſtabant calamitates, imbecillior factus, tum veneni ſumptione, cuicuimodi tandem id fuerit, debilitatus. Igitur cùm ne ſe ipſum confeciſſet, & diutius tempus trahere videretur. *Dio lib.* 37. *pag.* 36. Bituitum, vel, *ut ex nummis*, Bitovium Gallum, cujus dextera uſus fuerat in prælio, ut ſe periclitantem interimeret, rogavit, ne in triumphum abſtraheretur; qui precibus permotus, Regi officium præſtitit neceſſarium. *Appian. pag.* 248. & 249. Deni-

que à ſe ipſo & ab hoſtibus cæſus oppetiit. *Dio ut ſuprà.*

Sic periit Mithridates Banticapæi in Boſphoro Cimerio, vir neque ſilendus, neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu. *Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 18. tandem Rex poſt Alexandrum maximus. *Cicero in Lucul.*

Vixit annos 72. ex Eutropio *lib.* 6. & Oroſio *lib.* 6. *cap.* 5. Qui Livium ſequi ſolent & quem etiam ſequimur, & Appianum, illi tantùm 68. aut 69. aſſignant; at cùm ex ipſo autore & Memnone ingens cometes affulſit quando natus eſt Mithridates, Seneca illum cometem apparuiſſe Attalo regnante refert: ideo Mithridates genitus eſſet poſt extinctumAttalum, & non eo regnante, cometes non viſus fuiſſet. Regnavit annos 60. ſi ipſi annos 12. concedamus, cùm ejus mortuus eſt pater.

Bellum Mithridatem cum Romanis geſſiſſe per annos 46. narrat Juſtinus *lib.* 97. *cap.* 1. annos 42. numerat *Mith. initio*, alibi 40. *in Syriac. p.* 218. *& Mith. pag.* 249. Florus *lib.* 3. *cap.* 5. ut & Eutropius *lib.* 6. Plinius totidem *lib.* 7. *cap.* 26. Titulus in delubro Minervæ à Pompeio poſitus, bellum hoc 30. annorum fuiſſe notat. Oroſius ita inquit. Sed in his temporibus 30. gerendi *Mithridati* belli inveniuntur anni: qualiter autem 40. à pleriſque dicti ſint, non facilè diſcernitur *lib.* 6. *cap.* 1. *in fine.* Atqui ab initio primi belli Mithridatici uſque ad ipſum Mithridatis exitum, non plures quàm 26. inveniuntur anni; intermediis quoque pacis annis ſimul annumeratis. Ut rotundario numero

bellum illud 30. annorum fuiſſe dicatur, putat Uſſerius *ætat. mund. 6. pag.* 450.

Pompeius interea Judæos perdomuerat, & redux in Cilicia reliqua quæ nondum Imperium Romanum agnoſcebat, ſubjugans, cum muriâ conditum corpus Mithridatis Pompeii ad eum miſit, rei geſtæ argumentum, ſimul ſe & regnum ei dedens. *Dio lib.* 37.

Cadaver patris Sinopen in trireme tranſmiſit, ſimulque eos qui Manium ceperant & obſides multos Græci Barbarique generis, rogans ut aut paternum regnum aut Boſphoranum tantum quod Machares frater à Mithridate acceperat, tenere ſibi liceret. *Appian. pag.* 250.

Ita rem narrat Plutarchus. Cùm jam Pompeius non procul à Petra *Arabiæ* abeſſet, atque adeò illo die jam eſſet caſtrametatus, accurrerunt ex Ponto lætum nuntium afferentes. Pompeius ſuggeſtum conſcendit & nuntiavit exercitui Mithridatem deceſſiſſe: qui, quod ſeceſſiſſet ab ipſo Pharnaces filius, manus ſibi ipſe intulerat. Omnia illic Pharnacem occupaſſe, eaque ſibi & Romanis ſcripſiſſe facere. Indè exercitus haud immerito, quaſi in Mithridatis corpore ſexcentis extinctis hoſtibus, ovans convertit ſe ad ſacrificandum & convivia. *Plutarch. in Pomp. pag.* 640. & 641.

Pompeius impoſita factis ſuis & expeditionibus quam haud ita expectaverat facilem coronide, ex templo ſigna retrò ex Arabia movit. Provincias intermedias curſim emenſus, Amiſum pervenit, invenitque multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familia regia, ipſum etiam Mithridatis cadaver non admodum ex facie cognitum. Nam cerebrum, qui corpus cura-

verant, macerare omiſerant, verùm agnoverunt eum ex cicatricibus, qui id ſpectaculi deſiderabant: nam ipſe non ſuſtinuit id videre Pompeius, verùm avertens Deorum invidiam, Sinopen amandavit. *Id. pag.* 641.

Corpore vaſto fuit, ut arma ab ipſo Delphos Nemeamque miſſa indicant: ſed robuſto in tantum ut ad extremum equitationibus jaculationibuſque valuerit, & mille ſtadia una die mutatis equis confecerit, currum quoque regebat octijugem. *Appian. pag.* 250.

Cùm vita Mithridatis nomen hoſtile extinctum exiſtimans, nullas in defunctum fruſtrà iras exercendas putavit, ſed in patrio ſepulchro condi juſſit. *Dio lib.* 37. *pag.* 37. Corpus illius regiè ſepeliendum curatoribus ejus, addito ſumptu, tradidit, & inferri juſſit apud Sinopen monumentis regiis, laudatum ob geſtorum excellentiam, ut Regum ætatis ſuæ præſtantiſſimum. *Appian. pag.* 250.

Præter ſummam in bello peritiam, eruditus erat Græcis litteris, & ideò peritus ſacrorum Græciæ: delectabatur etiam muſica, ſobrius plerumque ac laborum patiens, circa muliebres tantùm voluptàtes intemperantior. Erat quidem crudelis & ſanguinarius, matris fratriſque interfector, & trium filiorum ac filiarum totidem. *Id. ibid.*

Veſtem quâ amicire ſolitus erat ſe, armorumque molem & ſplendorem miratus eſt Pompeius. At gladii vaginam, quæ conſtiterat talentis quadringentis, Publius furatus venumdedit Ariarathi. Cidarin Caius Mithridatis collactaneus Fauſto Syllæ filio petenti occultè dedit, operis mirifici, quod in præſentia

Pompeium

Pompeium fefellit: at Pharnaces, cùm poſt reſciviſſet, in illos qui ea averterant, animadvertit. *Plutarch. in Pomp. pag.* 641.

Ita Mithridate de medio ſublato, regnum quoque ejus paucis locis demptis captum eſt. Pharnaci mercedem parricidii Boſphori regnum donavit Pompeius, eumque Populi Romani amicis & ſociis adſcripſit. Etiamnum quidam in præſidio caſtellorum aliquot extra Boſphorum poſiti, non ſtatim ſe dediderunt, haud reſiſtenti quidem animo, ſed veriti, ne cujus pecuniæ ſibi tuendæ cuſtodia eſſet data, eam alii diripientes, ſibi culpam imponerent; quibus cauſis moti, expectandum Pompeium, eique omnia tradenda duxerunt. *Dio lib.* 37. *pag.* 37.

In Talauris verò, quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium, duo millia poculorum ex Onyce gemma factorum compactorumque auro, inventa ſunt, multæ phialæ pſyctereſque, calices, lecti, ſellæ, ornatiſſima omnia, item fræna equorum, pectorales humeraleſque phaleræ gemmatæ aurátæque, quibus recipiendis percenſendiſque 30. dies quæſtor inſumpſit. Eorum pars à Dario Hyſtapis filio ſucceſſoribus per manus tradita fuerat; partem ex Ptolemæorum Regum gaza Cleopatra penes Coos depoſuerat; unde Mithridates à civibus tradita deportaverat: partem ipſe Rex paraverat ac collegerat elegantioris ſupellectilis percupidus. *Appian. pag.* 251. *&* 252.

Cùm triennio tardiùs quàm debuerat, Lucullus de Mithridate victor non triumpharet, quod C. Memmius Tribunus Plebis, adverſus eum inflammaſſet P. Romanum, hoc tantùm anno Conſules introduxerunt

pene in urbem currum clariſſimi viri.

Triumphum non pompæ prolixitate & rerum traductarum copia portentoſum & faſtidioſum duxit, ſed armis hoſtilibus, quorum erat vis ingens & machinis regiis circum Flaminium exornavit, quod erat per ſe haud contemnendum ſpectaculum. Ipſo in triumpho equites cataphracti pauci, currus falcati decem traducti, amici & duces regii ſexaginta. Naves longæ roſtratæ decem ſupra centum tranſlatæ. Ipſius Mithridatis aurea ſenûm pedum ſtatua, & gemmis diſtinctum ſcutum. Fercula viginti vaſorum argenteorum, aureorum poculorum, armorum & nummorum triginta duo. Hæc per viros traducta. Octo muli lectos aureos portaverunt, ſex & quinquaginta argentum infectum, alii centum & ſeptem, argenti ſignati paulò minus vicies ſepties centena millia drachmarum. In tabulis breviaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum & quæſtoribus dederat. *Plutarch. in Lucul. pag.* 517.

Pompeius anno ſequenti tantum Romam advenit, & ſuum de Mithridate triumphum ad diem natalis ſui qui erat pridie Kalend. Octobr. diſtulit, jam autem ex Africa unum & alterum ex Europa egerat, & tertius ex Aſia fuit; & ſic de quot partibus terrarum orbis erant, totidem fecit monimenta ſuæ victoriæ: hic verò per biduum.

In portus adduxit Pompeius naves 700. integras, plauſtrorum quibus arma in pompa ſunt tranſvecta, ingens fuit numerus & in his roſtra navium: poſt hæc multitudo captivorum ac piratarum, non vinctorum, ſed cultorum habitu patrio. Ipſum ſublimem præce-

debant Regum Satrapæ vel Duces vel filii, partim captivi, partim obſides, in ſumma 324. *Appian. pag.* 252.

Inter hos Tigranes, Tigranis Regis Armeniæ filius, cum conjuge & filia, & ipſius Tigranis uxore Zoſime: ad hæc Mithridatis ſoror & quinque filii, Artaphernes, Cyrus, Oxathres, Darius, Xerxes & duæ filiæ, Orſabaris & Eupatra: traductus eſt, & Colchorum Rex Olthaces & Judæorum Rex Ariſtobulus, tyrannique Cilicum, Scytharum item regiæ fœminæ, Duces tres Iberorum, Albanorum duo, cum Menandro Laodicenſi, qui equitum Mithridatis præfectus fuerat. Albanorum quoque & Iberum obſides, & Commagenorum Regis. Trophæa etiam permulta traducta ſunt numero pugnis omnibus paria, quibus aut ipſe aut per Legatos palmam tulerat. *Idem pag.* 253. *& Plut. in Pomp. pag.* 631.

Abſentium effigies tranſvehebantur. Tigranis & Mithridatis pugnantium & cedentium ac fugientium. Mithridatis verò etiam oppugnatio & noctu tacita fuga repræſentata fuit: ac poſtremo etiam mors ejus ſubjecta fuit ſpectatorum oculis: appictis & virginibus mortis ejus ſociis. Præferebantur & tabulæ cum filiorum & filiarum ante illum defunctorum imaginibus, & Deorum barbarorum figuræ cum ornatu patrio. *Appian. ibid.*

Ipſe Pompeius geminato curru vehebatur amictus, ut fertur, Alexandri Macedonis chlamide. Currum ſequebantur ſocii hujus expeditionis præfecti militum, partim equites, partim pedites. *Id. ibid.*

Illa fuit prioris Pompeii triumphi pompæ traductio,

quæ tertio Kalend. Octobr. acta eſt. Pridie verò Kalendas, die natalis ſui tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, in quo fuit Luna aurea pondo 30. lectos tricliniares tres, vaſa ex auro & gemmis abacorum novem, ſigna aurea tria, Minervæ, Martis, & Apollinis: coronas ex margaritis triginta tres, montem aureum quadratum cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata veſte aurea. *Plin. lib.* 37. *cap.* 2. Muſeum ex margaritis, in cujus faſtigio horologium erat. Ipſius Pompeii imaginem è margaritis. *ibid.*

Carpenta quoque in pompa traduxit & fercula onuſta auro & ornamentis aliis variis, in quibus erat lectus Darii Hiſtaſpis filii, & ſella ac ſceptrum Mithridatis Eupatoris, aureaque ejus effigies octo cubitorum pectore tenus. *Appian. pag.* 252. Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argentea ſtatua, & currus aurei argenteique. *Plin. lib.* 33. *cap.* 12. argenti ſignati ſeptem millia myriadum & 510. drachmæ inſuper. *Appian. pag.* 252.

In ærarium retulit vaſa, aurum & argentum ſignatum ad viginti millia talentûm. *Plutarch. in Pomp. pag.* 642. Inter dona in Capitolio ab eo dicata, Mithridatis dactylotheca fuit. *Plin. lib.* 37. *cap.* 1. Ibidemque pretioſiſſima, quæque Mithridatis dicata ſunt, in novo caſtello reperta. *Strab. lib.* 12. *pag.* 557.

Ubi verò triumphans pervenit Pompeius in Capitolium neminem captivum necavit, ut triumphatores alii; ſed publicis impenſis remiſit quemque in ſuam patriam, exceptis regiis. *Ap. p.* 253. Ex quibus Tigranes & Ariſto-

bulus retenti ſunt Romæ, prior in catenis apud Flavium Senatorem. *Aſcon. in orat. Milon.* Sed uterque poſtea effugit.

## *NUMMUS*
## *MITHRIDATIS EUPATORIS.*




E THESAURO REGIO.

Caput Regis diademate cinctum: Ex averſa parte Equus alatus paſcens ante quem aſtrum in Luna creſcente, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, & in area ΒΙΣ. id eſt anno 212.

COgnomen ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ huic Regi in nummo adſcriptum, haud dubiè illum ad Mithridatem VI. Mithridatis V. filium revocat, ita ab Appiano præter Strabonem, appellatum, quibus cognominibus, tot Mithridates ſeſe diſtinguere cœperunt. At filius quod patrem habuiſſet à ſuis populis Evergetem, ſeu Beneficum nuncupatum gloriatus, ſe Eupatorem vocavit, Antiochi V. Syriæ Regis exemplo,

quem ſic vocatum refert Appianus in Syriacis, ob patris virtutem, qualis felix eſſet, cui talis pater contigiſſet.

Litteræ numerales ΒΙΣ. annum Æræ Ponti Regum 212. indicant, deſumpto ejus initio, ab anno tertio Olymp. 118. correſpondente V. C. 448. ut ſuprà retulimus in Mithridate II. hujus Imperii conditore, ita à Strabone appellato, nempè quod regnum ſub Alexandro M. everſum, poſtea recuperaverit ſine tributo, unde Ponti monarchæ Epocham ſuam dinumerârunt; illique anni 212. incidunt in regni Eupatoris 29. cujus initium adſignamus V. C 631. hi verò juncti efficient 660. quo percuſſus eſt ille nummus. Equus ille alatus paſcens in hoc Mithridatis Eupatoris nummo, Amiſi urbis inſigne eſt, ut ſimiles typos videre eſt apud Gothzium, tab. 2. num. inſularum Aſiæ, in qua ſignantur cum Epigraphe ΑΜΙΣΟΥ.

Amiſus inter Ponticas urbes à Strabone collocatur, ab aliis inter Cappadoces recenſetur; de illa ſic ait Geographus lib. 12. pag. 547. Καὶ ταύτην δὲ κατέσχον οἱ Βασιλεῖς. Ὁ δ' Εὐπάτωρ ἐκόσμησεν ἱεροῖς, καὶ προσέκτισε μέρος. Hanc quoque Reges tenuerunt, & Eupator templis ornavit, partemque urbi de integro adjecit. Nil mirum igitur ſi munifico & de ſe benemerito Principi, Amiſus nummos percuſſerit.

Sed unde Amiſus equum alatum & paſcentem pro inſigni acceperit, niſi ut denotaret in ſuis campis equos velociſſimos ali, qualis erat Themiſcyra, de qua ait Strabo loco laudato. Hac de cauſa planities hæc ſemper roſcida eſt & herbis viret, ſufficitque alendis boum & equorum armentis. Ad pabulum illud indicandum paſcens equus, & ad equorum velocitatem adduntur alæ.

Amiſus olim ex Homero Ἐνέτης nomine fuit indigitata, ut ab Hecatæo Mileſio, apud eundem Geographum pag. 553. Undè ob ſingularem quandam illorum equorum præſtantiam Ἐνετίδες ἵπποι, aut Ἐνέται, ſeu HENETI EQUI, ab Euripide Hippol. v. 231. & 1332. aliiſque veteribus celebrati.

Non autem hic paſcens equus & alatus pro Pegaſo Bellerophontis accipiatur, qui ſemper ſublimis & elatis pedibus in aere volitans depingitur, cùm de illo nullum ſit pro Amiſi urbis ſymbolo indicium ac veſtigium; ſed ſæpè videas alatum equum ad velocitatem ejus indicandam depictum, unde ſimul

Africæ inſigne ob equorum in hoc tractu præſtantiam ab Ant. Auguſtino & Triſtano producitur.

An non Amiſeni hunc potius equi paſcentis & alati equi typum, quàm alium ſelegere, ut equum illum, quo ad ſui corporis cuſtodiam cum aliis animalibus utebatur Mithridates, cujus meminit Ælianus lib: 7. in ſua regione eductum docerent, unde illum paſcentem pinxerunt, & ad illius velocitatem ſignificandam alas addiderunt, ut & ſequentem nummum cum cervo altero animale Mithridatis familiari Amiſeni percuſſerunt, in quo de Sole in Luna creſcente dicturi.




Ex Museo nostro.

Caput Regis diadematum: Ex averſa parte cervus paſcens ante quem aſtrum in Luna creſcente, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, in area ΓΚΣ. id eſt anno 223. In corona hederacea intercurrentibus uvæ botris.

ALter prodit ex argento tetradrachmalis Mithridatis Eupatoris nummus, quem Amiſi etiam percuſſum ob idem aſtrum in creſcente Luna in utroque tanquam ejuſdem monetæ ſymbolum ſuſpicamur, Solem & Lunam eſſe præcipua gentium numina ad quæ referebant omnia, in libro de Coloniis ſæpe diximus.

Cervus ab Amiſenis videtur expreſſus paſcens, ut in ſuperiore nummo equus item paſcens, ad denotandum illum etiam

ex ſuæ Themiſcyræ regionis ſylvis eſſe abductum, qui cum equo alterum fuit Mithridatis Eupatoris animal familiare: de locis iis ſylveſtribus in Themiſcyra loquitur Strabo pag. 548. Cum montana etiam tantam abundantiam præbeant ſponte ſua naſcentium & ſylveſtrium fructuum, vitis, piri, mali, & eorum quæ ſunt de genere nucum: ita ut toto anni tempore largiter decerpere fructus poſſint, qui in ſylvas eunt: unde videtur iis in locis cervorum abundantia.

De cujus & equi familiaritate cum Mithridate audias loquentem Ælianum. Mithridates Ponticus, inquit, cùm ſomnum caperet, ſui corporis cuſtodiam non modò armis & ſatellitibus excubitoribus committrebat: ſed magis etiam tauro & equo & cervo, quos manſuefactos habebat. Ii enim ad cuſtodiam ejus dormientis advigilantes, ſi quis accederet, illius ſenſum ex ipſa reſpiratione, quam mox percipiebant atque ille mugitu, alter hinnitu, alius propria voce eum è ſomno excitabant. Sic ille lib. 7. cap. 46.

Litteræ numerales ΓΚΣ. annum Æræ Mithridaticæ 223. deſignant, quo percuſſus eſt nummus, in annum regni Mithridatis 40. incidentes, & V. C. 659. reſpondent, deſumpto ejus initio ab anno tertio Olympiadis 118. uti ſupra aſſignavimus, qua verò Epocha Reges Ponti ex Mithridatis ſtirpe uſi ſunt, imo & Boſphori monarcha Pharnaces, licet in Ponto non regnaret.

Sed ad coronam hideraceam intercurrentibus uvæ botris in hoc nummo expreſſam tranſeamus. Hæc Libero patri eſt conſecrata, nam Mithridates ab Aſiaticis non ſolum Ευπατωρ ſed & Διονυσος, ſeu Liber, fuit nuncupatus. Cicero pro Flacco. Mithridatem dominum, illum patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Bromium, Evium, Nysium, Bacchum nominabant. Cur verò Dionyſius vocatus fuit, exponit Plutarchus lib. 1. Symp. quem conſulas.

MITHRIDATIS

# MITHRIDATIS UXORES & Filii.

## *UXORES.*

LAODICE ſoror.

MONIME Mileſia.

BERENICE Chia.

STRATONICE.

HYPSICRATEA.

## *Diverſæ Concubinæ ex quibus nati,*

ARIARATHES expulit è Cappadocia Ariobarzanem.

ARCATHIAS Macedoniam ſubegit, morbo extinctus eſt.

MITHRIDATES Rex Colchorum à patre necatus.

MACHARES Rex Boſphori, deinde à patre necatus.

PHARNACES Rex Boſphori, à Pompeio conſtitutus.

ATAPHERNES in triumpho ductus.

ORSAGARIS in triumpho ductus.

OXATRES in triumpho ductus.

DARIUS in triumpho ductus.

CYRUS in triumpho ductus.

ARTAPHERNES in triumpho ductus.

## *FILIÆ.*

CLEOPATRA major nupta Tigrani Armeniæ Regi.

CLEOPATRA minor erepta Phanagonenſi obſidionis periculo.

EUPATRA ducta in triumpho.

MITHRIDATIA deſtinata Ægypti Regi ſponſa.

NISSA deſtinata Cypri Regi ſponſa.

## *Sorores Mithridatis.*

LAODICE major fratri Mithridatis nupta.

LAODICE minor Ariarathi Cappadociæ Regi nupta.

...... occiditur à fratre.

RHOXANE innupta venenum ſumpſit.

STATIRA innupta venenum ſumpſit.

NISSA capta à Lucullo vita donata eſt.

DRYPETINE in Sinhorio caſtello necata ad pudorem ſervandum.

## *Frater unicus.*

*Anonymus* ab eo veneno necatus.

# REGUM BOSPHORI HISTORIA.

## PHARNACES, REX BOSPHORI PRIMUS; de familia Mithridatis.

PHARNACES Mithridatis Eupatoris ex concubina, cujus nomen ignoratur, filius, filiorumque chariſſimus & ſæpè regni hæres deſignatus à patre, ſive quod expeditio quam Mithridates cogitabat in Italiam ipſi videretur periculoſa, ſperanti etiam tum à Romanis veniam, quæ omnino nulla contingere poterat, ſi pater vexaret Italiam, ſive ob alias cauſas cupiditateſve, illi ſtruxit inſidias. *Appian. Mithrid. pag.* 247.

Captis Pharnacis conſilii conſciis, & ad torturam admotis, Menophanes perſuaſit Mithridati, non oportere in diſceſſu *pro Italia* necari filium ad eam diem chariſſimum; ſolere enim has mutationes exiſtere belli

tempore, quo finito & illas conquieſcere, ſic ille perſuaſus, filio veniam obtulit. *Id. ibid.*

At Pharnaces indicio quodam territus, & ſciens exercitum alieno eſſe ab expeditione animo, noctu primarios Romanorum transfugas proxime Mithridatem tendentes acceſſit, & periculum ſi in Italiam irent, ipſis non ignotum exaggerans, multaque ſi manerent, eis pollicens, induxit eos, ut à patre deficerent. Moxque nocte eadem, ad alia propinqua caſtra dimiſit nuntios; & illis quoque pertractis in ſuam ſententiam, mane primi transfugæ conclamaverunt, quibus proximi quique & mox alii, poſt clamorem reddiderunt, atque etiam navalis exercitus: fortaſſe non omnes præmoniti, ſed ſuapte facilitate proni ad contemnendum miſerum, & rerum novarum ſemper cupidi, alii conſciorum ignari, putabant omnes corruptos, ratique ſe ſolos non poſſe reſiſtere pluribus, neceſſitate magis quàm voluntate acclamabant cum cæteris. *Id. ibid.*

Aliter id narrat Dio. Dediſſet ſtatim pœnas Pharnaces, ſi vel minima benevolentiæ pars ſatellitibus erga ſenem patrem fuiſſet: igitur filius facillimè ſibi conciliatis, quos ad eum comprehendendum pater miſerat, cum his, aliiſque quos jam ante paraverat, recta ad ipſum patrem contendit. Is tum Panticapæi degebat; auditaque re, milites nonnullos adversùs filium emiſit, ipſe ſtatim ſubſecuturus: ſed hos quoque quippequi Mithridatem ipſi etiam non amabant, Pharnaces levi momento convertit, urbſque haud invita occupavit. *Dio lib. 37. pag. 36.*

Sic pergit Appianus. Mithridates excitatus clamore

militum, miſit quoſdam rogatum quid ſibi poſcerent: illi non diſſimulantes, aiebant ſe filium Regem petere, juvenem pro ſene Eunuchis dedito, interfectore filiarum, ducum ac amicorum. His auditis Mithridates eos allocuturus prodiit, & interim manus quædam præſidiatorum conferebat ſe ad transfugas, qui negabant ſe eos admittere, niſi ad fidem impetrandam ederent aliquod facinus, ſimulque Regem oſtendebant: at illi equum fugientis interfecerunt, & Pharnacem quaſi jam voti compotes Regem appellaverunt: quorum quidam membranam chartaceam longam latamque è templo depromptam vice diadematis circumdedit ejus capiti. *Appian. pag.* 248.

Id conſpicatus ſenex è ſuperiore porticu, alios poſt alios mittebat ad Pharnacem, qui tutum abitum peterent; ſed cùm nemo rediret, veritus ne Romanis dederetur, ſatellites & amicos qui adhuc apud eum permanebant, laudatos miſit ad novum Regem, quorum aliquot in via præter opinionem occidit exercitus. *Id. ibid.*

Ipſe exempto ex involucro veneno, quo ſemper accingebatur, unà cum gladio, id miſcebat: duæ verò filiæ virgines Mithridatis & Nyſſa Ægypti Cyprique deſponſæ Regibus, enixè rogabant ut ante illum potionem venenatam ſumerent, vetabantque bibere donec ipſæ hauſerunt, & has quidem veneni vis penetravit continuò: in Mithridatem, quamvis opera data ambulantem concitatius nihil agebat, propter quotidianam Pharmacorum conſuetudinem, quibus ſe contra veneficos præmunire ſolebat. *Id. ibid.*

Cum conſpicatus ducem quendam Gallorum Bitui-

tum (*nummi vocant Bitonium*), rogavit ut periclitantem interemeret, ne in triumphum abſtraheretur, eò quòd veneno necari non poſſet, nec prævidiſſet omnium ſuorum perfidiam. His precibus permotus Bituitus, Regi officium præſtitit neceſſarium. *Id. ibid.*

Dio autem hæc narrat. Sed neque Mithridati ad mortem venenum ſatis fuit. Ictus autem gladii, quem ſua ſibi manu intulerat, cùm præter ætatem, præſenteſque, quæ circumſtabant calamitates, imbecillior fuit, tum veneni ſumptione, cuicui modi tandem id fuerit, debilitatus. Igitur cùm neque ſe ipſum confeciſſet, & diutius tempus trahere videretur, ii quos in filium emiſerat, irruentes gladiis ac lanceis mortem ei accelerârunt. *Dio lib. 37. pag. 36.* Per defectionem civium Pharnaciſque filii ſcelere præventus male tentatum veneno ſpiritum ferro expulit, inquit Florus *lib. 3. cap. 5. in fine.*

Pharnaces corpus Mithridatis patris muriâ condiri juſſit, & ad Pompeium miſit in trireme, rei geſtæ argumentum ſimul & ſe & regnum dedens. *Dio lib. 37. ibid.* Sinopem corpus tranſmiſit, ſimulque eos qui Manium ceperant, & obſides multos Græci Barbaricique generis, rogans ut aut paternum regnum aut Boſphoranum tantùm quod Machares frater à Mithridate acceperat, tenere liceat. *Appian. pag. 250.*

Tabellarii accurrerunt ex Ponto lætum nuntium adferentes Pompeio in Arabia tunc moranti. In ſuggeſtum aſcendit acceptis litteris, & militibus nuntiavit Mithridatem deceſſiſſe, qui, quòd ſeceſſiſſet ab ipſo Pharnaces filius, manus ſibi ipſe intulerat. Omnia illic Pharnacem occupaſſe, eaque ſibi & Romanis ſcripſiſſe facere. *Plut. in Pomp. pag. 640.*

Pompeius ex templo ſigna retrò ex Arabia movit. Provincias intermedias curſim emenſas, Amiſum pervenit; invenitque multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familia regia, ipſum etiam Mithridatis cadaver non admodum ex facie cognitum: non ipſe Pompeius illud ſuſtinuit videre, Sinopen amandavit. *Id. ibid. pag.* 641. Regis corpus regiè ſepeliendum curatoribus ejus, addito ſumptu, tradidit monumentis regiis, laudatumque ob geſtorum excellentiam ut Regum ætatis ſuæ præſtantiſſimum. *Appian. pag.* 250.

Pharnaci mercedem parricidii, Pompeius Boſphori regnum donavit, eumque Populi Romani amicis & ſociis adſcripſit. *Dio lib.* 37. *pag.* 36. Exceptis Phanagorenſibus, quos liberos ſuo jure permiſit vivere, quoniam primi recolligenti vires Mithridati, jamque claſſem, exercitum receptaculaque habenti, deficientes exhibuerunt negotium, exemploque dato aliis cauſa fuerunt Mithridatis interitûs. *Appian. pag.* 250.

Pharnaces cùm Boſphori regna adeptus eſt, ætatis annum 35. agebat, eoque tranquillè potitus eſt, uſque ad initium belli civilis inter Pompeium & Cæſarem, quo, ſpe recuperandi regni paterni, rebus novis ſtuduerit, non Pompeio in auxilium apud Theſſaliam fuit, ut tradit Eutropius *Hiſt. lib.* 6.

Itaque oppugnavit Phanagorenſes, eorumque vicinos, donec præ fame ad pugnam progreſſi, oppidani victi ſunt: quos illæſos recepit in amicitiam, acceptis tantùm obſidibus. *Appian. pag.* 253. Strabo illum pace tranquilla fruentem narrat Hypanin fluvium, expurgatâ quadam vetere foſsâ, Dandariis induxiſſe, agrumque eorum proluiſſe. *lib.* 11. *pag.* 495. Nec multò pòſt Si-

nopen cepit, Amiſum quoque appetens bellum geſſit cum Romanis, duce Calvino & non Calviſio apud Appianum, quo tempore Cæſar in Ægypto conflictabatur. Tum Colchidem Pharnaces tranſiiſſe videtur ex Strabone, cùm tradat in ea Lemotheæ templum à Phrixo conditum ſpoliaſſe. *Lib.* 11. *pag.* 499.

Rex Dejotarus ad Domitium Calvinum, cui Cæſar Aſiam, finitimaſque Provincias adminiſtrandas tradiderat, venit oratum, ne Armeniam minorem, regnum ſuum, neve Cappadociam regnum Ariobarzanis, poſſideri vaſtarique pateretur à Pharnace: quo malo niſi liberarentur, imperata ſibi facere, pecuniamque promiſſam Cæſari non poſſe ſe perſolvere. Domitius, non tantùm ad explicandos ſumptus rei militaris, cùm pecuniam neceſſariam eſſe judicaret; ſed etiam turpe Populo Romano & Cæſari victori, ſibique infame eſſe ſtatueret, regna ſociorum atque amicorum ab externo Rege occupari, nuntios confeſtim ad Pharnacem miſit, Armenia Cappadociaque decederet, neve occupatione belli civilis Populi Romani jus majeſtatemque tentaret. *Hiſt. de Bell. Alexand. pag.* 373.

Hanc denuntiationem cùm majorem vim habituram exiſtimaret, ſi propiùs eas regiones cùm exercitu acceſſiſſet: ad legiones profectus, unam ex tribus 36. ſecum duxit, duas in Ægyptum ad Cæſarem mittit, litteris ejus evocatas: quarum altera in bello Alexandrino non occurrit: quod itinere terreſtri per Syriam erat miſſa, adjungit Cn. Domitius legioni 36. Duas à Dejotaro, quas ille diſciplinâ, atque armaturâ noſtrâ complures annos conſtitutas habebat, equiteſque centum,

tum, totidemque ab Ariobarzane ſumit: mittit P. Sextium ad C. Plætorium Quæſtorem, ut legionem adduceret, quæ ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat; Quintumque Patiſium in Ciliciam ad auxilia accerſenda. Quæ copiæ celeriter omnes juſſu Domitii Comanæ convenerunt. *Id. ibid. pag.* 373. & 374.

Interim Legati à Pharnace reſponſum ferunt, Cappadociâ ſe deceſſiſſe, Armeniam minorem recepiſſe, quam paterno nomine obtinere deberet: denique ejus regni cauſa integra Cæſari ſervaretur: paratum enim ſe facere quod is ſtatuiſſet. *Id. ibid. pag.* 374.

Cn. Domitius cùm animadverteret eum Cappadociâ deceſſiſſe, non voluntate adductum, ſed neceſſitate, quod faciliùs Armeniam defendere poſſet ſubjectam ſuo regno, quàm Cappadociam longiùs remotam, quodque omnes legiones tres adducturum Domitium putaſſet; ex quibus, cùm duas ad Cæſarem miſſas audiſſet, audaciùſque in Armenia ſubſtitiſſet, perſeverare cœpit, ut eo quoque regno decederet: neque enim aliud jus eſſe Cappadociæ, atque Armeniæ: nec juſtè eum poſtulare, ut in Cæſaris adventum res integra differretur, id enim eſſe integrum, quod ita eſſet, ut fuiſſet. *Id. ibid.*

His reſponſis datis, cum iis copiis, quas ſuprà ſcripſi, profectus eſt in Armeniam, lociſque ſuperioribus iter facere inſtituit; nam ex Ponto à Comanis jugum editum ſylveſtre eſt, pertinens in Armeniam minorem, quo Cappadocia finitur ab Armenia, cujus itineris hæ erant certæ opportunitates, quod in locis ſuperioribus nullus impetus repentinus accidere hoſtium poterat, & quod Cappadocia his jugis ſubjecta magnam com-

meatûs copiam erat ſubminiſtratura. *Id. ibid.*

Complures interim legationes Pharnaces ad Domitium mittit, quæ de pace agerent, regiaque munera Domitio ferrent. Ea conſtanter omnia aſpernabatur: nec ſibi quidquam fore antiquius, quàm dignitatem Populi Romani & regna ſociorum recuperare, legatis reſpondebat. Magnis & continuis itineribus confectis, cùm adventaret Nicopolim, quod oppidum in Armenia minore poſitum eſt, plano ipſum loco, montibus tamen altis ab duobus lateribus objectis, ſatis magno intervallo ab oppido remotis, caſtra poſuit longè à Nicopoli circiter millia paſſuum 8. *Id. pag.* 375.

Quibus ex caſtris, cùm locus anguſtus atque impeditus eſſet tranſeundus, Pharnaces in inſidiis delectos pedites, omneſque penè diſpoſuit equites: magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces diſſipari juſſit, paganoſque & oppidanos in iis locis obverſari; ut ſi amicus Domitius eas anguſtias tranſiret, nihil de inſidiis ſuſpicaretur, cùm in agris & pecora & homines animadverteret verſari, tanquam amicorum adventu, ſin verò ut in hoſtium fines veniret: prædâ diripiendâ milites diſſiparentur, diſperſique cæderentur. *Id. ibid.*

Hæc cùm adminiſtraret, nunquam tamen intermittebat Legatos de pace atque amicitia mittere ad Domitium, cùm hoc ipſo crederet eum faciliùs decipi poſſe. At contrà ſpes pacis Domitio in iiſdem caſtris morandi attulit cauſam. Ita Pharnaces, amiſſa proximi temporis occaſione, veritus ne cognoſcerentur inſidiæ ſuos in caſtra revocavit. *Id. ibid.*

Domitius poſtero die propius Nicopolim acceſſit;

caſtraque oppido contulit; quæ dum muniunt Romani, Pharnaces aciem inſtruxit ſuo more atque inſtituto. In fronte enim, ſimplici directa acie, cornua trinis firmabantur ſubſidiis, eadem ratione hæc media collocabantur acie, duobus dextra, ſiniſtraque intervallis, ſimplicibus ordinibus inſtructis, perfecit ineptum caſtrorum opus Domitius, parte copiarum pro vallo inſtructa. *Id. ibid.*

Proxima nocte Pharnaces, interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domitium ferebant, cognoſcit Cæſarem magno in periculo verſari, flagitarique à Domitio, ut quàm primum ſibi ſubſidia mitteret, propiuſque ipſe Alexandriam per Syriam accederet. Qua cognita re, Pharnaces victoriæ loco ducebat, ſi trahere tempus poſſet, cùm diſcedendum celeriter Domitio putaret. *Id. ibid. pag. 376.*

Itaque ab oppido, quâ facillimum acceſſum & æquiſſimum ad dimicandum Romanis videbat, foſſas duas directas, non ita magno medio intervallo relicto, 4. pedum altitudinis in eum locum deduxit, quo longius conſtituerat ſuam non producere aciem, inter has foſſas aciem ſemper inſtruebat. Equitatum autem à lateribus omnem extra foſſam collocabat: qui neque aliter utilis eſſe poterat, & multum numero antеibat Romanum equitatum. *Id. ibid.*

Domitius autem, cùm Cæſaris magis periculo, quàm ſuo commoveretur, neque ſe tutò diſceſſurum arbitraretur, ſi conditiones quas rejecerat, rurſus appeteret; aut ſine cauſa diſcederet: ex propinquis caſtris in aciem exercitum eduxit, 36. legionem in dextro cornu collocavit, Ponticam in ſiniſtro, Dejotari legio-

nes in mediam aciem contulit: quibus tamen anguſtiſſimum frontis reliquit intervallum, reliquis cohortibus in ſubſidiis collocatis. Sic utrimque acie inſtructa, proceſſum eſt ad dimicandum. *Id. ibid.*

Signo ſub idem tempus ab utroque dato concurritur, acriter varièque pugnatur: nam 36ª. legio, cùm extra foſſam in equitatum Regis impetum feciſſet, adeò ſecundum prælium fecit, ut mœnibus oppidi ſuccederet, foſſamque tranſiret, adverſoſque hoſtes aggrederetur. At Pontica ex altera parte legio, cùm paululum averſa hoſtibus ceſſiſſet, foſſam autem circuire acies ſecundò conata eſſet, ut aperto latere aggrederetur hoſtem, in ipſo tranſitu foſſæ confixa & oppreſſa eſt. Dejotari verò legiones vix impetum ſuſtinuerunt. *Id. ibid.*

Ita victrices Pharnacis copiæ cornu ſuo dextro, mediaque acie convertunt ſe ad 36ᵃᵐ. legionem: quæ tamen fortiter vincentium impetum ſuſtinuit: magnis copiis Regis circumdata, præſentiſſimo animo pugnans in orbem ſe recepit ad radices montium: quo Pharnaces inſequi, propter iniquitatem loci, noluit: ita Pontica legione penè tota amiſſa, magna parte Dejotari militum interfectâ, 36ª. legio in loca ſe ſuperiora contulit, non amplius 250. deſideratis. Ceciderunt eo prælio ſplendidi ac illuſtres viri nonnulli Equites Romani. Quo tamen incommodo Domitius accepto, reliquias exercitûs diſſipati collegit, itineribuſque tutis per Cappadociam ſe in Aſiam recepit. *Id. ibid. pag. 377.*

Pharnaces rebus ſecundis elatus, cùm de Cæſare ea quæ optabat, ſperaret, Pontum omnibus copiis oc-

cupavit, ibique & victor & crudeliſſimus Rex, cùm ſibi fortunam paternam, feliciore eventu, deſtinaret, multa oppida expugnavit, bona civium Romanorum, Ponticorumque diripuit, ſupplicia conſtituit in eos, qui aliquam formæ, atque ætatis commendationem habebant, ea quæ morte eſſent miſeriora, Pontumque nullo defendente, paternum regnum ſe recepiſſe glorians, obtinebat. *Id. ibid.*

Amiſum urbem, cùm diu reſtitiſſet, vi expugnatam diripuit, omnibus puberibus interfectis, ac in Bithyniam Aſiamque cum ſpe ejuſdem ſucceſſus, quo pater ejus uſus fuerat, contendit: verùm audito, Aſandrum, cui tutelam Boſphori crediderat, res novas molitum, ſubſtitit. Is enim, ſimul atque annuntiatum ei fuit, Pharnacem longè jam progreſſum, eumque cenſuit, ſi vel maximè in præſentia Romanos lateret, tamen in poſterum, id haud impunè laturum, bonæ gratiæ à Romanis ineundæ causâ, ſpeque regni Boſphorani ab eis accipiendi, contra dominum ſuum inſurrexit. Cujus rei allato nuntio, Pharnaces in eum ire inſtituit, quanquam id fruſtra fuit Cæſare adventante. *Dio lib.* 42. *pag.* 206.

Cæſar non exceſſiſſe Ponto Pharnacem audierat, commoratus ferè in omnibus civitatibus quæ majore ſunt dignitate, tandem in Cappadociam venit, deindè in Pontum, ubi copias omnes coegit. Tunc Legati à Pharnace miſſi Cæſarem adeunt, atque in primis deprecantur, ne ejus adventus hoſtilis eſſet; facturum enim omnia Pharnacem, quæ imperata eſſent; maximeque commemorabant, nulla Pharnacem auxilia contra Cæſarem Pompeio dare voluiſſe, cùm Dejo-

tarus qui dediſſet, tamen ei ſatisfeciſſet. *Hirttius pag.* 393.

Reſpondit Cæſar, ſe fore æquiſſimum Pharnaci, ſi quæ pollicetur, repræſentaturus eſſet, monuit autem mitibus verbis Legatos, ne aut Dejotarum ſibi objicerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quod auxilia Pompeio non miſiſſent, nam ſe neque libentius facere quidquam, quàm ſupplicibus ignoſcere, neque Provinciarum publicas injurias condonare iis poſſe, qui non fuiſſent in ſe officioſi; id ipſum, quod commemoraſſent, officium utilius Pharnaci fuiſſe, qui providiſſet ne vinceretur, quàm ſibi, cui Dii immortales victoriam tribuiſſent. *Id. ibid.*

Itaque ſe magnas & graves injurias Civium Romanorum, qui in Ponto negotiati eſſent, quoniam in integrum reſtituere non poſſet, concedere Pharnaci: nam neque interfectis amiſſam vitam, neque exſectis virilitatem reſtituere poſſe, quod quidem ſupplicium gravius morte Cives Romani ſubiſſent. Ponto verò decederet confeſtim, familiaſque publicanorum remitteret, ceteraque reſtitueret ſociis civibuſque Romanis, quæ penès eum eſſent, ſi feciſſet; jam tunc ſibi mitteret munera ac dona, quæ benè rebus geſtis, Imperatores ab amicis accipere conſueſcent. Miſerat enim Pharnaces coronam auream. *Id. ibid. pag.* 394.

His reſponſis datis, Legatos remiſit. At Pharnaces omnia liberaliter pollicitus: cùm feſtinantem ac properantem Cæſarem ſperaret libentiùs crediturum ſuis promiſſis, quàm res pateretur, quo celeriùs honeſtiùſque ad res magis neceſſarias proficiſceretur (nemini enim erat ignotum, plurimis de cauſis ad urbem Cæ-

ſarem revocari), lentiùs agere, decedendi diem poſtulare longiorem, pactiones interponere, in ſomnia fruſtrari cœpit. *Id. ibid.*

Cæſar cognita calliditate Pharnacis, quod aliis temporibus natura facere conſueverat, tunc neceſſitate fecit adductus, ut celeriùs omnium opinione manum conſereret. Ziela eſt oppidum in Ponto poſita, ipſo ut in plano loco, ſatis munitum; tumulus enim naturalis, velut manu factus, excelſiore undique faſtigio ſuſtinet murum, circumpoſiti ſunt huic oppido magni, multique intercisi vallibus colles: quorum editiſſimus unus, qui propter victorias Mithridatis, & infelicitatem Triarii detrimentumque exercitûs Romani, ſuperioribus locis, atque itineribus penè conjunctus oppido, magnam in illis habet nobilitatem, nec multo longius millibus paſſuum tribus habet à Ziela, hunc locum Pharnaces, veteribus paternorum felicium caſtrorum refectis operibus, copiis omnibus ſuis occupavit. *Id. ibid.*

Cæſar cùm à Pharnace millia paſſuum quinque, caſtra poſuiſſet, videretque eas valles, quibus regia caſtra munirentur, eodem intervallo ſua caſtra muniturus: ſi modo ea loca hoſtes priores non cepiſſent, quæ multò erant propriora regis caſtris, aggerem comportari jubet intra munitiones. Quo celeriter collato, prima luce, non opinantibus regiis, eum ipſum locum cepit, in quo Mithridates ſecundum prælium adverſus Triarium fecerat: huc omnem comportari aggerem è caſtris ſervitiaque agi juſſit: ne quis ab opere miles diſcederet: cum ſpatio non amplius mille paſſuum interciſa vallis caſtra regiorum divideret ab opere incœpto caſtrorum. *Id. pag.* 393.

Pharnaces, cùm id repentè prima luce animadvertiſſet, copias ſuas omnes pro caſtris inſtruxit, quas interpoſita locorum iniquitate, conſuetudine magis pervulgata militari credebat inſtrui Cæſar, vel ad opus ſuum tardandum, quo plures in armis tenerentur, vel ad oſtentationem regiæ fiduciæ, ne munitione magis quàm manu, defendere locum Pharnaces videretur. Itaque deterritus non eſt, quo minus prima acie pro vallo inſtructa, reliqua pars exercitus opus faceret. *Id. ibid.*

At Rex impulſus ſive loci felicitate, ſive auſpiciis & religionibus inductus, quibus obtemperaſſe eum poſtea audiebant Romani, ſive paucitate horum qui in armis erant, comperta, cùm more operis quotidiani magnam illam ſervorum multitudinem quæ aggerem portabat, militum eſſe crediſſet, ſive etiam veterani fiducia, exercitûs ſui, quem cum legione 22ª. in acie conflixiſſe & viciſſe Legati ejus gloriabantur, ſimul contemptu exercitûs Romani quem pulſum à ſe, Domitio duce, ſciebat, inito conſilio dimicandi, deſcendere prærupta valle cœpit, cujus aliquandiu Cæſar irridebat inanem oſtentationem, & eo loco militum coarctationem; quem in locum nemo ſanus hoſtis ſubiturus eſſet: cùm interim Pharnaces eodem gradu, quo præruptam deſcenderat in vallem, adſcendere adverſus arduum collem inſtructis copiis cœpit. *Id. ibid. pag. 396.*

Cæſar incredibili ejus vel temeritate, vel fiduciâ motus, neque opinans imparatuſque oppreſſus, eodem tempore milites ab operibus vocat, arma capere jubet, legiones opponit, aciem inſtruit. Cujus rei ſubita tre-

pidatio magnum terrorem attulit Romanis; nondum ordinibus inſtructis falcatæ regiæ quadrigæ permiſtos milites perturbant, quæ tamen celeriter multitudine telorum opprimuntur. Inſequitur has acies Regiorum, & clamore ſublato confligitur, multum adjuvante natura loci, plurimum Deorum immortalium benignitate. *Id. ibid.*

Magno atque acri cominus prælio facto, dextro cornu, quo veterana legio ſexta erat collocata, initium victoriæ natum eſt ab ea parte, cùm in proclive detruderentur regii multò tardiùs, ſed tamen iiſdem Diis adjuvantibus, ſiniſtro cornu, mediaque acie, totæ profligantur copiæ Regis, quæ quàm facilè ſubierant iniquum locum, tam celeriter gradu pulſæ premebantur loci iniquitate; itaque multis militibus partim interfectis, partim ſuorum ruinâ oppreſſis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen projectis, vallem tranſgreſſi, nihil ex loco ſuperiore inermes proficere poterant: at Romani, victoriâ elati, ſubire iniquum locum, munitioneſque aggredi non dubitârunt; defendentibus autem iis cohortibus caſtra, quas Pharnaces præſidio reliquerat, celeriter caſtris regiis ſunt potiti. Interfecta multitudine omni, aut capta ſuorum, Pharnaces cum paucis equitibus profugit, cui niſi caſtrorum oppugnatio facultatem attuliſſet liberiùs profugiendi, vivus in poteſtatem Cæſaris adductus eſſet. *Id. ibid. pag.* 397.

Tali victoria toties victor Cæſar incredibili eſt lætitiâ affectus, quòd maximum bellum tanta celeritate confecerat: eratque ſubiti periculi recordatione lætior, quòd victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat. *Id. ibid.*

De hoc bello ſic loquitur Suetonius. Ab Alexandria in Syriam & inde Pontum tranſiit, urgentibus de Pharnace nuntiis, quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occaſione temporum bellantem, jamque multiplici ſucceſſu præferocem, intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conſpectum venit, horis, una profligavit acie: crebro commmemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hoſtium contigiſſet. *In vita Cæſaris pag.* 46.

Eâ victoriâ, quamvis non ſplendidiſſimâ, Cæſar magnopere ſe jactavit, ut nullâ aliâ magis, quod eadem die & perveniſſet ad hoſtem, & vidiſſet eum & viciſſet eum. *Dio lib.* 42. *pag.* 207. Hujus pernicitatem & celeritatem conflictus Romam ſignificans, ad amicum quemdam Amintium ſcripſit tria verba, Veni, Vidi, Vici, quæ dictiones ſimiliter cadentes non illepidam habent breviloquentiam. *Plutarch. in vit. Cæſar. pag.* 731. Quod confirmat Suetonius his verbis: Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, Vidi, Vinci, non acta belli ſignificantem, ſicut ceteris, ſed celeriter confecti notam. *In vita Cæſaris pag.* 48.

De hoc bello ita loquitur Florus. In Aſia quoque novus rerum motus à Ponto: planè quaſi de induſtria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut à Pompeio pater, à Cæſare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis diſcordiæ Romanæ fiduciâ, quàm virtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam ruebat: ſed hunc Cæſar aggreſſus uno, & (ut ſic dixerim) non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodemque momento, venit, percuſſit, abſceſſit. Nec vana de ſe prædica-

tio eſt Cæſaris, ante victum eſſe hoſtem, quàm viſum. *Florus lib. 4. cap. 2. circà finem.*

Pharnaces victus refugit Sinopen cum mille equitibus, cùmque Cæſari non vacaret eum proſequi, miſſo contra ſe Domitio, urbem tradidit, & pace accepta dimiſſus cum equitibus, equos interfecit, iniquiſſimè id ferentibus eorum dominis. Indè conſcenſis navibus in Pontum fugit. *Appian. de bell. Mithrid. pag. 254.*

Cæſar poſt victoriam de Pharnace relatam, Manubias omnes, quamvis plurimæ eſſent, militibus donavit: cùmque trophæum eo in loco Mithridates de Triario ſtatuiſſet, quia id conſecratum belli Deis evertere fas non erat, ipſe de Pharnace ſuum oppoſuit, atque ita Mithridaticum obſcuravit, quodamque modo dejecit. Poſtea receptis omnibus, quæ vel Romanis vel eorum ſociis Pharnaces ademerat, ſingula, iis qui amiſerant reſtituit. His actis & reliquis rebus conſtituendis Domitio præfecto, in Bithyniam venit. *Dio lib. 42. pag. 207.*

Pharnacem in Boſphorum vi intrare conatum, Aſander in carcerem conjecit atque interemit. Cæſar verò Mithridati Pergameno tetrarchiam Galatiæ, cum regio nomine tribuit, eique bellum contra Aſandrum mandavit, quo & ejus in amicum perfidiâ plecteretur, & Mithridates Boſphori dominus fieret. *Id. ibid.* Hæc ſi vera ſunt, mors Pharnacis contigit antequam Cæſar ex Aſia fuiſſet egreſſus.

Rem aliter tradit Appianus: Pharnaces collecta Scytharum ac Sarmatarum manu, Theudoſiam Panticapæumque occupavit; & cùm rursùs ab Aſandro bellò peteretur, equites ejus, equis deſtituti, nec aſſueti

pedeſtri prælio, vincebantur: ſolus Pharnaces egregiè pugnans, tantùm conſauciatus cecidit quinquagenarius, poſtquam regnavit in Boſphoro annis 15. Atque ita etiam Pharnaces regnare deſiit, cujus regnum Cæſar Mithridati Pergameno. *De Mithrid. pag.* 254. Reliquit filium nomine Darium & Dynamin.

## *NUMMUS PHARNACIS REGIS BOSPHORI.*




Ex Tabulis Wolphangi Lazii.

Caput Regis diadematum: Ex averſa parte Apollo ſedens ante tripodem; dextrâ lauri ramum; ſiniſtrâ cubito lyræ innixo; cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ. Regis Regum Magni Pharnacis. In area ΖΜΣ. id eſt anno 247. Infrà numeralis littera Δ.

Hic eſt Pharnacis Boſphori, & non Pharnacis ejus atavi Ponti Regis nummus, cujus effigiem ſuprà exhibuimus. At Boſphoranus titulum magnificum præfert, ΒΑΣΙΛΕΩΣ

BAΣΙΛΕΩΝ, id eſt Regis Regum, aliorum monarcharum exemplo, nempè Arſacidarum & præſertim Tigranis Armeniæ cognati ſui, qui cùm Reges haberent tributarios, ſuperbam illam nomenclationem ſibi arrogârunt.

Pharnaces Reges proximos ſibi vectigales feciſſe oportet, ut non ſolam Regis Regum, ſed & ΜΕΓΑΛΟΥ appellationem à Provinciarum aut rerum geſtarum amplitudine ut plurimum deſumptam, acceperit: hæc quidem Alexandro, imo & Mithridati ejus parenti conceſſa eſt, quam tamen in eorum nummis uſurpatam non leges; porro eam in ſuis Antiochus III. Syriæ Rex admiſit: illà poſtea frequentiùs ad Arſacidas tranſiit, ab antiquis Perſarum Regibus tanquam originis ſuis autoribus mutuata, & tandem uſque ad Regulos pervenit, ſub Sept. Severo, ut in nummis Abgari obſervatur, quam ab illo Imperatore in Parthorum Regis ludibrium huic Dynaſtæ datam exiſtimat Triſtanus.

Andreas Morellius hunc Pharnacis ex auro nummum in ſecundæ editionis ſpecimine vulgavit, cujus ectypum, cùm Pariſios primùm appulit, nobis dederat, ut inter Reges quos deſcribendos aggreſſi eramus, ſuo loco poneremus. Illud ex muſeo D. Veſeri Patricii Norimbergenſis delineaverat, & quid ſibi vellent litteræ in area ſignatæ cùm poſtulaſſet, libenter illum Æram Ponti Regum docuimus, quem forte minimum in priore ſpecimine non edidit, ne tot nummorum à nobis acceptas interpretationes tanquam ſuas exponeret.

Litteræ autem ΖΜΣ. in area percuſſæ, Ponti Regum Æræ ſunt numerales, annum ejus deſignantes 247. cujus initium ut detegatur, magni eſt momenti: altera Δ. paulò intra eas poſita, annum regni Pharnacis quartum denotans, ut ſimiles in Aſandri ejus in Boſphoro ſucceſſoris monetis exaratæ indicant: nam ſi ad annum V. C. 691. quo mortuus eſt Mithridates Eupator, addideris annum quartum Regis Pharnacis, habebis 695. à quibus ſi tollas 247. tibi ſupererit 448. quo permittente Antigono Mithridates II. regnum Ponti avitum recuperavit; & quidem ſine tributo, unde Ctiſtes à Strabone appellatus, ut in illius vita dictum eſt.

Ut verò Morellius tunc ne quidem nummorum deſcriptio-

nes aggredi auſus, quare Apollo in Pharnacis averſa parte eſſet collocatus, poſtulare neglexit; ideò in illius explicatione ingenuè fatetur his verbis. QUAM OB CAUSAM APOLLO IN HOC NUMMO SCALPTUS SIT, ME FUGIT, nec ſequentia ſomniaſſet: ſed intelligat illum Panticapei urbis Boſphori primariæ percuſſum, in qua ſummus erat Apollinis cultus, utpote illa à Mileſiis condita, tradente Strabone, poſt ejus deſcriptionem, inquit, *κτίσμα ἐστὶ Μιλησίων*.

Nemo neſcit Mileſios plurimum fuiſſe veneratos Apollinem, cujus erat celeberrimum Oraculum in Branchidis, unde illi in nummo tripus, & templum Deo ſub nomine Didymei templum omnium maximum conſtruxerunt, teſte eodem Strabone pag. 634. Laurum tenet, quia hæc arbor erat in ejus tutela. Innititur lyræ, quâ à Mercurio donatus fuerat.

# ASANDER.




*In Cim. Em. Card. Maximj*
*Ex num. Aur. dragm.*

ASANDER, Pharnacis coëtaneus, nam triennio tantùm erat ætate ſuperior, ut ex Luciano eruitur *de Macrobiis*. Ita amicitiâ conjunctus, ut cum eo contra Mithridatem Regem conſpiraverit ex ipſius intimis familiaribus, ut regni adminiſtrationem reli-

querit, dum ad paternum recuperandum properaret. Is Pharnacem propoſiti pœnas daturum à Romanis putavit, aut eorum gratias initurum ſi eum regno, quod ab iis acceperat, ſpoliaret, contra dominum ſuum inſurrexit, teſte Dione *lib.* 42. *pag.* 206.

Quo nuntio accepto, Pharnaces irâ percitus in eum mox ire conſtituit; ſed cùm claſſem non haberet in Ponto paratam, & per Armeniam adventare Cæſarem quâ eſſet tranſeundum, cognovit, converſo itinere ei ad Zelam Ponti urbem occurrit; præterita felicitate potius quàm conſilio fretus, prælium in quo totus ejus exercitus eſt profligatus, & ipſe pene captus, imprudenter commiſit, & ex Sinopein quam confugerat cum reliquis militibus in Boſphorum ſolvit. *Dio ibid.* & *Appian. pag.* 254.

Pharnacis in Boſphorum exſcenſum non prius accepit Aſander, quin copias quas contra illum comparaverat, adverſus eum duxerit; ſed Rex collecta Scytharum ac Sarmatarum manu Theudoſiam & Pantuapæum urbes occupavit: ſed cùm continuo bello ab Aſandro peteretur, tandem inter illos acre prælium eſt commiſſum, equites verò Pharnacis equis deſtituti, nec aſſueti pedeſtri prælio, vincebantur: ſolus Pharnaces egregiè pugnans, interfectus eſt. *Appian. de Mithrid. pag.* 254. Dio tradit Pharnacem ab Aſandro captum, poſteaque interemptum, *lib.* 42. *pag.* 207.

Cæſar Pharnacis mortem ægrè tulit, & ut jam dictum eſt, Mithridati Pergameno, cui tetrarchiam Galatiæ cum Regis nomine tribuerat, bellum contra Aſandrum mandavit, quo & ejus in amicum perfidiâ

plecteretur

plecteretur, & Mithridates Boſphori dominus fieret. *ib. ibid.*

Is credebatur filius Mithridatis Magni ex pellice nomine Adobogione de Galatarum tetrarchis ſtirpe. Eidem Cæſar tetrarchiam legibus, Gallo-Græcorum, jure gentis & cognationis adjudicavit. *Hirtius de bell. Alexand. pag.* 397. Propter nobilitatem Mithridates pater Pergamo parvulum ſecum aſportaverat in caſtra, unde illi Pergameni cognomen. Multos ibi tenuerat annos, regiiſque diſciplinis educari eum curaverat, in amicitiam Cæſaris redintegratus propter auxiliares copias adverſus Alexandrinos ipſi adductas. *Id. ibid. pag.* 368. Dynamis Pharnacis filia inter pacis conditiones à patre Cæſari pro uxore oblata, injuriæ memor, & quod ipſe regnum paternum Mithridati ſpurio conceſſiſſet, ad ſe pertinens, Aſandro nupſit, ut ſic per conjugium ipſi tranſlatum jure defenderet.

Mithridates Pergamenus Aſandro quidem bellum intulit; ſed veterum Scriptorum penuriâ quomodo geſtum ſit ignoratur: Aſandri tamen numiſmatum fide & teſtimonio, in mari prælium inter eos commiſſum fuiſſe judicatur; nam in illis pars averſa victoriam cum palma proræ navis inſiſtentem exhibet, quæ victoriam navalem demonſtrat. Strabo de illo inquit: κατελύθη δ' ὑπὸ Ασάνδρου τοῦ καὶ Φαρνάκην ἀνελόντος. *Evertit eum Aſander*, ubi male Lyſander, *qui & Pharnacem interfecit.* Mithridates autem, qui & ſcientiæ bello peritus & virtutis, tamen in hoc prælio victus & occiſus eſt.

Quid egerit Aſander deindè, in tenebris latet, illum ut Nomadum incurſiones in regni ſui fines cohiberet, Iſthmum peninſulæ ad Mæotidem 360. ſtadia longum,

muro ducto muniiſſe, denis turribus in ſingula ſtadia conſtitutis. Nam refert Strabo *lib.* 7. *pag.* 311. Boſphoranos Regulos omnia ad Tanaim obtinuiſſe maxime poſtremos. Φαρνακης καὶ Ἀσάνδρος καὶ Πολέμων. *Pharnaces & Aſander & Polemo. Lib.* 11. *pag.* 495.

Lucianus & nummi ipſius Aſandri, initio principatus ſui Boſphori, regium nomen, quod forſan non eſſet ex regia ſtirpe natus, non uſurpaſſe nos edocent, ſed ſolum Ethnarcæ dignitate contentum, id omnino probat averſa illius nummi pars, quæ exhibet victoriam cum hac inſcriptione, ΑΣΑΝΔΡΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ ΒΟΣΠΟΡΟΥ, de qua infrà. Lucianus autem hæc habet *in Macrobiis.* Ασανδρος ἱ ὁ ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ ἀντὶ Εθνάρχου Βασιλεὺς ἀναγορευθεὶς Βοσπόρου. *Aſander autem ab Auguſto pro Ethnarcha Rex Boſpori renunciatur.*

Hanc Regis pro Etharcha appellationem ab Auguſto videtur accepiſſe Aſander ob præſtitum illi auxilium, & copias contra M. Antonium miſſas in pugna Actiaca 23. Septembris anni 723. V. C. inter eos commiſſa, in qua victor Auguſtus receſſit, & Romanum inde adeptus eſt Imperium.

Reges illi qui à M. Antonio & ab Auguſto nominabantur, tributum Romanis pendebant; quare res militaris ad eos videbatur ſpectare, ut ſparſim apud hiſtoriæ Scriptores legiones in eorum regnis ad eorum contra Barbaros tutelam, aliquando miſſæ obſervantur; quare cùm Aſander ad ſummam ſenectutem eſſet provectus, Auguſtus ei quendam Scribonum miſit: quare narrat Lucianus *in Macrobiis*, nonagenarium obiiſſe corpore validum & quidem ex inedia, quod rem militarem Scribonio creditam videret.

Mors Aſandri contigit anno V. C. 741. cùm principatum Boſphori ſub Ethnarcæ titulo annos 17. ab anno ſcilicet 706. quo Cæſar Pharnacem profligavit, uſque ad annum prælii Achaïci 723. quo Rex ab Auguſto renunciatus, & ſub Regis dignitate annos 18. in ſumma 35. nullos ex Dynami filios habuit, ipſi verò regnum quod ad eam ſpectare videbatur, teſtamento reliquit.

Scribonius qui ab Auguſto rei militari præfectus in Boſphori regno fuerat, illius occupandi occaſionem Aſandri morte nactus, ſe Mithridatis Magni nepotem mentitus, ab Auguſto regnum accepiſſe fingit, ut Dynami jus conſervaret, eam duxit uxorem, ut tradit Dio his verbis: Scribonius quidam Mithridatis ſe nepotem eſſe perhibens, ſibique id regnum, quia Aſander diem ſuum clauſerat, ab Auguſto traditum, uxorem Aſandri Dynamim, cui à marito regnum fuerat relictum, filiam Pharnacis, neptem Mithridatis, in matrimonium duxit, Boſphorumque occupavit. *Lib.* 54. *pag.* 537.

Cùm autem Boſphorani Romanos bellum Scribonio, quod hoc regnum ſine Auguſti permiſſu ſibi vindicaſſet, inferre decreverant, & Polemoni Ponti Regi curam commiſiſſe, fraude Scribonii detecta, hominem necaverunt, ut hunc non amplius pro Rege haberent, ſed eorum Regina Dynamis imperaret. *Id. ibid.*

# *NUMMUS*
# *ASANDRI BOSPHORI PRINCIPIS.*




Ex Picturis Rudolphi Imperatoris.

Caput ſine diademate. Ex averſa parte Victoria inſiſtens proræ dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmæ ramum cum epigraphe ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΣΑΝΔΡΟΥ ΒΟΣΠΟΡΟΥ; id eſt, Principis Asandri Bospori. In area deſuper littera numeralis H. id eſt octo.

INter tabulas numiſmatum Imperatoris Rudolphi II. numero M. habentur duo nummi Aſandri, quorum prior valde illuſtrat Lucianum *in Macrobiis*, qui Aſandrum non primò Regis titulum aſſumpſiſſe tradit: idcircò in illo caput diademate non redimitum eſt, & pro Ethnarchæ nomine quod ei tribuit ἀντὶ Ἐθνάρχου, hic novam & inſolentem ΑΡΧΟΝΤΟΣ tribuit dignitatem.

Ἄρχων, id eſt Principatum obtinens, qui præeſt, & aliquando Magiſtratus, ut aliquando obſervamus in nummis, verbi gratiâ ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΝ Α. ΤΟ. Β. ad deſignandum ſummum urbis Magiſtratum Aliquando pro Præſidibus Provin-

ciarum, quocumque ſeu Proconſulum, Conſulatium, vel Legatorum Proprætore titulo eas adminiſtrarent, ut diſertè id obſervat Dio lib. 54. At ne Aſander hoc ΑΡΧΟΝΤΟΣ nomen in nummis ſuis ſumeretur, eleganter addidit ΒΟΣΠΟΡΟΥ, ut denotaret ſe eſſe Boſphori Principem, cùm Boſphorus eſſet ſub Regum poteſtate, porro hoc titulo propter Romanos, abſtinuit, quem ab illis aliquando obtenturum ſperabat.

Littera numeralis H. in area deſuper exarata, magni nobis momenti eſſe videtur; quippè Principatus Aſandri annum 8. deſignant, uti ſupra in Pharnacis nummo obſervavimus. Undè ante annum huc Regis titulum non ſibi arrogaſſe demonſtrant; imò Lucianus ab Auguſto ipſi conceſſum illi indicat, nempe ut conjicimus ob præſtitum illi contra Antonium in prælio Actiaco officium, quod evenit anno V. C. 724. & ipſe Boſphorum tenuit ab anno V. C 707. vel 708.

Victoria inſiſtens proræ, aliquam ab Aſandro relatam denotat, etſi nobis conjicere liceat, contra Mithridatem Pergamenum, cui Julius Cæſar Boſphori regnum, ut Pharnacis montem ulciſceretur, conceſſerat; at cùm ille Galatiam cum Regis nomine jam obtineret, claſſem ut in Boſphorum appelleret, conſtruxiſſe videtur, cui obviam factus Aſander, prælio navali commiſſo eum interfecit, ut ſcribit Strabo; in cujus memoriam hunc typum percuſſit.

# NUMMUS
## ASANDRI REGIS.




Ex Museo Card. Maximi.

Caput diademate ornatum. Ex averſa parte eadem Victoria proræ inſiſtens, dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmæ ramum cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΣΑΝΔΡΟΤ. Et in area littera numeralis Ξ. & monogrammate ΑΠ.

Ecce prodit Aſander ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo inſignis, cujus caput diademate redimitum eſt, ut patet ex typo quod in Muſeo noſtro ſervamus, & non cum neſcio quo apluſtri à tergo, ut illud deſcripſit Spanhemius in ipſius nummi deſcriptione Diſſ 5. pag. 461.

Hæc nova Regis dignitas nummis ejus inſcripta Lucianum eximiè illuſtrat, apud quem legimus ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἀναῤῥέυθεις Βοσπόρου, Rex Bosphori renunciatus. Ita ut non amplius ΑΡΧΟΝΤΟΣ ut ſuprà, Principis ſeu Domini Boſphori tilum uſurpet, ſed ut Pharnaces exemplo ante ipſum Boſphori Rex etiam appelletur, non uſurpata quidem dignitate, ſed ipſi ab Auguſto conceſſa; unde inflatus non annum ſui Prin-

cipatus ut in ſuperiore nummo, ſed recentis tituli in hoc dinumeret, nempè ſextum, quem indicat littera numeralis Ξ in area ſignata.

At cùm ſub hac littera numerali monogramma videatur in quo inſerta eſt littera A. in altera nempe Π. videntur eſſe initiales nominis Παντοκαπειȣ, in qua urbe Boſphori metropoli nummus iſte percuſſus ſit, talia urbium monogrammata inſpicere licet apud Golzium in Aſia minore tabula 32. ubi plurimæ Alexandro Magno nummos percuſſerunt.

Eadem Victoria proræ inſiſtens repetitur in Aſandro ut ſolemne Principatus ſui confirmationis argumentum, nempe victo & occiſo Mithridate Pergameno, ex Mithridatis Magni ſtirpe credito, & Boſphori regno à Julio Cæſare donato, ceu ut ſe maritimæ potentiæ hac Victoria compotem.

# DARIUS

## PONTI REX.

EX Boſphori Regibus, in quos familia Mithridatis Ponto ejus regno in Provinciam Romanam à Pompeio redacto nos adduxerat, in Ponti iterum Reges reſtitutos revertamur, cùm id regnum tandem Mithridatis Magni nepoti tanquam avitum à Romanis conceſſum nos edoceant Hiſtoriæ Scriptores.

Darius Pharnacis Boſphori Regis filius, ut regnum paternum Aſandri perfidiâ ſibi ereptum vidit, ad inſidias uſurpatoris vitandas, in aliquam ſe regionem ab ipſo remotam confugiſſe videtur, aliquod fortunæ præſidium ad illud recuperandum aut ad aliud à Romanis obtinendum expectans, occaſionem civilis belli inter Triumviros contra Dictatoris interfectores nactus, memor quod hic Mithridati Pergameno bellum contra Aſandrum, quo ejus in amicum *Regem* perfidia plecteretur; mandaſſet. Mox Octaviani Cæſaris & M. Antonii partes ſequitur, iiſque ad prælium Philippenſe, quas potuerat copias colligere, in eorum auxilium duxit cum amicis.

Victis poſtea ad Philippos Macedoniæ urbem Bruto & Caſſio, cùm M. Antonii ad bellum Parthis inferendum profectionem cognovit, ipſi occurrit ſupplex Athenis, ut hyberna illic acturum reſcivit, quam in urbem multi ipſius ſtudioſi etiam venerunt: de quibus hæc ait Appianus. Reges aliquot appellavit, arbitratu ſuo, duntaxat qui certum tributum penderent, Ponti Darium

Pharnacis

Pharnacis filium, Mithridatis nepotem, Idumæorum Samaritarumque Herodem, Amyntam Piſidarum, Polemonem partis Ciliciæ, alioſque aliarum gentium. *De bell. civil. lib. 5. pag. 715.*

Appianus Antonium Polemoni regnum Ponti dediſſe debuerat potiùs referre; cùm Dio illum nominet his verbis: Solo Polemone Ponti Rege bellique *Antonii* ſocio, capto, ac pecuniâ datâ dimiſſo. *Lib. 49. pag.* 408. niſi dicamus hunc Polemonis titulum Regis, à Librariis in illo prætermiſſum, & tantùm partem Ciliciæ, quam revera habuit, eſſe relictam.

Nec Lectorem moveat duos Ponti Reges à M. Antonio eodem tempore conſtitutos; Dario Pharnacis filio regnum Ponti avitum, Bithyniæ ſcilicet conterminum, Polemoni verò, eam Ponti partem quæ ad Cappadociam vergebat, conceſſit. De Polemone igitur tum ut Ponti, ſed ut Boſphori etiam Rege mox dicturi ſumus.

Darius anno V. C. 715. avitum Ponti regnum quidem recepit, & filium Pharnacis, nepotemque Mithridatis fuiſſe ex Appiano tantùm didiſcimus; ſed quid poſtea egerit & quot annos regnarit, tota illius geſta in tenebris ſepulta ſunt, tamen filium nomine Mithridatem regni ſucceſſorem reliquiſſe, ex illis eruere conabimur.

# MITHRIDATES VII.

## PONTI REX.

MITHRIDATES ordine Regum Ponti, qui ſtirpem ab Achæmene deducere gloriabantur, ſeptimus, Dario patri Pharnacis filio, in avito Ponti principatu, etſi nulli meminerint Hiſtoriæ Scriptores, ſucceſſiſſe videtur: etenim annorum 80. ſpatium quod effluxit inter Ponti regnum Dario Pontico ex Antonii Triumviri munificentia receptum, apud Appianum anno V. C. 715. uſque ad regnum Boſphori à Claudio Imperatore Mithridati conceſſum ex Dione anno 795. Mithridatem hunc Boſphoranum, qui proles Magni Achæmenis dicitur apud Tacitum, potiùs Darii nepotem, quàm filium apertè demonſtrat.

Itaque Darii Ponti Regis fuiſſe filium, qui Mithridatis Boſphorani pater extitit, neceſſe eſt; in ea verſatus ſententia Hieron. Henninges illum appellat Mithridatem, quo autore, non refert, forſan quod id nomen Ponti Regibus ſit familiare, vel quod ejus filius Mithridates Boſphoranus illud tulerit, & de ipſo hæc pauca habet, *Mithridates vixit famâ & nomine obſcuro*: nec eum inter Reges collocat, quem titulum revera tuliſſe ex ſequentibus auguramur.

Si Mithridates VII. Ponti Rex Mithridatis Boſphorani pater renuntiatur, ex qua uxore illum genuerit, inquirere neceſſarium videtur; Tacitus Mithridatem Boſphori Regem & Cotym illius in regno ſucceſſorem fratres appellat; cùm verò ille ſit Achæmenides ex

eodem Scriptore, & Cotys è regio ſanguine Thracio ortus, eos eſſe haud dubiè fratres uterinos neceſſe eſt, eorumque matrem fœminam principem primo Mithridati VII. Ponti Regi, & ſecundo Cotyi Armeniæ Principi nupſiſſe.

Præmatura morte præventus Mithridates VII. fuiſſe videtur, & cùm tantùm in tenera ætate conſtitutum haberet filium, ab Imperatore Romano in Provinciam Pontum redactum eſt & Bithyniæ adjunctum; at Mithridatis uxor ut Reginæ nomen non amitteret, in novas nuptias cum Cotye minoris primùm Thraciæ deinde Armeniæ Rege ſe conjunxit.

Avito Ponti regni ſpoliatus filius in Thraciam ſequutus eſt matrem, & tandem ſibi benevolum reddidit Claudium Imperatorem, ut ab ejus liberalitate, aliud avitum Boſphori regnum obtinuit.

Quot annos regnaverit Mithridates VII. & quo tempore è vivis abierit, incertum eſt. Plura de illo in ejus nummo.

## *NUMMUS*
## *MITHRIDATIS VII. PONTI REGIS.*




Ex Thesauro Regio.

Caput Regis diademate ornatum cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ; id eſt, Regis Mithradatis. In averſa parte IB. hoc eſt anno duodecimo clava: ſpoliis leonis onuſta, à dextris pharetra, & à ſiniſtris tridens.

SI Mithridates VII. Darii Ponti Regis filius & Pharnacis Boſphori Principis nepos, ab Hiſtoriæ Scriptoribus prætermiſſus eſt, nihil mirum ſi ejus nummi ab Antiquariis haud cogniti fuerint. Seguinus tamen unum vulgavit in Selectis pag. 62. Sed illum alio Principi adjudicavit; ut verò Mithridatis Regis inſcriptionem legit, illius famoſi Reipublicæ Romanæ hoſtis numiſma eſſe duxit, ſed inſpecto accuratiùs vultu, ut ait, & cum argenteis ipſius Eupatoris tetradrachmis collato faciem omnino diverſam deprehendit.

Caput illud juvenile, Mithridatis Pergameni eſſe ſuſpicatus eſt, tum propter verbum ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, quod in alio

Pergami urbis nummo obſervavit, ad Strategum quemdam Mithridatem ſpectantem, cùm Regis nomine non ſit inſignitus: reliquit igitur Ponticum propter diverſa in utroque lineamenta, tum quod magnus ille Ponticus in ære ſincerus vix reperiatur; addere debuiſſet, quod ille ſemper ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ cognomen præfert, & Epocham qua Mithridatis Ctiſtis ſucceſſores utebantur.

Relicto igitur Pontico, totum ſe ad Pergamenum contulit, cujus hiſtoriam & res geſtas deſcribit, in quibus illum Tetrarchiam Gallo-Græcorum accepiſſe à Julio Cæſare refert, & poſtea regno Boſphori donatum, ſi Aſandrum Pharnacis interfectorem tolleret, ſed ipſe ab Aſandro occiſus eſt, & ſic regnum nunquam obtinuit, nec proinde Rex unquam dici potuit.

Cui ergo Regi Mithridati nummus eſt aſcribendus, ſi ad Eupatorem nec ad Pergamenum ſpectet; ad alios ſanê confugiendum. Duo ſuperſunt Reges nomine Mithridates, ambo ex Achæmenidarum ſtirpe oriundi: alter Mithridates Darii filius, Ponti Rex, & ejus filius Boſphori Princeps; ad hunc pertinere nequit nummus cum annis regni duodecim, ſiquidem is ad annum V. C. 795, Boſphoro præeſſe cœpit, & anno 802. regno ſuo ſpoliatus eſt.

Redit denique nummus hic ſecundæ formæ ad Mithridatem VII. Darii Regis Ponti filium, quem ille appellat Mithridatem, ut præfert ejus epigraphe, & Regem fuiſſe nos edocet BACIΛΕΩC titulus; & quidem Ponti tanquam paterni regni hæres: quod confirmant principatus ſui anni in eo conſignati: at objiciet quidam Reges ex proſapia Achæmenidarum in nummis æram Mithridatis conditoris vocati computare ſolere, quod in aureis & argenteis forſan moris fuit, in æreis verò annos tantùm regni ſui apponere.

Denique nummi modulus Aſiaticum redolet, ut ſimiles ejus tractus & ævi, qui manibus Antiquariorum quotidie feruntur, demonſtrant: non autem illa eſt Boſphororum Regum rudis & barbara ferè forma ab imperitis artificibus earum regionum ſignata, quales in horum Principum ſerie mox deſcribenda prodibunt, & certè is non eſt in Antiquariorum peritorum numerum referendus, qui mox ex nummorum

forma, regionem in qua cuſi ſint, non dignoſcat & pronuntiet, quod uſus & frequens illorum tractatio iis comparare debuit.

Herculea inſignia in averſa parte nummi exarata, Mithridatem adſciviſſe refert Seguinus, eo forte quod per Achæmenidas, à quibus Pontici Reges orti ſunt, ad Herculem genus referret. Plurimos extitiſſe, & quidem in variis orbis regionibus nemo neſcit: at cùm hic pro inſigni tridentem etiam ferat, eum ab aliis diſtinguere illud videtur; & ſi mihi conjicere liceat, ille Hercules Tyrius eſt, quem Jovis & Aſteriæ filium fuiſſe fabulantur, à quo Perſarum ille Monarcha Achæmenes ſe ortum prædicabat, cùm illa regio ſub ejus eſſet imperio. Tridentem præfert tanquam maris imperium habens, ut qui navium inventor fuerit, & illas Tyrios fabricare docuerit, ſi Nomio fides in Dionyſiacis.

# ALIA REGUM PONTI ET BOSPHORI
*Familia.*

## POLEMO.

POLEMO·I.
PONTI·ET·BOSPHORI·REX.



*Ap. P. Vaillant D.M.*
*Ex num. ær. 2 mod.*

DISCERPTO poſt Magni Mithridatis mortem toto Ponti regno, ab illo longè latèque propagato, Pompeius avitum illius principatum Bithyniæ

conterminum in Provinciam Romanam ipſi conjunctam redegit, partem aliam gentibus quas ſubegerat, propter miſſa auxilia, libertate donatam conceſſit, aliaſque Regibus attribuit. *Appian de bell. Mithrid. pag.* 251.

Poſtea M. Antonius Triumvir Imperii Romani diviſione cum Auguſto factâ, poſt Philippenſem victoriam, cùm illi oriens ceſſiſſet, Ponti regnum olim Mithridatis pro arbitrio mutavit, partem illam Bithyniæ conterminam quam Pompeius in Provinciam Romanam redegerat, iterum in regnum erexit, & Dario Mithridatis Magni nepoti avitum conceſſit; alteram Ponti partem quæ vergit ad Cappadociam, Polemoni attribuit. *Appian. & Dio.*

Polemo non regiâ quidem ſtirpe ortus, ſed ut loquitur Strabo, qui ob res præclarè geſtas, regno dignatus eſt, *lib.* 12. *pag.* 578. filius fuit Zenonis Rhetoris Laodicenſis, qui cum Hybrea altero Mylaſſæ Oratore, eodem Geographo teſte, Labieno cum Parthis Aſiam vaſtanti non ceſſit, ambo urbes ſuas contra eum concitârunt anno V. C. 713. *lib.* 14. *pag.* 660.

Hoc patris erga Antonium officio, & in ſuo Philippenſi prælio huic Triumviro præſtito, Polemo eum Athenis hyberna agentem anno ſequente inviſit, à cujus munificentia Ponti regnum ex ea parte quæ vergit ad Cappadociam ſub tributi titulo accepit, ut innuit Dio *lib.* 49. *pag.* 407. & Ciliciæ parte donatur apud Appianum *lib. bell. civil.* 5. *pag.* 715. Pontus ab eo Polemoniacus accepiſſe nomen videtur, apud Juſtinianum. *Novella* 28.

Cùm Antonius in Armeniam ire inſtituiſſet anno

718

718. ad bellum Artavaſdi Medorum Regi faciendum, ſtatim Polemo copias ad auxilium ipſi ferendum comparavit, Triumvirumque comitatus eſt; Antonius autem ab Artavaſde Armeniæ majoris Rege inimico ejus impulſus: cùmque intelligeret Regem Mediæ, ad opem Parthis ferendam procul domo abiiſſe, impedimentis ac parte exercitûs, in quo erat Polemo, *teſte Plutarcho in Antonio pag. 959.* cum Oppio Statiano relictis, ſubſequique ſe juſſis, ipſe cum equitibus, ac peditatus optima parte, feſtinatò profectus eſt, ſperans ſe primo impetu omnem Mediam ſubacturum. *Dio lib. 49. pag.* 407.

Ad Praaſpa (regia Mediæ) cùm Antonius veniſſet, aggere jacto, eam oppugnare cœpit, ſed Parthus ac Medus cùm id cognoviſſent, laborare eum fruſtra in oppugnanda urbe, validis muris, ac multis defenſionibus munita, paſſi ſunt: ipſi verò Statianum, in itinere fatigatum, improviſo adorſi, ad unum omnes, qui cum eo erant, conciderunt, ſolo Polemone Ponti Rege, bellique ſocio capto, ac pecuniâ datâ dimiſſo. *Id. ibid.*

Anno ſubſequente 719. Artavaſdes Mediæ Rex, Phrahati Parthorum Regi ſuccenſens, quod neque prædæ magna parte, neque aliò honore eſſet ab eo præditus, cupienſque Armeniæ Regem ulciſci propter inductos ſibi ab eo Romanos, Polemone ad Antonium miſſo, amicitiam ac ſocietatem ejus ambiit, qua quidem re adeò delectatus fuit Antonius, ut inita cum Medo pace, præmium legationis Polemoni Armeniam minorem poſtea dederit. *Id. pag.* 411. & 412.

Antonius anno 721. uſque ad Araxem fluvium pro-

fectus, quaſi Parthis bellum illaturus, ſatis habuit cum Medorum Rege ſocietatem junxiſſe, & illi parte Armeniæ recens occupatæ tradita, ſecundum hæc Polemonem Armenia minore donavit. *Id. pag.* 418.

Poſtea cùm Antonius & Cæſar inter ſe civile bellum excitaſſent, Polemo beneficiorum memor, ſubitò in Antonii partes deſcendit, & ipſi copias non paucas adduxit in prælio ad Actium commiſſo anno 723. Cæſar illi condonavit, quod benefactori ſuo auxilium meritò præſtitiſſet. Deindè Polemo in Cæſaris amicitiam receptus eſt: de quo ait Dio eodem anno, *ſcilicet* 728. Polemo Rex Ponti inter ſocios ac fœderatos Populi Romani adſcriptus eſt; ac prima ſubſellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus tributa. *Id. lib.* 53. *pag.* 513.

Bello ſtrenuus erat Polemo, vicinaſque gentes olim Mithridati ſubjectas, regno ſuo addidit, Chaldæos ac Tibarenos & alios: at cùm Aſander Boſphori Rex mortuus eſſet, & Scribonius rei militari ab Auguſto tunc præfectus regnum occupaſſet, ducta in uxorem Dynami Pharnacis filia & Aſandri conjuge, ſe Mithridatis eſſe nepotem & regnum ſibi ab Auguſto conceſſum mentitus, contra eum ab Agrippa Auguſti genero miſſus eſt.

Hic Aſiæ Provincias luſtrans, cùm quod Scribonius in Boſphoro auſus fuerat, Polemonem, inquit Dio, Ponti ejus quæ eſt ad Cappadociam ſita Regem, miſit ut ei bellum faceret, iſque Scribonium ſuperſtitem non invenit; fraude enim ejus cognita, Boſphorani jam necaverant hominem. *Lib.* 54. *pag.* 538.

Reſiſtentes autem Boſphoranos, quòd metuebant,

ne is Rex ipſis conſtitueretur, prælio vicit, neque tamen eos ſubegit; cùm verò Agrippa contra ipſos exercitum adduxiſſet, Boſphoranos ſuperavit; & ſignis Romanis, quæ illi quondam ſub Mithridate ſuſtulerant, bello recuperatis, victos ad deditionem coëgit. *Oroſ. lib. 6. cap.* 21. Armis demum poſitis, Polemoni traditi ſunt, conjuxque Dynamis eidem data, Auguſto nimirum id probante. *Dio ibid. pag.* 538.

Polemo cum Dynami non diu vixiſſe videtur, jam hæc ante 32. annos Aſandro & nuper Scribonio nupſerat: ex ea nullos itaque ſuſcepit liberos.

Deindè ſibi ſecundo matrimonio copulavit Rex Pythodoriem filiam Pythodori Aſiarchæ, qui Nyſæ natus, Trallim poſtea ob claritatem urbis migraverat, interque amicos Pompeii cum paucis floruit; regiæ ei fuerunt opes, ampliores duobus talentûm millibus, quas cùm Cæſar publicaſſet, propter ejus cum Pompeio amicitiam redemit Pythodorus, & non minores liberis ſuis reliquerat. *Strabo lib.* 14. *pag.* 649. Multis autem donariis Pythodorus Laodiceam urbem exornavit, ut & Polemo ejus gener, eodem Geographo teſte, *lib.* 12. *pag.* 578.

Polemo fines regni ſibi à M. Antonio conceſſi & ab Auguſto confirmati propagaverat, Pharnaciam ac Trapezuntem poſſidebat, & addit Strabo, ultimo Polemon Colchidem habuit. *Lib.* 11. *pag.* 499. quam armis ſubegerat.

Nec minus limites in Boſphoro extendere conatus eſt; nam omnia uſque ad Tanaim obtinebat, Aſpungitanos, inter Phanagoriam habitantes, & Gorgippiam ad 10. ſtadia, ſubigere volebat, quibus cùm

inſidiaretur ſub amicitiæ prætextu, re comperta, bellum illis inferens, in poteſtatem eorum vivus pervenit & interiit. *Id. lib.* 11. *pag.* 495. Sed quando, planè incertum eſt.

Reliquit tres liberos, Polemonem, Zenonem, & filiam Pythodoritem Cotyi Sapæo nuptam, regnique adminiſtrationem Pythodori conjugi.

# NUMMI
## POLEMONIS PONTI ET BOSPHORI REGIS.




Ex Suetonio Card. Patini.

Caput diademate cinctum, cum epigraphe, BACIΛΕΩC ΠΟΛΕΜΟΝΟC, id eſt, Regis Polemonis: Ex averſa parte caput nudum Antonii, cum inſcriptione M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΓ. ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ, hoc eſt, M. Antonius Imperator Triumvir.

RAriſſimum hunc ex argento nummum vulgavit Card. Patinus in Suetonii libro, quem notis & numiſmatibus illuſtravit; exhibet ille Polemonem qui ab Antonii munificentiâ Ponti regnum ex ea parte quæ ad Cappadociam vergit, acceperat: memor tanti honoris, Triumvirum in averſa parte cudi voluit; nam ut jus cudendæ monetæ dignitatis erat ſymbolum, multo magis in ea repræſentari debebatur qui regna diſtribuebat.

Polemo quidem ut Rex, diademate Regum inſigni ornatus eſt; Marcus autem Antonius, nudum tantùm exhibet ca-

put Romanorum more, ſed cum titulo Triumviri Magiſtratus, ſi modo Magiſtratus dicendus erat, qui contra leges fuit inſtitutus, à Lepido, Antonio, & Octaviano, ut ſub ſpecie ulciſcendi Cæſaris mortem, ſibi de ordinanda & corrigenda Republica poteſtatem arrogaverant, & ſic publicè conſtituendis & adminiſtrandis rebus, ut præficerentur, inter ſe convenerant: idque non in perpetuum, ſed in quinquennium.




Ex Museo nostro.

Caput Regis diademate revinctum cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΟΝΟΣ, Regis Polemonis: Ex averſa parte caput nudum cum inſcriptione, Imp. Cæsar Aug.

QUod Polemo in partes M. Antonii, ad prælium Actiacum deſcendiſſet, ignovit Auguſtus, cùm ab eo regnum accepiſſet; imò & ejus amicitiam meruit, & ut illum M. Antonius Ponti Regem fecerat, Auguſtus poſtea eum Boſphori regno donavit, non minor virtutis in Polemone quam Triumvir collega, æſtimator.

Prior Polemonis cum M. Antonii effigie percuſſus ex argento nummus, drachmalis eſt Romanæ monetæ more: habet quidem utraque pars epigraphem Græcam nempe à parte Polemonis, cùm in ejus regno lingua illa eſſet in uſu, ſaltem nummi hoc idiomate ſcribebantur; pariter circa M. Antonii caput, quod illi Orientis Imperium ceſſiſſet, Græca eſt

inſcriptio ; ubi hæc lingua per omnes ipſius Provincias erat propria & communis.

Hic vero nummus ex ære eſt, & quidem minimi moduli ad majorem populi & commercii commoditatem; habet verò inſcriptionem ex parte Polemonis Græcam, propter linguam quam Pontii, quorum Rex erat, loquebantur: circa autem Auguſti effigiem Latina adeſt epihraphe, quod Romanorum eſſet Imperator, quibus ipſa eſſet nativa lingua.

# PYTHODORIS
## PONTI ET BOSPHORI REGINA.

ARCHELAVS
REX CAPPADOCIÆ VLTIMVS.



*Ap. D. Baudelot. I. C. Paris*
*ex num. arg. didrac.*

PYTHODORIS, mortuo Polemone Rege marito, ipſa in principatus ſive teſtamento ſponſi, ſive ut filiorum impuberum tutrix, ſucceſſit; prudens mulier & præeſſe rebus gnara, ut loquitur Strabo *lib.* 12. *pag.* 555.

555. regnum Ponti & Boſphori gubernavit, & in Colchos Trapezuntem, Pharnaciam & ſuprà accolentes Barbaros tenuit. *Idem lib.* 11. *pag.* 499. Phanaream & Zelitin, præterea ac Megalopolitidem, poſſedebat. *Id. lib.* 12. *pag.* 559.

Hæc ſecundo matrimonio Archelao Cappadociæ Regi nupſit, & cum illo, dum is in vivis permanſit, vitam exegit. *Id. ibid. pag.* 556. Archelaus Tiberio inviſus eſt, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet: ab eo Romam evocatus anno V. C. 770. in Senatu falsò accuſatus eſt, quaſi res novas moliretur; homo non ſolùm ſumma ſenectute, ſed etiam podagræ doloribus oppreſſus, finem vitæ ſpontè an fato implevit, poſtquam annis quinquaginta regno potitus eſſet, & ejus Cappadociæ regnum in Provinciam redactum eſt. *Tacit. Annal. lib.* 2. *pag.* 53.

Liceat mihi ad illuſtrandam Ponti Regum ſeriem, rariſſimum Archelaï Cappadociæ Regis huic regno conterminæ nummum exhibere, tum quòd ille Reginæ Ponti conjux fuerit, tum quòd nullum nobis ſit ejus Pythodoridis numiſma ſuperſtes.

## NUMMUS ARCHELAI REGIS CAPPADOCIÆ.




Ex Cimelio D. Foucault.

Caput Archelai Regis juvenile diademate redimitum. Ex averſa parte Clava, in cujus ambitu epigraphe ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΡΧΕΛΑΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ, id eſt, Regis Archelai Philopatoris filii Fundatoris. In area K. forſan ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ, Cappadocum.

Archelaus, quem exhibet ex argento nummus, Rex Cappadociæ primus & ultimus ex ſua familia, poſt Ariarathem Ariobarzanis Cappadociæ filium juniorem, juſſu M. Antonii interfectum, inauguratus eſt ab eodem anno 718. in gratiam Glaphyræ matris, quæ Triumviro placuit.

Is filius fuit Archelai, qui Sacerdos Comanorum in Ponto inveſtitus à Pompeio Magno poſt devictum Pompeium, & Glaphyræ filius: hic poſt fugam Ptolemæi Auletis, regno in Berenicem ipſius filiam tranſlato, cum hac matrimonium contraxit, Rexque Ægyptiorum acclamatus eſt; & licet tantùm

ſex menſes imperârit, cùm fuerit interemptus, τὸν Κτίστην ipſe tamen ſe fundatorem appellat, ut qui primus titulum Regis in familiam tranſmiſerit, nam ejus pater Archelaus Mithridatis Eupatoris tantùm dux fuit.

Archelaus autem noſter in tanti patris, quem Dio acrem & magni nominis virum appellat lib. 39. pag. 117. memoriam, ſe Philopatorem nuncupavit; quæ cognomina patris nempè conditoris του Κτίστου, & filii Φιλοπάτορος, amantis parentem, prorſus ſine nummorum auxilio ignoraremus: gratitudinis erga Antonium cauſa in bello Actiaco, pro eo pugnavit Archelaus; ideo veniam à Cæſare obtinuit anno 724. ex Dione *lib.* 51. *pag* 443. imò ita ejus amicitiam poſtea ſibi conciliavit, ut anno 734. minoris Armeniæ regnum & Trachiam Ciliciam in donum acceperit, eodem teſte Scriptore *lib.* 53. *pag.* 526.

Primo ſe connubio cum conjuge, cujus nomen deperditum eſt, ex qua cùm ſolùm filiam nomine Glaphyram ad ſecundas cum Pythoridite Polemonis vidua nuptias conjecit, ex qua nulli procreati ſunt liberi.

Clava ut Herculis inſigne eſt, Archelaum genus ſuum ad hunc Heroem ſeu Deum deducere indicat: Archelaus Cappadox illius proavus ex Archelais Temenidis originem habere ſe gloriabatur? an verò illi ex Hercule?

Littera K. in area nummi poſita, utrum ſit monetarii nominis initialis, dubius ſum; an verò potius referatur ad titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, & ſic Καππαδοκων gentem ſignificet; pro tuo ſit arbitrio, niſi ut grandior littera id prorſus denotet.

Zeno Polemonis & Pythodoridis filius minor, annò ſequente 771. Armeniæ majoris Rex electus eſt, de quo ait Tacitus: Armenii illa tempeſtate Regem non habebant, amoto Vonone: ſed favor nationis inclinabat in Zenonem, quòd is prima ab infantia, inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia Barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata adprobantibus nobilibus circumfuſa multitudine, inſigne regium

capiti ejus impoſuit; cæteri venerantes Regem, Artaxiam conſalutavere; indiderant ex nomine urbis, *ſcilicet* Artaxatæ Regiæ. *Lib. Annal.* 2. *pag.* 59. Sed illa urbs nomen habuerat ab Artaxia Antiochi M. Duce, qui Armeniam in regnum erexerat.

Artaxias Armeniæ majoris Rex, vivente adhuc matre, poſt 15. regni annos defunctus eſt, V. C. 786. Polemo autem filiorum major Pythodoridis, cum matre privatus interea regnum Ponti & aliorum adminiſtrabat. *Strabo lib.* 12. *pag.* 556.

Supereſt ut de filia Polemonis & Pythodoridis quædam dicamus, cùm illius ex Cotye Thraciæ Rege filius, Mithridatis VII. ultimi Ponti Bithyniæ conterminæ Principis, dequo nos ſuprà, viduam duxerit uxorem, ex qua duo filii, ſcilicet uterini fratres, Boſphori regnum poſtea tenuerint; & illud, extincta Mithridatis Magni progenie, tandem ad Principes ex Thracia oriundos pervenit, de quo in ſequentibus.

Filia Polemonis & Pythodoridis, eodem nomine quo mater, Pythodoris junior appellata, Cotyi Thraciæ Regi Sapæo nupta eſt ex Strabone; & ſi conjicere licet ex filiis Polemonis primogenita Mariti pater Rhæmetalce cùm è vivis exceſſiſſet, qui Thraciam omnem poſſidebat, Auguſtus partem Thracum Rheſcuporidi fratri ejus, partem filio Cotyi permiſit: huic mite ingenium & amænum, patruo atrox & avidum & ſocietatis impatiens, aſtu Cotys aggreditur à Rheſcuporide, & tandem perfidè necatur anno 772.

Rheſcuporis Tyberii juſſu, per Pomponium Flaccum Mæſiæ Proprætorem, ejus nuncium in præſidia Romana evocatum, neceſſitatis gnarus in urbem tractus eſt.

Accuſatus in Senatu à Pythodoride Cotyis uxore damnatur, ut procul regno teneretur, Thracia in Rhæmetalum Rheſcuporidis filium, quem paternis conſiliis adverſatum conſtabat, inque liberos Cotyis dividitur.

Cùm nobis Pythodoridis Polemonis uxoris nummi ſuperſint, non ingratum forſan Lectoribus videbitur, ſi hîc Pythodoridis junioris nummum appendamus.

# *NUMMUS PYTHODORIDIS JUNIORIS*

*Thraciæ Reginæ.*



IN THESAURO REGIO.

Caput Tiberii laurea ornatum ſine litteris. In averſa parte Bilanx cum epigraphe in ambitu ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟ. ΚΟΤΥΟΣ, id eſt REGINA PYTHODORIS COTYIS conjux.

HIc rariſſimus ex argento nummus à Seguino cùm ſuus eſſet, in ſelectis numiſmatibus pag. 45. vulgatus eſt. Tiberii Imperatoris effigiem illuſtris Antiquarii, etſi nulla illius inſcriptione gaudeat, apprimè novit tum ex ejus Cæſaris lineamentis, tum ex hiſtoria Cotyis & Pythodoridis, quam ex Tacito eruditè ſuo more retulit.

Imperator Romanus in Thraciæ Reginæ nummo, tanquam regnorum diſtributor, ut ſuprà notavit Tacitus. Thracia in Rhæmetalcem inque liberos Cotyis dividitur, *Annal. lib.* 2. à Tiberio ſcilicet: nomen ejus circa imaginem haud ſcribitur, ut qui ab omnibus populis ſolo vultu cognoſci debet, laureâ

redimitur, quam à Julio Cæſare Imperii Romani fundatore mutuati ſint omnes poſt eum Cæſares appellati.

Pythodoris Reginæ nomen ſibi aſſumit, licet filiis nondum adultis Tribellius Rufus vir Prætorius ex Tacito datus ſit, qui regnum tractaret. Reginæ nomen indelebile eſt, & jus monetæ à Pythodoride retentum, non omnino res à tutoribus Romanis eſſe adminiſtratas & totam iis in regno poteſtatem fuiſſe datam nos edocet.

Regina illa Thraciæ ſe, Cotyos ſubintellige, Regis uxorem nominat, ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ ΚΟΤΥΟΣ, ut Sabina in nummis ſuis vivo Imperatore dicitur SABINA AUG. HADRIANI AUG. ſicut & plurimæ aliæ Auguſtæ poſtea uſurpârunt.

Libra cum lancibus in averſa nummi parte, eadem ratione videtur exarata, quæ in Romanis: ipſa Æquitas muliebri habitu ſtans cum bilance dextrâ gerente, & epigraphe ÆQUIT..S AUG. ad indicandam Tiberii juſtitiam, qui ob cædem Cotyis per Rheſcuporim patratam; illum regno privavit; & in exilium Alexandriam Ægypti miſit: ubi advectus & fugam poſtea tentans; an ficto crimine interfectus eſt.

Pythodoris vidua permanſit, cùm liberos haberet, de quibus natu maximus, nomine Cotys, rerum potitus eſt, ut narrat Strabo lib. II. pag. 556.

Poſſidet Gaza regia perrarum hujus Cotyis Pythodoridis filii Nummum ex ære, non quidem in Thracia, ſed in Armenia minore, cujus regnum à Caligula accepit, quem in hoc loco non apponimus, ſed illius infra nomen Lectoris oculis ſubjiciemus.

Pythodoris mater, dum vixit, rerum & principatuum ſuorum adminiſtrationem capeſſivit, & Polemo filius licet adultus, cum ea ut privatus degebat: non autem Imperio nimis dignus videbatur: ipſaque obiiſſe videtur ſub finem Tiberii, aut initio Caligulæ imperii anno 791.

# POLEMO II.

## PONTI ET BOSPHORI REX.

POLEMO.II.
REX PONTI.



*Ap. D. Foy Vaillant. D.M.*
*ex num. argenteo. dragm.*

POLEMO Polemonis & Pythodoridis filius natu major, qui vivente matre, quaſi privatus res adminiſtraverat ut & placebat; tandem mortuâ, regni habenas ſuſcepit, de quo ait Dio, Polemoni pater-num

num Imperium *Caligula* ex Senatus-conſulto videlicet tribuit anno 791. *lib.* 49. *pag.* 646. ſicut ipſe *Caius* Cotyi Polemonis ex ſorore filio Armeniam minorem pro parte Thraciæ cujus Rex erat, quam Ræmetalci tribuit, conceſſit.

Non diu Polemo paternum poſt Pythodoridis matris mortem tenuit Boſphori regnum ; ſiquidem Claudius anno 795. tradente ipſo Dione, Mithridati, qui genus à Magno illo Mithridate deducebat, Boſphorum largitus eſt, pro eo, parte Ciliciæ Polemoni data. *Lib.* 60. *pag.* 667. Hæc Ciliciæ pars, erat Thracæa aſpera, quam paulò antè tenuerat Archelaus, qui ejus matri Pythoridi ſecundo connubio nupſerat ; & is Mithridates de quo loquitur Dio, filius erat Mithridatis VII. de quo nos ſuprà.

Polemo dum accepit Regem Judææ Agrippam, Claudii Imperatoris familiarem, ad curam regni ſui miſiſſe Tiberiadem an. 797. ad eum venit, ut inviſeret ; ibi reperit plurimos alios Reges, inter quos Cotys ſororis ſuæ Pythodoridis filius aderat, & Herodes frater Regis qui ſecum duxerat Berenicem uxorem. *Joſeph. lib.* 19. *cap. ult.*

Porro poſt Herodis obitum anno Claudii 8. & V.C. 802. Berenice quæ illum maritum habuerat, licet patruum, aliquanto in viduitate acta, cùm ſpargeretur rumor cum fratre eam congredi, ſuaſit Polemoni Regi Ciliciæ, ut circumciſus priùs, ſe duceret, rata ſe coarguturam mendacium. Nec recuſavit Polemon, inductus maxime mulieris divitiis : id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam ( ut fertur ) diſcedente ab eo Berenice, qui mox deſertus ab uxore

& ipſe Judaicæ Religionis deſertor factus eſt. *Id. lib. 20. cap.*

Exutus Boſphori regno Polemon à Claudio, licet pro eo Ciliciam Thracæam aſperam, quam Aſander ultimus matris ſuæ maritus habuerat, acceperit, neſcio quo pacto perſuaſus à Nerone regnum etiam Ponti illi conceſſit, de quo ait Suetonius: Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in Provinciæ formam redegit. *In vita Neron. num.* 18. Addit Aur. Victor: Id cujus gratiâ Polemoniacus Pontus appellatur, *de. Cæſar.* Hujus etiam meminit Eutropius: Duæ tamen Provinciæ, inquit, factæ ſunt, Pontus Polemoniacus, concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ, Cottio Rege defuncto. *Lib. 7. pag.* 75. 78.

Undecimo Neronis anno, *V.* C. 817. *ſcilicet*, Cottio Rege mortuo, Alpes Cottias in Provinciam redactas ſcribit Euſebius *in Chron.* quod ſequenti anno Pontum Polemoniacum in Provinciam pariter redactum eſſe innuunt nummi iſtius Regis Polemonis, quos anno V. C. 810. ut infrà oſtendemus, percuſſit. Sic Pontus antiquus & Polemoniacus, ſub Regibus eſſe deſierunt, & Magiſtratus Romani in has Provincias miſſi ſunt.

Polemo poſt Ponti regnum Neroni conceſſum, ſex annos ſupervixiſſe videtur, cùm eo mortuo 722. Anicetus tum temporis, ut inquit Tacitus, Polemonis libertus, præpotens olim; & poſtquam regnum in formam Provinciæ verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellii nomine adſcitis gentibus, quæ Pontum accolunt, corrupto in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque, haud contemnendæ manus ductor, Trapezun-

tem vetuſtam admodum Aſiæ civitatem, à Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam, ſubitus irruit. *Hiſtor. lib.* 3. *pag.* 74.

## *NUMMI*

## *POLEMONIS II. PONTI ET BOSPHORI REGIS.*




Ex Museo nostro.

Caput Regis Polemonis diademate redimitum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ, id eſt, Regis Polemonis. Ex averſa caput Neronis laureâ ornatum cum litteris ΕΤΟΥC ΙΗ. id eſt anno 18.

Incidit in manus, meas dum Romæ morabar, nummus iſte ex argento elegantiſſimus drachmalis, ab utraque parte caput exhibens, unum diademate cinctum, alterum verò laureâ ornatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ epigraphe ex una, me Regem Polemonem eſſe edocuit, in altera Neronem ex vultu protinus deprehendi, quod me laurea circa caput ut Imperatorem Romanum confirmavit.

Supererant litteræ ETOΥC IH. annum 18. deſignantes; quæ cùm Neronis imperio convenire non poſſent, haud dubiè ad Polemonis regnum ſpectant: hæ autem ab anno V. C. 791. quo in fine ſcilicet Caligula Pontum Polemoni conceſſit, inchoantes in annum 809. incidunt, ſecundum nempè Neronem uſque ad 3. Id. Octobris.

Similes numerales notæ in nummo hujus Polemonis KΓ. id eſt 23. in errorem Card. Patinum induxerunt in Suetonio ſuo pag. 298. ubi Polemonis filii ad Polemonem patrem, & Regis annos ad principatum Auguſti revocat: computando, non à tempore quo Polemo ab Antonio regno Ponti donatus fuerat anno 714. ſed quo ab Auguſto inter ſocios numeratus eſt 728. quod ad annum 730. protrahit, & initium à cæde Cæſaris ducit.




Ex Museo Ant. Capelli Nob. Ven.

Caput Polemonis II. diademate cinctum cum litteris BAC. Π. KΔ. id eſt BACIΛEΩC ΠΟΛΕΜΩΝΟC. Καππα δελτα, id eſt anno 24. Ex averſa parte caput laureatum Imperatoris cum epigraphe Imperator Nero Cæsar Augustus.

PRæſtantiſſimus eſt hic ex argento nummus, tum quòd ſit bidrachmalis, ideò inter rariores adſcribendus, tum quòd bilinguis, idcirco inter elegantiores annumerandus; præſtantiam rurſus adauget in utraque nummi parte exarata epigra-

phe, cùm Polemonis nummi alii pro Neronis inſcriptione, numerales regni ipſius Principis exhibere tantùm ſoleant.

Hic autem nummus nomen Regis, ſed quaſi initialibus litteris, & annos ejus regni ex parte vultus ſimul continet; inſcriptio quidem Græca, more patrio; nam hi Principes, quorum dominatus erat in Aſia minori, hâc linguâ utebantur, imò & Arſacidæ ipſam ſcribebant in ſuis numiſmatibus.

Litteræ numerales ΚΔ. annum principatûs Polemonis 24. deſignant, deducto nempè initio ab anni 791. fine, à quo Caligula Polemoni, ut ſuprà diximus ex Dione, regnum tribuit; itaque reſpondent anno regni Neronis nono 815. quem ad 3. Id. Octob. mortuo Claudio inchoavit anno 807. & Polemo regno Ponti adhuc potiebatur, quod nondum Neroni conceſſerat: ergo & Ponti regnum & Cottiæ Alpes in Provinciam Romanam videntur redactæ tantùm anno 817.

# MITHRIDATES VIII

## BOSPHORI REX.

UTROQUE Ponti regno, ſeu antiquo, ſive Polemoniaco, ex Mithridatis Eupatoris olim ditione, in Provinciam Romanam iterum redacto, ut ſtirpem regiam illius magni Regis deſcribere abſolvamus ad Boſphori principatum, quem ille armis etiam acquiſiverat, & Pharnaces filius poſt ejus mortem tenuit, reverti nobis congruum videtur.

Ecce Mithridates nomine VIII. ex Achæmenidarum progenie ultimus, qui Boſphori regnum à Claudii munificentia accepit, is fuit Mithridatis VII. Ponti Regis filius, qui propter ætatem avito regno quod avus Darius & pater Mithridates tenuerant, alter ab Antonii liberalitate, alter à Tiberio, privatus, Romanam aulam adultus eſt ſequutus, aſſiduiſque obſequiis Claudium coluit, ut ipſi Boſphoranum quod proavus Pharnaces tenuerat, obtinuerit.

De hoc loquentem audias Dionem. Mithridati, qui genus à magno illo Mithridate deducebat, Boſphorum largitus, pro eo, parte Ciliciæ Polemoni data. *Lib.* 60. *pag.* 667. Addit Scriptor Conſularis, in Senatum ingredi eum, & patribus Græce gratias agere permiſit. Hæ Claudii erant actiones laudatæ ab omnibus. *Id. ibid*, quòd regnum dediſſet Principi ex Achæmenidis orto, & principatu avito ob tenellam ætatem tantùm ſpoliato.

Non priùs Mithridates in Boſphorum pervenit, quin

regni adminiſtratione ſuſcepta, avi Mithridatis Eupatoris moribus imbutus, propagandis dilatandiſque principatus ſui finibus ſtuduerit, & ita nulla de cauſa Regibus proximis bellum indixit; illi verò mox Legatos Romam miſerunt, ſe à Mithridate injuſtè laceſſitos querentes. Claudius ut à bello abſtineret Mithridates, mox juſſit; ſed ille mandatis Imperatoris nullo modo obſecutus eſt, imo cum Zorſine Siracorum, qui ad Caucaſi montis radices ſunt, Rege ſocietatem iniit.

Claudius, ut Mithridatem mandatis ſuis refragantem audiit, illo à Senatu rebelle declarato, contra eum copias per mare & per terras undequaque miſit; bellum quidem per multos annos protractum eſt: cùm tandem adveniſſet Didius pro Duce Romanorum, Cotys Mithridatis frater uterinus, qui nuper patre Armeniæ minoris Rege defuncto, ad eum ſe receperat ut fratrem audacem nimis, Romanis exoſum, & vicinis invidioſum vidit, illum prodidit, Didiuſque Mithridate ſic è toto regno expulſo, illud Cotyi fratri conceſſit; quod poſteà Claudius ei confirmavit.

Ille Didius Romanorum Dux videtur fuiſſe A. Didius, quem Imperator Oſſorio in legatione Britanniæ mortuo, præfecit anno V. C. 804. de quo loquitur *Tacit. Annal. lib.* 12.

Ut idem Scriptor Mithridatem & Cotyn fratres appellat, eos fuiſſe uterinos oportet, Mithridatem quidem Boſphoranum illum Tacitus Achæmenidam fuiſſe aſſerit. Cotyis nomen ex Odryſarum Principibus originem hunc arceſſere indicat: ideo Mithridatem & Cotyn eandem habuiſſe matrem neceſſe eſt, quæ

primo connubio Mithridati VII. Ponti Regi, & ſecundo Cotyi Thraciæ priùs, deindè Armeniæ minoris Regi nupſit. Ex Mithridate Pontico Mithridatem Boſphoranum, & ex Cotye Thracio, Cotyn nunc Boſphoranum filios ſuſcepit. At cùm Boſphori regnum ad Thracios Principes, quorum ſeriem hic & nummos proferre cogitamus, tranſlatum ſit Cotyis Thraciæ, deindè Armeniæ minoris hiſtoriam, ad majorem rerum quas tractamus notitiam, ſcribere nobis liceat.

---

## *PROSAPIA REGIA MITHRIDATIS EUPATORIS.*

PHARNACES
Rex Boſphori.
anno V. C. 691.

DARIUS
Rex Ponti.

DYNAMIS nupta Aſandro, Scribonio, Polemoni.

MITHRIDATES
Rex Ponti.

Ejus uxor Anonyma nupſit Cotyi Thraciæ deindè Armeniæ Regi.

MITHRIDATES
Rex Boſphori,
mortuus ſub Galba
anno V. C. 821.

COTYS

# COTYS

## THRACIÆ *deindè* ARMENIÆ MINORIS REX.




*In theſauro Regis Christ.mi.*
*Ex num. ær. 2 form.*

COTYS habuit patrem Cotyn Thraciæ Regem, & matrem Pithodorim Polemonis Ponti & Boſphori Regis filiam, cui nondum adulto poſt patris cædem à patruo Rhæſcypori partis alterius Thraciæ

Principe patratam, Trebellius Rufus vir Prætorius à Romanis, Ptolemæi Regis olim exemplo, miſſus eſt tutor, anno V. C. 772.

Rhæmetalces Rheſcuporidis filius, ut conſiliorum patris haud fuerat particeps, imò iis adverſatus, partem Thraciæ parentis Tiberii juſſu retinuit, & Cotys ad nubendi ætatem perductus, viduæ Mithridatis VII. Ponti Regis nuper defuncti, ex qua tulerat Mithridatem, nupſit, fœminæ ut videtur Principi, & quidem adoleſcenti: ex qua Rheſcyporim & Cotyn, de quibus mox dicemus, ſuſcepit.

Ignoratur quâ de causâ Caligula, ubi ad Imperium advenit, Rhæmetalci totum Thraciæ regnum contulerit, & pro Cotyis parte, ei Armeniæ minoris principatum dederit anno V. C. 791. in fine. Hæc nobis narrat Dio. Interim Sohæmo Arabum Ituræorum regnum, Cotyi Armeniam minorem, ac deindè nonnullas Arabiæ partes: Rhæmetalci Cotyis ditionem: Polemoni Volemonis filio paternum imperium ex Senatus-conſulto videlicet tribuit. *Lib. 49. pag. 646.*

Polemo ille avunculus Cotyis ex Pythodoride erat; ſed quod Caligula hoc anno conceſſit, Claudius poſt quatuor annos videlicet V. C. 795. ei abſtulit.

Zeno frater minor Polemonis II. alter Cotyis avunculus, Armeniæ majoris Rex, poſtulantibus proceribus ſub Tiberio factus fuerat: demùm poſt ejus mortem, Parthi cùm illam occupaſſent, Mithridate Ibero ejus Rege à Caligula Romam accerſito, Claudius Mithridatem ad regnum recuperandum remiſerat; & licet fuſo tandem ab eo Duce Parthorum Demonacte, quidam proceres in Cotym Junonis, ſeu Artaxiæ ſoro-

ris filium, & quidem Armeniæ minoris tunc Regem inclinabant; de quo ait Tacitus, paululum cunctationis attulit Rex minoris Armeniæ Cotys, verſis illuc quibuſdam procerum; deindè litteris Cæſaris coercitus, & cuncta in Mithridatem fluxere. *Annal. lib.* 11. *pag.* 156. Id evenit anno V. C. 800.

Paulò pòſt, ut videtur, Cotys fato functus eſt, relictis duobus filiis Rhæſcyporide & Cotye ex vidua Mithridatis VII. Ponti Rege: Armeniæ autem minoris regnum non obtinuiſſe videtur Rhæſcyporis Cotyis natu major filius, ſed tantùm Arabiæ partes, quas patri Caligula poſtquam illi Armeniæ minoris regnum dediſſet, conceſſit. Quoad confirmat Joſephus, cùm Ariſtobulum à Nerone regno Armeniæ minoris donatum refert has urbes 807. ſcilicet primò Neronis Principis anno, Regi Emeſorum Azizo defuncto, frater in principatu ſucceſſit: minoris verò dominium Ariſtobulus Herodis Regis Chalcidis filius à Nerone accepit. *Lib. Ant.* 20. *cap.* 3. Idem ferè ſcribit *lib.* 2. *de Bello Jud. cap.* 21.

Ad confirmandum quod Rhæſcyporis Cotyis filius paternum Armeniæ minoris regnum patre mortuo non obtinuerit, ſed tantùm nonnullas Arabiæ partes, legendus eſt Tacitus qui ad defendendum contra Parthos regnum Armeniæ majoris, quod recens Neroni anno 813. Tigrani Alexandri ex progenie Herodis Judæorum Regis conceſſerat, hæc refert. Et quo faciliùs novum regnum tueretur, pars Armeniæ *majoris ſcilicet*, ut cuique finitima, pars Rhæſcipoli & Ariſtobulo atque Antiocho parere juſſæ ſunt. *Annal. lib.* 14. *pag.* 228.

Arabiæ pars Rhæſcypori à Caligula conceſſa, non

eſt intelligenda de Arabia Petræa aut Damaſcena; nam ſub Caio Aretas erat Rex Arabiæ Petrææ & regionis Damaſcenæ: Dio itaque intelligit de Meſopotamiæ aut Trans-Euphratenſis regionis parte, quæ cùm ab Arabibus occupata fuiſſet, dicta eſt Arabia, & quidem Morion, de qua Plinius agit lib. 5. cap. 25. Itaque Rhæſcypori quæ ipſi finitima Armeniæ pars erat, tuenda data eſt.

## *NUMMUS*
## *COTYIS ARMENIÆ MINORIS REGIS.*




E Thesauro Regio.

Caput Regis imberbe, longis capillis ornatum, & diademate cinctum, cum epigraphe ΒΑCΙΛΕΩC ΚΟΤΥΟC, id eſt Regis Cotyis. Ex averſa parte litteræ MH. initiales vocis Μηλιτηναιων, in medio coronæ ex quercus foliis compoſitæ.

CUm jam Cotyis primùm Thraciæ deindè Armeniæ minoris Regis res geſtas expoſuerimus, liceat ad majorem eorum Principum in hoc opere deſcriptorum elucidationem, illius Cotyis nummum in hoc loco appendere.

Perrarus eſt, licet æreus, Medii ut aiunt moduli, è Gaza Regia depromptus. Præfert quidem ejus epigraphe nomen ΒΑCΙΛΕΩC ΚΟΤΥΟC, quod quibuſdam dubium movere poteſt, ad quem hujus nominis Regem, an ad illum qui Thraciæ imperabat Rhæmetalcis filium, an verò ad Cotyn Armeniæ minoris ſuperioris natum, an denique hujus natu minimum prioriſque nepotem qui Boſphorum obtinuit, pertineat.

Forma quidem illius nummi in hoc rerum æſtu facem præferre debet: qui autem Thraciorum Principum nummos quos in appendice hujus nummi ſumus allaturi, paululum novere; hunc Cotyi Thraciæ Regi non adjudicabunt. Rudis & omnino barbarus Boſphoranorum numiſmatum modulus, hoc de quo augent, imo confirmant noſtram opinionem litteræ MH. initiales vocis Μηλιτηνων Melitenum, urbem Armeniæ minoris metropolim in corona civica exaratæ deſignantes, ut Ptolemæus & notitiæ Epiſcop. nos docent. Vide ſi velis Salmaſium in Exercit. Plin. pag. *630.* & ad Hiſt. Auguſt. pag. *96.*

Cotys imberbis pingitur, Romanos invitans cùm à Caligula Armeniæ minoris regnum accepiſſet, ſed longos capillos habet Thraciorum Principum more, uti videre eſt ſculptum apud Seguinum ſelect. num. pag 38. edit. 2. & in nummo Rhæſcyporidis ejus patrui, qui penes me eſt. Et barba ornatus conſpicitur Meliteni coronam querceam Cotyi ſuo Regi offerunt, ut qui eos gnaviter à Parthorum incurſionibus urbem defenderat, cùm Mithridates Hiberus Armeniæ majoris Rex à Caligula Romam accerſitus, in vincula conjectus fuiſſet, quod contra eos parum ſtrenuè ſe geſſerat.

# COTYS
## BOSPHORI REX.




*In theſauro Regis Christ.*
*Exnum.œr. 3. formæ.*

COTYS, filius fuit Cotyis Thraciæ primùm Regis, deindè Armeniæ minoris, natu minimus, qui patre mortuo ad Mithridatem Boſphori Regem, uterinum fratrem, uti ſuprà diximus, confugerat, &

propter traditum illum Romanis, ejus regnum ab iis acceperat, cujus initium hîc ab expulſione fratris duximus, cùm in illud nunquam redierit, & ab hoc tempore omnino privatus eo fuerit.

Poſtquam Dux Romanus Didius è regno Boſphorano Mithridatem expuliſſet, & fratrem ejus Cotyn juventa rudem in eo collocaſſet, robur exercitus inde abduxit, quibuſdam tantùm cohortibus cum Julio Aquila equite Romano, novo Regi ibi relictis. Mithridates Boſphoranus amiſſis opibus vagus, ut Didium abiiſſe cognovit, ſpretis Aquila & Cotye, concire nationes, illicere perfugas, poſtremo exercitu coacto, Regem Dandaridarum exturbat, imperioque ejus potitur. *Tacit. Annal. lib.* 12. *pag.* 176.

Quæ ubi cognita, jamjamque Boſphorum invaſurus habebatur, diffiſi propiis viribus Aquila & Cotys, quia Zorſines Siracorum (ad Caucaſum) Rex Mithridati ſe adjunxerat, & hoſtilia reſumpſerat, externas & ipſi gratias quæſivere, miſſis Legatis ad Eunonem, qui Aorſorum (apud Scythas) genti præcellebat. Nec fuit in arduo ſocietas, potentiam Romanam adverſus rebellem Mithridatem oſtentantibus. Igitur pepigere, equeſtribus præliis Eunones certaret, obſidia urbium Romani capeſcerent. *Id. ibid.*

Tum compoſito agmine incedunt; cujus frontem & terga Aorſi, media Romanæ cohortes & Boſpherani tutabantur: ſic pulſus Mithridates, ventumque Soza, oppidum Dandaricæ, quod deſertum à Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi præſidio viſum. Ad Siracos deindè pergunt, & tranſgreſſi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uſpen,

Uſpen, editam loco, & mœnibus ac foſſis munitam, niſi quòd mœnia non ſaxo, ſed cratibus junctis & jumentis, ac media humo adverſum irrumpentes invalida erant, eductæque altiùs turres facibus atque haſtis turbabant obſeſſos. Ac vi prælium nox diremiſſet, cœpta patrataque expugnatio eundem intra diem foret. *Id. ibid.*

Poſtero die miſere Legatos, veniam liberis corporibus orantes, ſervitii decem millia offerebant. Quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſævum, tantam multitudinem cuſtodia cingere arduum, ut belli potius jure caderent. Datumque militibus qui ſcalis evaſerant, ſignum cædis. Excidio Uſpenſium cæteris metus injectus, nihil tutum ratis, cùm arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amneſque & urbes juxta perrumperentur. Igitur Zorſines diu penſitato, Mithradatis ne rebus extremis an patrio regno conſuleret: poſtquam prævaluit gentilis utilitas, datis obſidibus, apud effigiem Cæſaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. *Id. ibid.*

Sed in regreſſu diſpàr fortuna fuit; quia navium quaſdam, quæ mari remeabant, in littora Taurorum delatas circumvenere Barbari, Præfecto cohortis & pleriſque aliis interfectis. *Id. ibid.*

Interea Mithradates, nullo in armis ſubſidio relicto, conſultat, cujus miſericordiam experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hoſtis metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promiſſa ejus magni penderentur, ad Eunonem convertit, propriis

odiis infenſum, & recens conjuncta Romanis amicitia validum. Igitur cultu, vultuque quàm maximè ad præſentem fortunam comparato, regiam ingreditur, genibuſque ejus provolutus. *Mithradates*, inquit, *terra marique à Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Utere ut voles prole magni Achæmenis: quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt.* Id. ibid.

At Eumenes claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus, allevat ſupplicem, laudatque quod gentem Aorſorum, quod ſuam dexteram petendæ veniæ delegerit, ſimul Legatos litteraſque ad Cæſarem in hunc modum mittit. *Populi Romani Imperatoribus, magnarumque nationum Regibus, primam ex ſimilitudine fortunæ amicitiam, ſibi & Claudio ex communione victoriæ eſſe. Bellorum egregios fines, quoties ignoſcendo tranſigatur. Sic Zorſini victo nihil ereptum. Pro Mithradate, quando gravius mereretur, non poterit jam neque regnum precari; ſed ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet.* Id. ibid. pag. 177.

Atque Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen accipere captivum pacto ſalutis, an repetere armis rectius foret. Hinc dolor injuriarum & libido vindictæ adigebat: ſed differebatur contra *ſuſcipi bellum avio itinere, importuoſo mari, ad hoc Reges feroces, vagos populos, ſolum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ ſi pellerentur, quin arriperet oblata & ſervaret exulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus ſupplicii fore.* Id. ibid.

His permotus ſcripſit Eunoni, *meritum quidem noviſſima exempla Mithradatem, nec ſibi vim ad exequendum*

*deeſſe : verum ita majoribus placitum , quanta pervicacia in hoſtem, tanta beneficientia adverſus ſupplices utendum ; nam triumphos de populis regniſque integris adquiri.* Id. ibid.

Cotyis Regis Boſphori Cimmeriani meminerat Phlegon *lib.* 15. *Olympiadum*, ut docet nos Imperator Conſtantinus Porphyro genita *Them.* 2. *cap.* 2. Teſtificatur etiam Phlegon *Olymp. pag.* 15. Boſphorum fuiſſe ſub dominatu Cotyis Boſphorani Regis, cui Cæſar Claudius juſſit diadema geſtare, & urbes ejus ditioni ſubjecit, in quibus connumerat hanc etiam Cherſonem nempè Tauricam.

Traditus poſt hoc Mithradates, vectuſque Romam anno 802. per Junium Cilonem procuratorem Ponti, ferociùs quàm pro fortuna diſſeruiſſe apud Claudium ferebatur, elataque vox ejus in vulgum his verbis : *Non ſum remiſſus ad te, ſed reverſus : vel ſi non credis, dimitte & quære.* Vultu quoque interrito permanſit, cùm roſtra juxta cuſtodibus circumdatus, viſui populo præberetur. *Tacit. Annal. lib.* 12. *pag.* 177.

Poſt Claudium Mithridates Neronis benevolentiam ſibi conciliaſſe videtur, ut qui Galbam deridere dicitur apud Plutarchum, illudens calvitiei & rugis illius, num aliquam habet, inquiebat, de eo Populus Romanus expectationem : verùm ſimul atque in conſpectum ejus venerit, videbitur horum dierum eſſe, quibus dicitur Cæſar opprobrium. *Plutarch. in Galba pag.* 1058.

Hujus dicterii meminit Galba, cùm Nymphidius Præfectus cohortium urbanarum, qui ſub ejus adventum ſibi pararet imperium, in ipſo conatu periiſſet confoſſus à militibus Prætorianis, auctore Antonio

Honorato Tribuno, Galbæ fido; quod ut Galbæ nunciatum eſt, conſortes quoque conjurationis ejus, qui non præverterant, ſibimet ipſis mortem conſciſcere, interfici imperavit, inter quos fuit Ponticus Mithridates. *Plutarch. in Galba pag.* 1059.

De Cotyis verò rebus geſtis altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium; ut verò ad illum pertineret, ſequens nummus, requireretur ut ferè 60. annos regnaſſet; potius ergo ad ejus filium ejuſdem nominis referendum eſſe exiſtimarem.

# *NUMMUS*
## *COTYIS BOSPHORI REGIS.*




Ex Thesauro Regio.

Caput Regis barbati cum capillis oblongis diademate ornatum, ante faciem ſceptrum; illius inſcriptio eſt ΒΑCΙΛΕΩC ΚΟΤΥΙΟC; id eſt, Regis Cotyis. Ex averſa parte caput laureatum cum litteris numeralibus ΘΚΦ. hoc eſt anno *529*.

OLim hic argenteus nummus cum toto Cimelio P. Seguini in Theſaurum Regium tranſlatus eſt, quem V. C. lib. ſelect. numeratim deſcripſerat. Non miror cur celebris Antiquarius illum Cotyi Rhæmetalcis filio Thraciæ Regi tribuerit, Æræ Principum & pleriſque nummis conſignatæ, vix ſuo tempore cognitæ, à Numiſmatographis evolvebantur; ſed illa, ut mox dicturi ſumus, ad Cotym Boſphori Regem ejus nepotem aut pronepotem ſpectat.

Cotys, Mithridatis Pontici, ut loquitur Plutarchus, uterini fratris regnum Boſphori occupaverat: at cùm Principes ut & urbes de antiquitate ſæpe certarent; ideo attenti erant

in Æra ſua in nummis apponenda, ſic populis Cotys majores ſuos Thraciæ Reges ante Mithridates Ponti Principes regiam dignitatem obtinuiſſe videtur demonſtrare ipſa nummis ſuis appoſita.

Vetuſta eſt Thraciæ Regum ſeries, ſiquidem Thucydides Hiſt. lib. 2. pag. 119. tradit, primum ex illis Therem, imperium fundaſſe poſt bellum Perſicum & ante Peloponneſiacum: at cùm ille Sitalcem & Sparadocum filios reliquiſſet, & Sitalces Seuthi Sparadoci filio regnum teſtamento donaſſet, & indè Seuthis hujus ſucceſſores æram inde dinumerarunt anno primo Olympiadis 89. quæ reſpondet an. V. C. 330. & 331. Poſtquam Sitalces periiſſet à Triballis victus, ut demonſtraret Thracios Reges eſſe Ponticis Principibus, qui Epocham ſuam computârunt tantùm anno 2. Olymp. 118. reſpondenti V. C. 497. & 498. ut in illorum nummis oſtendimus.

Ex computo igitur Thraciorum Regum Æræ ab anno V. C. 331. in hoc Cotys Boſphori Principis nummo exaratæ, hæ litteræ numerales 529. deſignantes, efficient ſimul junctæ annum V. C. 860. quo Trajanus Tribuniciam poteſtatem agebat 9. & 10. & Cotys Imperatorem Romanum cui pendebat tributum, in moneta ut plurimi Reges ad obſequium Romanis ſuum denotandum ſignare voluit.

Excuſandus eſt omnino noſter Seguinus, ſi nummo Cotyi Rhæmetalcis filio adjudicato, ſi in averſa parte Auguſtum exhiberi exiſtimavit, in cujus gratiam litteras numerales Θ. K. Φ. explicuit Θέος Καῖσαρ Φίλος, ſed eum egregiè monuit in ſecunda editione erud. Henr. Valeſius litteras eſſe numerales æram notantes; quando autem illa cœperit, inquirere parum fuit ſollicitus.

# ININTHIMÆVUS
## BOSPHORI REX.

ININTHIMÆVVS
REX BOSPHORI CIMMERII



*In theſauro Ludovici Magni ex num. æreo 3. moduli.*

De Ininthimævo nulla apud Hiſtoriæ Scriptores, ſola in nummis mentio: ejus nomen in ſelectis Seguini habetur; illum ΒΑCΙΛΕΩC ΙΝΙΝΘΗΜΗ-ΥΟΥ inſcriptio, Regem arguit: ſed exiſtimat erudi-

tus Scriptor litteras numerales A. Λ. Φ. in eo exaratas ſuperioribus Thraciæ Regibus, de quibus illi ſermo fuit, coævum fuiſſe deſignare, quod partim verum eſt, ſed non in Thracia, & cum iiſdem Principibus, imò in Boſphoro, cum Cotyis ſucceſſoribus ex Thracio regno in Cimmerium imperium tranſlatis.

Nummi quidem epigraphe, Ininthimævum fuiſſe Regem demonſtrat; ſed diadema circa caput revinctum, & ſceptrum ante omnis faciem, omnia regiæ dignitatis inſignia, penitùs demonſtrant; porro ipſius dignitas in tenebris omnino lateret, niſi illud manifeſtarent litteræ numerales, antiquam Thraciorum Principum epocham denotantes, quam Boſphorani Reges ut originem ab iis deducunt, ſuis nummis conſignavere, ad Regis titulum in eorum familiis eam à ſeculis fuiſſe uſurpatam, populos ſuos edocerent.

Cotys quem ſuprà Boſphori Regem ex Taciti Annalibus produximus, litteras numerales in ejus nummo ſignatas Θ. K. Φ. annum æræ Thraciorum Principum 529. exhibet, hæ verò reſpondent V. C. 860. quo, ut dictum eſt, Trajanus in averſa Regis parte ſignatus, 9. & 10. poteſtatem egit, Ininthimævus habet in ſuis nummis A. Λ. Φ. annum ejuſdem epochæ, ut rudis eorum & inconcinna forma illorum probat, ipſi Cotyi ſucceſſorem in regno demonſtrant; hinc verò, quo nomine & gradus ſucceſſione inquirendum, ut Antiquariorum diſquiſitioni permittit Seguinus noſter. *Edit.* 2. *pag.* 47.

Ininthimævus in nummo barbâ prolixâ decoratus rugiſque in facie venerandus prodit, & Cotye ſenior videtur. Cotys Mithridatis Pontici frater uterinus ipſius

regnum

regnum obtinuit ſub Claudio anno V. C. 802. & ſi ejus nummus ſuprà cuſus exiſtimatur, percuſſus eſt ſub Trajano V. C. 860. ideo 58. annos ſaltem regnaſſe oportuit; quomodo autem nondum adultos filios reliquiſſet, illius ergo filium fuiſſe Cotyn iſtum, cujus nummum protulimus, & Ininthimævum patris ejus patruum ad tutelam alterius etiam Cotyis, de quo loquitur Arrianus in Periplo Ponti Euxini pag. 19. Edit. Oxoniæ 1698. vocatum eſſe mihi facilè perſuaderem.

Barbâ quidem prolixâ ornatus depingitur Ininthimævus, quam ſemper nutrivit Thraciorum Principum more, qualis exhibetur Seuthes apud Seguinum pag. 38. Ipſe videtur fuiſſe filius natu minor Cotyis illius qui primùm Thraciæ regnum adeptus, deindè Armeniam minorem à Caligula obtinuit. Fratres illi fuêre; natu major Rheſcyporis, cui, patre mortuo, Claudius tantùm Arabiæ partem, quam ipſius pater habebat, conceſſit; & poſtea Armeniæ majoris parte, quæ illi contigua erat, à Nerone donatus eſt: alter ejus frater fuit Cotys juventa rudis, qui Boſphori regnum à Claudio impetravit, cujus filius Cotys etiam nomine, cùm filios reliquiſſet nondum adultos, à Boſphoranis permittente Romano Imperatore, Curator eorum & Rex appellatus eſt.

Eam ſane ſententiam firmat Epocha Thraciorum Principum in nummo ſignata, quam alienus ab eorum proſapia nunquam computaret; imò ſubſequens & eadem in pupillo poſteà Rege penitùs evincit Ininthimævum è Seuthis ſanguine ortum, à quo Æra initium deſumpſit.

# NUMMUS
# ININTHIMÆVI BOSPHORI REGIS.




E Thesauro Regio.

Caput ſenile Regis barbati & diademate redimitum, ante quod ſceptrum, cum epigraphe ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΙΝΙΝΘΙΜΗΥΟΥ, hoc eſt Regis Ininthimævi. Ex averſa parte caput laureatum imberbe, ſub quo litteræ numerales ΑΛΦ. id eſt 531.

VUlgavit hunc nummum Cl. Seguinus in Select. pag. 47. Edit. 2. de quo pauca loquitur, nec argenteum, nec bidrachmalem eſſe profert; Ininthimævum ex inſcriptione appellat, ſed Regulum quem Thraciæ ex ejuſmodi Principum barbara & inconcinna nummorum forma, ſuſpicatur. Caput laureatum in averſa parte percuſſum, ſimile alterum in Cotye, Auguſto tribuit; alterum verò in Rheſcupori ſubſequente, incognitum fatetur, de hoc ne loquitur quidem.

Seguinus ut Æræ Thracum Regum inveſtigationem fugeret, undè, inquit, hæc cœperit, aliàs inquiremus: ad marginem notat, De Æra Spanhennius pag. 863. ubi ne verbum de illa

nec de Thracibus facit, ſed non ita Æræ cujuſdam caput detegere facile eſt; hanc verò ad Seuthem, ubi primum Thracum regnum ex Sitalcis patruelis teſtamento accepit, à quo tempore ejus ſucceſſores ex eadem ſtirpe procreati dinumerarunt ab anno primo Olympiadis 89. quæ reſpondet, uti ſuprà diximus, anno V. C. 330. & 331. qui ſi adjunxiſſet litteras ΑΛΦ. 531. annis V. C. incidiſſet in Trib. poteſtatem XI. & XII. Imp. Trajani.

Cùm notæ in nummo Ininthimævi recentiores tantùm ſint annis duobus, quàm in Cotye, & ille ſenior ipſo videatur, tutoris loco regnum adminiſtraſſe neceſſe eſt, præſertim cùm Rheſcuporis illum ex ipſa Thracum Regum Æra ſequatur, & juvenis admodum depingatur: ſed an diù Ininthimævus regnârit, nondum ex nummis, hiſtoria de illo affatim ſilente, licet illi plurimi occurrant, obſervavimus.

Quia verò ſunt illi nummi Boſphorani, rudes & inconcinni, fatemur, verſatum maxime in re antiquaria eſſe oportet, ad Imperatores quos exhibent ſine eorum nomine dignoſcendos; ſed ii qui de illis ſcribunt, & eorum imagines Lectoris oculis ſubjiciunt, aliis minus peritis excellere debent, quos ignorare nequeunt, præſertim cùm in illis Æra ſit conſignata, illorum dux & regula.

# RHESCYPORIS I.

## REX BOSPHORI.

RHESCYPORIS REX
BOSPHORI CIMMERII



Ap. P. Vaillant D. M.
Ex num. ær. 3 mod.

BOSPHORANORUM Regum Hiſtoria, cùm in obſcuro plurimum lateat, ægrè ſi deſcribenda videtur, ſaltem eorum ſeriem è locis Scriptorum peregrinis & è nummis illorum Principum ſuperſtitibus

texere nobis liceat: illam igitur ex utriuſque ſubſidio aggredimur. Nullus quidem Codex de Rheſcuporide Boſphori Rege loquitur, omnes eum Thraciæ adjudicant Hiſtorici: en porro nummus, qui hunc Principem ad Boſphori regnum proculdubio revocat.

Cotyn Thraciæ Regem, ex parte quam poſſidebat in illo Principatu, in Armeniam minorem à Caligula Imperatore tranſlatum narrat Dio Caſſius. Cotyn alterum illius filium ad Boſphori regnum à Claudio transmiſſum tradit Tacitus. Nummi verò Rheſcyporidis Thraciorum Regum Æra inſigniti, illum ipſius Cotyis filium vel potius nepotem fuiſſe evincunt.

Æra in hoc ultimi Cotyis nummo ſignata, annum dinumerat 529. Altera eorumdem Thraciæ Principum in Rheſcuporide noſtro computat 541. Intermedio nempe Ininthimævo tutore cum 531. Undè certa illorum Regum ſeries eruitur, eam ita ex indubitatis veteribus monumentis probatam non negat, ſed ſtirpis ordinem arguit & Rheſcyporim Ininthimævi, pro filio haberi poſſe exiſtimat, cùm Cotys ipſe progeniem fortè non reliquerit, aut Ininthimævus in familiam ſuam regnum tranſmiſerit, cui reſpondemus ætatem in Rheſcuporidis nummo juvenilem, Cotyis potius filium qui in ætate florenti exhibetur, quàm Ininthimævi qui ſenex prodit, denotare.

Quando autem Rheſcyporis regnare cœperit, difficilius eſt pronuntiare; nam Ininthimævi nummus notat annum hujus Æræ 531. & Rheſcyporidis noſter dinumerat 541. longum eſt quidem temporis ſpatium, cùm inter utrumque effluxerint anni decem: porrò non ideò Ininthimævum tot regnaſſe exiſtimandum,

& id nummus non probat; ſed ut Seguini nummus Rheſcuporidis denotat Æræ Regum Seuthidarum annum 542. & noſter annum tantùm 541. novi reperiri aliquando poſſunt; qui Rheſcyporidis regni principium altiùs repetant, & ſic de illius regni tempore tanquam incerto loqui ſuperſedendum.

Quod de illo certius afferri poteſt, id ſaltem demonſtrat noſter illius Principis nummus; nam indicat ex computo Æræ quam exhibet, illum ſub Hadriani initium Boſphori regnum occupaſſe, & hoc confirmatur ex ipſius imagine in ejus Regis averſa parte expreſſa.

Alter verò Rheſcyporidis noſter nummus cum annis in illo ſignatis 547. illum ad annum V. C. 878. imperio Hadriani nono correſpondentem, perveniſſe arguit; & ſi vera ſunt ea quæ in Arriani Periplo Ponti-Euxini leguntur, eum non diu regnaſſe nos edocent: nam illius, ut exiſtimamus, fratrem Cotyn ei ſucceſſiſſe, imò & utrumque ultra Hadriani imperium Boſphori regnum haud tenuiſſe, ut mox videbimus, demonſtrant.

## NUMMUS
## RHESCYPORIDIS BOSPHORI REGIS.




Ex Museo nostro.

Caput Regis juvenile cum capillis oblongis diademate revinctum, cujus epigraphe ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗC-ΚΟΥΠΟΡΙΔ. Id eſt Regis Rhescyporidis. In averſa parte caput laureatum Imperatoris, cum litteris nulibus ΑΜΦ. hoc eſt anno 541.

Dubitavit Seguinus an ſimilem ſculpendum traderet nummum, ob rudem & inconcinnam illius formam ab artifice imperito elaboratam; plurimos quidem ejus Boſphori Regis poſſidemus, quorum alii melius, alii deterius ſculpti ſunt, utpote in regione ferè barbara. Verùm id ab illo tandem obtinuit inſcriptio, quâ iſtius Reguli nomen quo ſcribendum modo erat, edoceremur. Siquidem apud Romanæ Hiſtoriæ Scriptores plurimis modis variatum ſit, quod non mirum ſi in noſtris diversè etiam ſcribantur: ita ut alii habeant ΡΗC-ΚΟΥΠΟΡΙΔ, alii verò RΗCΚΟΠΟΡΙΔ.

Non ingratum forſan videbitur, ſi varias illas quæ ab Au-

toribus lectiones exponuntur, hîc exhibeamus. Appianus ΡΑϹΚΥΠΟΛΙΝ & ΡΑϹΚΟΥΠΟΛΙΝ. Dio ΡΑϹΚΥΠΟΡΙΝ. Jul. Cæſar RASCIPOLIM, Velleius & Lucius RHASCYPOLIM. Suetonius THRASCYPOLIM. Tacitus THESCYPORIM. Ut Thracii nummi Boſphoranis antiquiores, & melior Boſphoranorum pars præfertur: unde nummorum iſtorum fide, retinendum PHESCYPORIDIS nomen videtur

Licet noſtri omnes Rheſcyporidis Regis nummi diverſam dinumerent Æram, unum ex illis tantùm ſculpendum exiſtimavimus cum antiquiore ſignatum, ſcilicet ΑΜΦ. id eſt an. 541. monendo Lectorem nummum ex iis recentiorem notare annum 547. ita ut omnes illius regni ſex annos ſolùm exhibeant; an altiùs regnare cœperit, an paulo poſt ultimum ejus Æræ annum mortuus ſit, difficile eſt pronuntiare.

Singuli noſtri Boſphorani iſtius Regis nummi, in averſa parte caput Imperatoris laureatum habent cum ſceptro ante faciem; & licet Hadriani nomen in illis non ſit ſcriptum, porro ejus imago barbata illum eſſe demonſtrat. Cotys & Ininthimævus, exhibent Imperatorem Romanum imberbem, nempè Trajanum: Rheſcyporis qui eos Principes ordine ſequitur, barba decorum præfert Auguſtum, ſcilicet Hadrianum Trajani ſucceſſorem, qui barbam, ut cicatrices quaſdam tegeret, primus ex Cæſaribus tulit; ſed non modo imago ejus barbata Hadrianum denotat, ſed Æra Seuthidarum in omnibus nummis Rheſcyporidis ſignata, in ejus Imperatoris regnum incidit.

Inquirit Amicus cur ſceptrum quod ante faciem Cotyis & Ininthimævi exaratum eſt, in hoc meo Rheſcyporidis nummo ante Hadriani effigiem, ut in cæteris quos poſſidemus, ſculptum eſt: quod feciſſet Rheſcuporis majoris adulationis gratiâ erga Hadrianum, quaſi teſtaretur Boſphori regnum potius eſſe Imperatoris quàm ſuum; nam Romani Imperatores pro arbitrio regna largiebantur, ut in Trajani nummo videmus REGNA ADSIGNATA, & tres Reges ſtantes ante ſuggeſtum Imperatoris, qui ab illo diademata Regum inſignia recipiunt.

RHOEMETALCES

# RHOEMETALCES.

## BOSPHORI REX.

RHOEMETALCES, nomen fuit olim Regis Thraciæ, Cotyis ſenioris filii, qui à Romanis contra Beſſos adjutus eſt, & viciſſim illos contra Dalmatas & Pannonios in eorum Provincias irrumpentes deffendit: ideò percharus Auguſto extitit; nihil mirum ſi ejus nomen apud poſteros, etiamſi ad Boſphorum tranſlatos regnum, poſt duo ferè ſæcula exurgat.

Prioris Rhœmetalcis Thraciæ Principis nobis ſuperſunt plurimi raritate inſignes nummi, cum Auguſti imagine in averſa parte; ſed poſterioris hujus Boſphori Monarchæ hactenus nulli conſpecti ſunt: licet verò Æræ Seuthidarum ope deſtituti, accedit apprimè Capitolinus, qui nobis illum ſub Antonino Pio Boſphori regno potitum fuiſſe, his verbis nos edocet: *Rimetalcen in regnum Boſphoranum, audito inter ipſum & curatorem negotio, remiſit.*

Rhimetalcis nomen apud Capitolinum tanquam mendoſum exulavimus, Rhœmetalcis appellatione genuina, illi ex nummis ΒΑCΙΛΕΩC ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ, Thraciæ Regis ſubſtituta.




Nummum æreum ſecundæ magnitudinis percuſſum exhibemus. In eo ab una parte caput Auguſti cum inſcriptione ΚΑΙΣΑΦΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In altera duo capita viſuntur, Regis ipſius & uxoris, ſeu potius Auguſti & Liviæ, additis verbis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ.

Cùm Rhœmetalces igitur in vita Antonini Pii Boſphoranus Rex renuntietur, & Rheſcyporis II. ex noſtro nummo Seuthidarum Æra inſignito, ſub ipſo Imperatore Boſphori etiam regnum adminiſtraſſe noverimus; Rhœmetalcem Rheſcyporidis filium fuiſſe cum quadam rationis fiducia nobis perſuadere poſſumus: præſertim ut nummorum ope Rheſcyporim non diu regnaſſe, compertum eſt, ſiquidem Capitolinus ipſe Rhœmetalcem in puerili ætate poſt mortem patris relictum, Dumillum habuiſſe curatorem nobis aſſerit.

Si res Boſphori Principum domeſticas ſcrutari nobis liceat, ex Capitolini ſuperiore fragmento litem inter curatorem Regis, & ipſum Rhœmetalcem fuiſſe ortam cognoſcemus, quæ nulla alia niſi de regno eſſe potuit. Curator videtur filius Anonymus Rheſcyporidis, fratris

Cotyis, qui ob ætatem puerilem prætermiſſus eſt, & regnum ipſi Rheſcyporidi datum: atqui cùm hic Rhœmetalcem poſtea reliquiſſet impuberem, tutela Cotyis filio patris Rheſcyporidis patrueli commiſſa, qui regnum ad ſe, ut filium primogeniti propter ætatem prætermiſſum; nec regni adminiſtrationem relinquere volebat.

Qua de re quiſque Legatos Romam miſerunt; at cùm inter regna Imperii Romani adſignata, hoc tempore accenſitum fuit regnum Boſphoranum, ut certè erat ætate etiam Strabonis, cujus hæc verba ſunt: Καὶ νυν ὑπό τοῖς τῶν Βοσπορανῶν Βασιλεῦσιν, ὃς Ῥωμαῖοι κατεστήδωσιν, ἅπαντά ἐστιν. *Nunc ſub Rege Boſphori, quem Romani conſtituerunt, omnia ſunt. Lib.7. pag.* 312. Ideo Antoninus Pius utrumque Principem Romam accerſivit; & audito eorum negotio, Rhœmetalcem ultimi Regis filium, cui Populi curatorem creaverant tantum ad tempus, in Boſphorum remiſit, curatori verò adempta omni poteſtate.

Quot annos regnarit Rhœmetalces, & quo tempore mortuus ſit, ignoratur; filium ei ſucceſſiſſe, ſed illius nomen deperditum, nummi ejus prepotem Rheſcyporim III. Boſphori regnum tenuiſſe nos edocent.

# ANONYMUS
## BOSPHORI REX.

NOMEN illius Principis qui in Boſphori regno Rhœmetalci ſucceſſit, in libris nec in nummis hactenus occurrit, licet à quibuſdam eruditis viris Rex Eupator cognomine obtrudatur ; ſed Sauromatarum & non Boſphori Rex ille fuit, ut ex ſequentibus apertè videbimus.

Alii ſententiam firmare conantur verbis Luciani in vita Alexandri, narrantis ſe Legatos Boſphori reperiſſe petentes Bythiam ex parte Regis Eupatoris, tributum, quod ſolvebat quotannis Imperatori *M. Aurelio* ferentes : at cùm ſub Antonino Pio regnaſſet in Boſphoro Rœmetalces, illis viſum eſt Eupatorem ſub M. Aurelio illi ſucceſſiſſe.

Alii freti litteris Plinii junioris ad Ttajanum, in quibus legitur : *Si qua legatio à Boſphoro veniſſet ;* & poſtea de Legato Sauromatæ Regis fiat mentio, mox Sauromatam Boſphori Regem eſſe voluerunt, & ut eorum Principum ſeriem firmarent, numiſmata unius Regis Sauromatæ cum Trajani effigie alterius Regis Eupatoris cum M. Aurelio & Vero, tertii tandem cum Sept. Severi imagine, ſingula, eadem Æra ſubſequente inſignita protulerunt.

Nummus quidem Regis Eupatoris cum M. Aurelio & L. Vero conjunctus, videtur prima fronte iis favere qui ex Luciani verbis illum in Boſphoro regnaſſe ſub M. Aurelio autumant ; ſed cùm in Sauro-

tarum Principum ſerie exponatur non Rhœmetalci de quo loquitur Capitolinus, ſucceſſiſſe ullo modo potuit.

Boſphorus autem apud Romanos largo nomine ſumebatur pro illis regionibus, quæ ultra Pontum-Euxinum extenſæ, plurimas Provincias & Regna complectebantur; quemadmodum hodie Italia diverſos Ducatus & Principatus continet, & ita intelligendi ſunt Lucianus & Plinius; Lucianus quidem ait, Legati Boſphori, velut ſi diceret, Legati Italiæ, qui ex parte Regis Eupatoris, Sarmatiæ Aſiaticæ ſcilicet Principis; & ſic Plinius audiendus, ſi qua legatio à Boſphoro, id eſt ab Italia, veniſſet; & cùm poſtea loquitur de Legato Sauromatæ Regis, Sarmatiæ ſubintelligendus.

Quoad regna, Boſphorus propriè dictus & Sarmatia Aſiatica, duo erant diverſa; ita ut Rex Sauromata non erat Boſphoranus, & illa apertè dividit Eutropius ſub Trajano de ipſo loquendo: *Iberorum Regem, & Sauromatarum & Boſphoranorum en fidem accepit.*

Sola Boſphori & Sarmatiæ Regum diverſa Epocha rem dijudicat. Spanhemius nummum ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΕΥΠΑΤΟΡΟϹ cum Aurelii & Veri imaginibus quas Antonino Pio barbato ſcilicet, & M. Aurelio imberbi tribuere debuiſſet, in notis ad Julianum pag. 421. vulgavit cum litteris innumerabilibus ΘΝΥ. id eſt 459. cujus Æræ caput ut non adferret, ait: *Outre que ce n'eſt pas ici le lieu d'en parler, j'en laiſſe même de bon cœur le ſoin à M. Vaillant, qui travaille à nous donner un recueil de ces Rois barbares, & à les illuſtrer par leurs Epoques.*

Noſtrum eſt igitur hoc loco utriuſque regni & Boſphori & Sarmatiæ Æras exponere: jam abundè de priori diximus illam habere initium ab anno primo

Olympiadis 89. quo Seuthes Sparadoci filius Sitalci patrueli in regno ſucceſſit, quæ reſpondet anno V. C. 330. & 331. undè numeranda eſſet in medio imperii M. Aurelii à morte Antonini Pii in Regibus Boſphori 591. At in Eupatore computantur tantùm anni 459. Æra ergo Sarmatarum Principum centum & amplius annis recentior eſt Boſphoranâ; illa enim tantùm cœpit ab anno quarto Olympiadis 119. V. C. 453. quo Sauromates regnum Sarmatiæ recepit poſt mortem Antigoni ad ipſum Phrygiæ in prælio occiſi, ut plurimi alii Reges ſub Alexandro M. regnis ſpoliati.

# COTYS II.

## REX BOSPHORI.

SI Ininthimævi Boſphori Regis Rheſcyporim nummorum ope in qua Seuthidarum Thraciæ Principum Æra ſignata eſt, ſucceſſorem fuiſſe didiſcimus, nunc Arriani Periplus Ponti-Euxini Rheſcyporidi Cotyn II. pariter in Boſphori regno ſucceſſiſſe nos edocet, undè quanta lux Hiſtoriæ ſilenti numiſmata ſint, & loci peregrini quantam utilitatem illi afferant, norunt Antiquarii.

Arrianus Legatus pro Prætore Hadriani ab eo in Cappadocia conſtitutus anno ſui imperii 19. in Provinciam vix advenit, cùm pro recepto officii munere primas à ſe adminiſtratæ Provinciæ rationes ſub exitum anni reddit, ne quid Imperatorem celaret, quod Reipublicæ, ſi neſciretur, perniciem afferre poſſet. Hæc ſcribit: Poſtquam Cotyis, Regis Boſphori Cimmerii, obitum cognovi, operam dedi, ut hanc tibi ad Boſphorum navigationis itineriſque rationem notam facerem, ut ſi quid fortè de Boſphoro capere velis conſilii, facilius id atque commodius, hac tibi navigatione cognita, facere poſſis. *Peripl. Pont. Euxin. pag.* 18.

Si Rhreſcyporidis nummos cum Æra Seuthidarum 47. retulerimus, qui in 8. imperii Hadriani annum incidunt, & Arrianus notat Cotym ejus ſucceſſorem anno imperii ejus Cæſaris 19. ſaltem Cotys ad plurimum regnavit decem annos; & ſi conjicere liceat,

Rheſcuporidis frater potiùs quàm filius fuiſſe videtur, præſertim quod alterum Rheſcyporim nummi Cotyi ſecundo ſucceſſorem fuiſſe penitùs declarent.

Nulli hactenus Cotyis iſtius nummi in noſtras manus venerunt.

# RHESCYPORIS II.

## BOSPHORI REX.

RHESCYPORIS · II

REX BOSPHORI CIMMERII.



*In Cim. Ill. Harlæj cogn. gnal.*
*Ex num. ær. 3 magn.*

AD ſeriem Boſphoranorum Regum provehendam, dum nobis deſunt omnino Hiſtoriæ Scriptores, feliciter in noſtras manus incidit nondum conſpectus ex iis Principibus nummus, cum litteris circa

caput, ſuperiorum more, ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΡΗϹΚΟΥ-ΠΟΡΙΔΟϹ, ſed non ſatis eſſet communis his Boſphori Regis Rhescyporidis inſcriptio, niſi notæ numerales Seuthidarum annos ΓΞΦ. id eſt 563. continuarent, & ex dubii nominis appellatione, novum ſeu alterum Rheſcyporim nobis exponerent.

Litteræ illæ numerales ΓΞΦ. 563. cum anno V. C. 330. & 331. à quo Olympiadis 89. primo incipit Epocha Thraciorum Principum ex progenie Seuthis ortorum, efficient ſimul junctæ, nempè prior numerus annum 893. decurrentem uſque ad 11. Julii menſis 894. quo computabatur imperii Antonini Pii annus 3. & 4. Igitur novus eſt Rheſcyporis ille, quem vulgamus, & diſſimilis ab altero, cujus regnum Hadriani initio adſcripſimus nummis ipſius Imperatoris in fidem prolatis & inter priorem illum Rheſcyporin, & hunc recentiorem Arrianus, Cotyn ſcribit 19. Hadriani mortuum Boſphori Regem profert.

Quis autem ille ſit Rheſcyporis nomine ſecundus, an Cotyis ultimi Regis filius, an ex Rheſcuporide Cotyis fratre genitus, ambigitur: porrò ſi conjecturæ nobis locus ſit, filius Cotyis, potiùs quàm Rheſcyporidis filius fuiſſe videtur. Si Rheſcuporis & Cotys pro fratribus habentur, & non diù regnarint, uno vel altero tantùm anno Rheſcuporide natu minor potuit eſſe Cotys; & cùm per decem poſtea imperarit, filium reliquit ætate ad regnum adminiſtrandum idonea, & ſic prætermiſſi ſunt Rheſcuporidis filii, & Cotyis ſtirps in principatu remanſit, ut Capitolinus in ſequentis Regis hiſtoria innuere videtur, de quo mox acturi ſumus.

Quid egerit Rheſcyporis II. in regni adminiſtratione, cùm nullus hiſtoriæ Scriptor de rebus ejus geſtis meminerit, nihil certi de illo habetur; tridens tamen ante ejus faciem in area deſignatus, aliquam inſignem victoriam in mari Euxino contra illius oræ Reges retuliſſe denotat, unde hujus pelagi imperium eo lemmate penes ſe eſſe denotare voluit.

Etſi in hoc nummo Rheſcuporis in ætate juvenili depictus videatur, ex Capitolino tamen Antonini Pii imperii finem non vidit; Rheſcuporis regni habenas ſuſcepit anno V. C 889. & Antoninus Pius A. D. Non. Martii 914. mortuus eſt, & ex hoc computo Rheſcuporis quindecim aut ſedecim annos regnaſſe videtur, relicto filio Rhæmetalce.

## NUMMUS RHESCYPORIDIS II.




Ex Museo nostro.

Caput juvenile Regis imberbis & cum capillis oblongis, diademate ornatum, ante quod tridens, & circa ambitum ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙΔΟC; id eſt Regis Rhescyporidis. In averſa parte caput Imperatoris laureatum, ante quod littera K. & infra litteræ numerales ΓΞΦ. hoc eſt anno 563.

Licet ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙΔΟC in hoc nummo æreo parvuli moduli epigraphe, cum capite Imperatoris laureato in averſa parte percuſſo, Boſphoranum Regem more ſolito demonſtret, forma tamen illius à prædeceſſoribus Principibus multò tenuior quoſdam Antiquarios ut ad Rheſcyporin hujus nominis Thraciæ Regem ſub Tiberio regnantem revocare poſſent, impelleret; ſed rem omnino dirimit Æra in Boſphoranis ſolita, quæ nulla in Thraciis Monarchis occurrit: materia verò metalli minùs denſa quæ illius pondus

multùm minuit, an ad monetæ elegantiam reſtituendam, an ad belli ſumptus parcendos, Lectoris eſto judicio.

De Tridente ante Rheſcyporidis faciem percuſſo, quod ille maris imperium penès ſe eſſe gloriaretur diximus; nam Boſphori regnum, oræ Meotidis paludis parti & alteri Ponti Euxini erat expoſitum: ut erant in his regionibus ex vicinis Regibus aut gentibus potentiores, navium & triremium claſſem inſtituere inſignem poterant.

Ex antica ad averſam nummi partem tranſeamus; Caput laureâ ornatum, Imperatoris quidem Romani effigiem, utpote in Rege Imperii Romani tributario percuſſam denotaret, ſed quis eſſet ille, vix inconcinnam figuram quæ ultra caput humanum nihil aliud demonſtrat, vel peritus agnoſceret, niſi Seuthidarum Æra in eo impreſſa anno V. C. 504. reſpondens, Antoninum Pium omnino indicaret; nam ſi anno urbis 330. vel 331. adjungas ΓΞΦ. id eſt 563. incides in Trib. pot. hujus Imperatoris, quâ per Legatos ille victoriam in Britannia retulit, qua de re Auguſto gratulans Rheſcyporis nummum hunc percuſſit.

Littera K ante Antonini Pii faciem expreſſa, meo judicio initialis eſt, & Καῖσαρ videtur explananda: nam cùm Boſphorani Reges Romanum Imperatorem cui pendebant tributum, non nomine ſed imagine tantùm deſignarent, Rheſcuporis Antoninum Pium per litteram unicam Cæſaris nomen omnes titulos complectens deſignare voluit, ut in ſacris codicibus dicitur: *Redde quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Ipſe Julianus Imperator, ſuos omnes prædeceſſores uno nomine appellat Cæſares.

# RHESCYPORIS III.

## BOSPHORI REX.

CUm poſt Rhœmetalcem Boſphori Regem à Capitolino nobis indicatum ſub Antonino Pio, Hiſtoriæ Scriptores nullum ampliùs poſtea ex iis Principem nominaſſent, & Rex Eupator, qui Rhœmetalci ſucceſſiſſe ſub M. Aurelio ab eruditis quibuſdam exiſtimabatur, à nobis Sarmatiæ Aſiaticæ, cui imperabat, reſtitutus eſſet; parva ſeriei Boſphori Principum continuandæ ſpes affulgebat; ſed nummi ex terræ viſceribus quotidie eruti Hiſtoriæ vindices in ſubſidium veniunt, & ecce Rheſcyporis novo vultu inſignis, novoque Imperatori Romano ſociatus, qui locum ſuum inter Boſphoranos Monarchas poſtulat.

Rheſcyporidis nomen, licet Thraciæ & Boſphori Principibus ex eadem progenie ſit familiare, forma tamen nummi illum ad Boſphoranos revocat; & ſolemnis Seuthidarum Æra huic inſerta, Rheſcyporim ſub Sept. Severi imperio, Boſphori regnum tenuiſſe apertè demonſtrat; ideò ille Tertius nomine ſcilicet, venit appellandus. Si verò audiendus eſt Zozimi *in Valeriano lib.* 1. qui illos Monarchas Boſphoranos quandiu regnarint, in regnum paternum filios ſucceſſiſſe narrat, iſte Rheſcyporis Anonymi ſub M. Aurelio degentis filius, & Rhœmetalcis ſub Antonino Pio nepos fuiſſe videtur.

Quando Rheſcyporis III. regni habenas ſuſceperit; an ſub Commodo, vel ſub Severo, licet in nummi

averſa parte ſit percuſſa ejus effigies, ſilent Hiſtorici: Quot annos regnarit, nummus indicare nequit. Quando mortuus ſit, incompertum eſt: Zozimus filios habuiſſe indicare videtur, ſiquidem ex illo Scriptore ejus progenies ad Philippum uſque proceſſit. Succeſſoris nomen aliquando fortè ſuppeditabunt nummi.

## *NUMMUS RHESCYPORIDIS III. BOSPHORI REGIS.*




Ex Museo nostro.

Caput Regis imberbis, capillis longis inſigne & diademate revinctum, ante quod tridens cum epigraphe BACIΛEΥC PHCKOΥΠΟΡΙC. Ex averſa parte caput laureatum Imperatoris, ſub quo HIX. id eſt anno 618.

QUanta ad ſeriem & ad annos regni exterorum Principum illuſtrandos ſit momenti Æra eorum in nummis exarata, dijudicabunt rei Antiquariæ ſtudioſi, qui Boſphori

Regum numiſmata in cimeliis recondunt, quos ea deleta aut non integra vix noſſent, vel qui fuerint illi Imperatores in averſa parte ſignati pronuntiare non poſſent, cùm illorum nomina honoris causâ, circa capita, ſolito more, non adſint ſcripta: ex ſolis igitur notis numeralibus, & Rex & Imperator dignoſcuntur.

Hæc præfert litteras HIX. annum 618 ſignificantes, & ita Rheſcyporis in nummo appellatus, alius & novus à ſuperioribus illarum auxilio arguitur, & ſub Sept. Severo regnaſſe oſtenditur; ſi enim Æræ, cujus caput à regni Seuthis nomine primi initio, ex Thucydide aſſignavimus anno primo Olymp. 89. correſpondente V. C. 330. & 331. addideris numerum hunc 618. efficient ſimul 948. & 949. quo Sept. Severus ſecundum imperii annum dinumerabat à morte Did. Juliani Kal. Jul. 946. occiſi, & ad ſimile tempus ſequentis anni decurrentis.

Tridens ante Rheſcuporidis faciem ſignatus, jam ante in Rheſcyporidis II. nummis prodiit, quem ad Imperium maris ſibi à Boſphori Regibus attributum, ſpectare diximus ob magnam navium copiam, quam in Ponto Euxino, & in Palude Mæotide tenebant.

*NUMMUS*

# NUMMUS RHESCYPORIDIS III.




Ex Museo nostro.

Caput idem Regis diadematum, cum inſcriptione in ambitu ΒΑCΙΛΕΥC ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙC ; & ante faciem, tridens. Ex averſa parte caput Severi laureatum cum notis numeralibus in area KX. id eſt anno 620.

ALter ecce Rheſcyporidis III. nummus, in quo ut in ſuperiore legitur ΒΑCΙΛΕΥC ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙC pro ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙΔΟC : inſolens quidem apud Boſphoranos Reges epigraphe, & parum uſitatum in cæteris Principibus ſcribendi genus. Interea fatendum hoſce Boſphori Reges fermè obſcuros & aliundè quàm ex nummorum penu notos, nunc abundè illuſtrari ut eorum laterculi inter alios Monarchas deſcribi poſſint Æra præſertim antiquiſſimâ inſignes.

Hæc porro adeò in illis nummis neceſſaria eſt, ut ſine ejus auxilio Sept. Severi effigies ab imperito artifice deformata vix agnoſci queat; illa exhibet litteras numerales KX.

annum Seuthidarum Principum 620. notantes, quæ in quartum imperii Severi à Kal. Jul. V. C. 950. uſque ad 951. decurrentem incidunt, quo Imperator Getam filium minorem primò dixit Cæſarem, & deindè Antoninum natu majorem appellavit Auguſtum, communicata illi Tribunicia poteſtate; qua de cauſa ut Rheſcuporis Severo gratularetur, hoc anno nummum cum ejus imagine percuſſit.

# DE RELIQUIS BOSPHORI Regibus Anonymis.

POST Rheſcyporim III. ſub Sept. Severo regnantem in Boſphoro, nulli ejus ſucceſſorum nummi in manus noſtras inciderunt, ut ſeriem eorum Principum abſolvamus; ſed non ſine ſpe eos videndi aut recuperandi, cùm ejus filius, & poſtea nepos ei ſucceſſiſſe videantur uſque ad Philippum Imperatorem, ſub quo extincta eſt Boſphoranorum ex Seuthe Thraciæ Rege progenies, ut his verbis Zozimus abundè tradit.

Et quidem *Borani*, inquit, in Aſiam quoque transjicere conabantur: idque per incolas Boſphori ſanè quàm facilè obtinuerunt: qui metu potiùs, quàm animi voluntate adducti, naves eis dederunt, & in trajiciendo Duces fuerunt. Quam enim diù Reges illi habebant, filiis in regnum paternum ſuccedentibus; partim propter amicitiam cum Populo Romano, & commerciorum opportunitatem, partim propter ea munera, quæ ab Imperatoribus quotannis eis mittebantur, Scythas in Aſiam transjicere volentes arcere non deſinebant. Verùm poſteà, quàm extincto genere regio, quidam viles & abjecti principatum obtinuiſſent; ſibimet ipſi metuentes, Scythis adeundæ per Boſphorum Aſiæ facultatem conceſſerunt, & ſuis eos navibus tranſvexere. Sic ille in vita Valeriani pag. 647.

# STEMMA
## REGUM BOSPHORI
## EX PROSAPIA PRINCIPUM THRACIÆ.

Sub Trajano. COTYS. ININTHYMÆVUS ſub Trajano Tutor.

Sub Hadriano. RHESCYPORIS.

Sub Anton. Pio. RHESCYPORIS.

Sub Anton. Pio. RHOEMETALCES.

Sub M. Aurelio. Anonymus.

Sub Commodo & Severo. RHESCYPORIS.

Anonymi.

Extincta eſt ſub Valeriano Regum illorum progenies.

# STEMMA
## REGUM THRACIÆ.

1
THERES.

2 SITALCES. — SPARADOCUS.

SADOCHUS. non regnavit. — 3 SEUTHES.

AMADOCUS in parte. — 4 MOESADES.

MEDOCUS in parte. — SEUTHES II.

BARISADES in parte. — AMADOCUS in parte. — COTYS.

Filii Anonymi.

KERSOBLEPTES. — ARIOPHARNES.

SEUTHES III.

COTYS II.

DIEGULIS.

SOTHIMUS.

COTYS III.

SADALES.

RHESCYPORIS.

SADALES II.

4 RHESCYPORIS. — 3 RHOEMETALCES. — COTYS IV.

RHOEMETALCES. Eo mortuo Thracia in Prov. Rom. redacta an. V. C. 791. — 4 COTYS V. — 2 RHESCUPORIS II.

COTYS VI. in Armeniam tranſlatus anno V. C. 791.

# REGUM BITHYNIÆ HISTORIA.

## DE BITHYNIA.

BITHYNIA eſt regio Aſiæ minoris, quam ab Ortu definiunt Paphlagones & Mariandyni atque Epictetorum quidam: à Septentrione Ponticum mare ab oſtiis Sangarii fluvii uſque ad fauces intra Byzantium & Chalcedonem: ab Occaſu Propontis; à Meridie Myſia & Phrygia minor, quæ & Helleſpontiaca dicitur. *Strab. lib.* 12. *pag.* 563. Difficile eſt diſtinguere fines Bithynorum, Myſorum, Phrygum, Doliorum circa Cyzicum, Mygdonum & Troum, quamvis in confeſſo eſt gentes iſtas à ſe invicem eſſe dividendas. *Id. pag.* 564. Nam diverſus fuit Bithyniæ ſtatus.

Illa diverſis nominibus appellata eſt, olim Cronia, dein Theſſalis, poſtea Mariandine. *Plin. lib.* 5. *cap.* 32. Bithynia & Bebricia vocata eſt. *Servius ad Æneid. lib.*

7. *v.* 373. Poſtea Mygdoniadem à Bithyno Rege dicta eſt Bithynia. *Solin.*

Græci, Thraces exiſtimant, qui cum Rheſo militarunt ad Ilium, Duce nocturnis inſidiis per Diomedem ſublato, quemadmodum canit Homerus, ſeceſſiſſe ad os Ponti, qua trajectus eſt in Thraciam breviſſimus, & partim quod carerent navibus, ibi manſiſſe, dixiſſe regionem Bebriciam, partim trajeciſſe ſupra Byzantium, ubi Thraces Bithyni colebant juxta Bithyam fluvium, unde fame pulſos revertiſſe in Bebryciam, & nomine mutato eam vocaſſe Bithyniam, à fluvio quem reliquerant: duraſſeque id nomen hac ratione in poſterum, cùm non multum Bithynia differat à Bebrycia, ut nonnulli putant. Alii ferunt Bithim primum hic regnaſſe Jovis & Thraces filium, & ab his regiones dominatas. *Appian. in Mithrid. pag.* 171.

Enimverò, ait Strabo, Bithynos cùm ante Myſi eſſent, ſic denominatos eſſe à Thracibus Bithynis atque Thynis qui eo commigraverunt, plerique uno ore affirmant: indiciumque adferunt de Bithynis, quod etiam-num in Thracia gens Bithynorum extat: de Thynis, quod Thynias eſt acta ad Apolloniam & Salmydeſſum. Sed & Bebryces, qui ante hos Myſiam incoluerunt, Thraces fuiſſe ego conjicio. *Lib* 12. *pag.* 541.

Unde canit Claud. 2. in Eutrop.

*Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.*

Bithynos interiora occupaſſe veteres dicunt. Plinius ait: *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni. lib.* 6. *cap.* 32. & ante illum Pomponius Melas: Interius Bithyni ſunt & Mariandini. *Lib.* 1. *cap.* 19.

Bithynia

Bithynia, Manilio Dives vocatur, *lib.* 4. Laudes ejus decantat vetus Geographus à Jac. Gothofredo editus. Libanius, Αἰνέιται δὲ τὸ Βιθυνῶν ἔθνος τοις ὁτονοῦν ἐπιθυμοῦσι λαβειν. Bithynos equites fuiſſe refert Juvenalis.

——————*Equiteſque Bithyni.*

Bithynum & Bithym, fuiſſe eundem refert Stephanus. Undè Bithyniæ nomen; ſic dicta, inquit, à Bithyno Jovis filio & Thracæ Titanidis filiæ, quæ quidem ex Jove peperit Bithym. *Stephanus lib. de Urbib.*

Megarenſes Coloniam deduxerunt in Bithyniæ Aſtacum, Olymp. 17. V. C. 42. quæ urbs Oraculi juſſu denominata ab Aſtaco quodam generoſo & cordato viro, ex eorum proſapia qui Sparti & terrigenæ olim Thebis vocabantur. *Memnon. cap.* 21.

Chalcedon Bithyniæ etiam urbs in ore Ponti ſita, à Megarenſibus condita eſt: item pagus Chryſipolis, ac fanum Chalcedonenſium. *Strab. lib.* 12. *pag.* 563. Porrò Ptolemæus.

# DYDALSUS

## REX BITHYNIÆ I.

DYDALSUS Memnoni qui ſub Auguſto florebat, DOEDALSUS verò Straboni lib. 12. pag. 563. dictus, primus inter Reges Bithyniæ recenſetur. *Memnon. cap.* 21. Is principatum gerebat verſus annum V. C. 371. quæ verò geſſerit à Photio prætérita ſunt. Hic tantùm narrat, Aſtacum Megarenſium Coloniam, multùm à finitimis appetitam, & crebris acciſam bellis, Athenienſes poſtmodum huic adjeciſſe, & vexationum finem & incrementa gloriæ & potentiæ non mediocria adeptam eſſe, Dydalſo tunc inter Bithynos rerum potiente. *Memn. cap.* 21. Strabo loco ſuprà citato ait, Aſtacum à Megarenſibus & Athenienſibus conditam; quæ ita intelligenda ſunt, nempe Megarenſes in ſinu verſus Chalcedonem quam conſtituerant Coloniam, Aſtacum primò condidiſſe, undè ſinus ille dictus eſt Aſtacenus; & deindè Athenienſes in eam, cùm hanc oram maritimam occupaſſent, Coloniam deduxiſſe; & tandem à Dædalſo, cùm ille Bithyniæ regnum teneret, inſtauratam fuiſſe.

Quando mortuus fuerit Dydalſus, & quot annos in Bithynia principatum geſſerit, obſcurum eſt; an verò filios habuerit incertum reliquit Photius in compendio Memnonis, poſt eum regnaſſe Botiram tantùm reliquit.

# BOTIRAS

## REX BITHYNIÆ II.

BOTIRAS Bithyniæ Rex à Memnone memoratur poſt Dydalſum; & licet hujus filium fuiſſe non referat Photius, eum extitiſſe auguramur: nam Bithynorum Principum ſeriem, quæ ad ultimum ejus regni Monarcham pervenit, recenſet; & à Dædalſo niſi illam inchoaſſet, hiſtoriam eorum haud recenſuiſſet. In ea ſententia verſatus eſt Iſ. Caſaubonus his verbis: Reperio hæc Bithyniæ Regum nomina Dædalſes, cujus filius fuit Botiras. *Comment. in lib.* 12. *Strabonis pag.* 563. *num.* 1. Forſan quod pauca memoratu digna egerit, quot annos vixerit, tantùm enumerat, nempe de illo hæc profert Memnon. Quo defuncto, *nempe Dydalſo*, Botiras regnat ad 75. annos ætate producta *cap.* 21. filium verò, ut Regum Bithynorum ſeriem continuet, nomine Biantem ſcribit.

# BIAS
## REX BITHYNIÆ III.

BIAS Botiræ Regis filius, poſt ejus mortem quæ accidiſſe videtur anno 3. Olymp. 100. V. C. 376. ad Bithyniæ regnum perveniſſe dicitur, teſte Memnone *cap.* 21. Hic apud illum vocatur Bas, ſed in manuſcriptis erratum fuiſſe veriſimile eſt, nam à Caſaubono etiam vocatur Bias his verbis: Dædalſes, cui filius fuit Botiras, Botiræ, Bias. *Comment. in lib.* 12. *Strab. pag.* 563. *num.* 1. Hoc pariter nomen fuit unius ex Argivorum Regis.

Inter plurima egregia belli facinora quæ geſſerit Bias Bithyniæ Princeps, memorat Memnon, eum etiam Calantum, vel potiùs Caranum, Alexandri copiarum Præfectum, licet optimè ad pugnam inſtructum profligaviſſe acie, & ut Macedones à Bithynia abſtinerent, effeciſſe; quod accidit Olymp. an. 3. V. C. 420. regni Biantis 44. quando Alexander M. ad Granicum Perſas vicit.

Poſtea Bias in pace vixit, & annos natus 76. vitam & regni adminiſtrationem reliquit, poſtquam in Bithyniam regnaſſet annos 50. filiumque habuit & ſucceſſorem nomine Zipœtem. *Memn. cap.* 21.

# ZIPŒTES
## REX BITHYNIÆ IV.

ZIPOETES Memnoni qui & à Diodoro Zibytes dicitur *lib.* 19.*p.* 703. patre Biante defuncto, an. 1. Olymp. 113. V.C. 426. regni Bithyniæ habenas ſuſcepit, dum Alexander nationes Orientales ſubigere ſuſceperat, & jam ad Bactrianos pervenerat. Hoc Zipœti nomen è Thracia originem habere, quantum ex ipſa nominis voce conjicere poſſum, exiſtimat Pauſanias *lib.* 5. *pag.* 310.

Poſt autem Alexandri mortem à quibuſdam ejus Ducibus aliquot regni ſui urbes ſublatæ videntur; quas ut recuperaret, narrat Diodorus Ptolemæum fratris Antigoni filium, cùm in Cappadocia obſeſſam ab Aſclepiodoro Caſſandri Præfecto Amiſum offendiſſet, periculis illam exemiſſe, hinc per Bithyniam cùm exercitum duceret, Zibyten Bithynorum Regem in oppugnatione Aſtacenorum & Chalcedoniorum urbis occupatum reperiſſe, & obſidionem ſolvere coegiſſe. Initaque ſocietate cum urbibus & Zibyte, poſtquam obſides acceperat, abiiſſe anno 2. Olymp. 116. V. C. 439. *Diodorus Biblioth. Hiſt. lib.* 19. *pag.* 703.

Male tractatus eſt etiam à Lyſimacho ab eo oppugnatus, cùm Amaſtrin Dionyſii Haracleæ Tyranni viduam in uxorem duxit anno 3. Olymp. 118. V. C. 448. urbem condidit Aſtacum, quam à Lyſimacho deletam fuiſſe refert Strabo *lib.* 12. *pag.* 563.

Meliori tandem uſus eſt fortuna; nam, ut ait Mem-

non, clarus bellis è Lyſimachi Præfectis alium occidit, alium quàm longiſſimè à finibus ſuis depulit; quin & ipſum Lyſimachum repreſſit. Itaque cùm Lyſimachus in Aſiam tranſgreſſus eſſet anno V. C. 452. & à Zipœte repulſus eſt, plurimas ſibi Aſiæ urbes ſubjecerat, ſed ſuperveniente Antigono, retrocedere coactus fuit; & hiberna in Salmoniæ campo, in Bithyniæ & Heracleæ confiniis, ut commeatus ſibi compararet, & ideò pacem iniit cum Zipœte, undè ille Rex vocatus ab eo Epocham indè dinumerarunt ſucceſſores, ut infrà videbimus.

Lyſimacho mortuo, cùm Heraclienſes Heraclidem Tyrannum ad libertatem obtinendam in vincula conjeciſſent, ne à Zipœte bello appeterentur, miſſa ad Seleucum legatione Phocritum civitatis Principem & curatorem faciunt. *Memnon cap.* 10.

At Zipœtes Heracleotis infenſus, antea Lyſimachi, tunc etiam Seleuci causâ: (nam cum utroque ſimultates habebat) excurſionibus in agros eorum factis, à nullo maleficiorum genere abſtinuit. Exercitus tamen ejus, dum huic negotio incumbit, cladium non expers eſt: ſed non multò mitiores, quàm infert, recepit. *Id. cap.* 11.

Seleuchus ſucceſſu contra Lyſimachum elatus, tranſitum in Macedoniam inſtituit, ubi à Seleucho Cerauno occiſus eſt, & Antiochus Soter ejus filius imperare cœpit. *Id. cap.* 13. Hic autem mox expeditam manum in ulteriora Tauri mittit Patrocle Duce, qui Hermogenem, Aſpendium genere Legatum ſibi adoptat. Hic cùm alias urbes, tum Heracleam quoque infeſtare conſtituerat; verùm Heracleinſium legatione

placatus è finibus eorum excedit, & percuſſo amicitiæ fœdere, per Phrygiæ agros in Bithyniam ſe convertit. Exceptus verò Bithyniorum inſidiis, unà cum exercitu internecione cæditur, cùm ſtrenui viri facinora, ſuo loco in hoſtes edidiſſet. *Id. cap.* 17.

Poſt hæc Antiocho Seleuci, qui Aſiam tamen & Macedones imperio coercebat, ſuperior factus *Zipœtes*, urbem condit ad Lyperum montem nomine ſuo inſignem. *Id. cap.* 21. De illa verò Stephanus, Zipœtium, urbs Bithyniæ à Zipœte Rege. *Lib. de Urb.*

Rex autem Zipœtes, poſtquam regnaſſet annos 47. ætatis verò 76. mortem obiit an. 4. Olymp. 124. V. C. 473. relictis quatuor filiis, Nicomede, Zipœte, & aliis duobus anonymis. *Memnon cap.* 21.

# NICOMEDES
## REX BITHYNIÆ.



*In muſæo D. de Monjeux Burg.*
*Ex num. arg. tetradr.*

NICOMEDES Zipœtes patrem in regno natu maximus excepit. *Memnon cap.* 21.

Antiochus Syriæ Rex, cùm ob cœdem Patroclis Præfecti à Bithynis in acie patratam, in eos expeditionem

tionem inſtituiſſet, Nicomedes per Legatos ſubſidium ab Heraclienſibus petit & impetrat, gratiam ſe relaturum, ubi in ſimili neceſſitate tempus flagitaverit, pollicitus.

Eo ferè tempore, Soſthene Macedonum Duce, qui Gallos repulerat, defuncto; Antiochus & Antigonus Gonatas, Macedoniam tanquam paternum regnum ambiebant; in copias militares, magnos utrimque apparatus facientes, tempus ſatis longum conſumitur. Antigono Nicomedes Bithyniæ Rex operam navabat, Antiocho complures alii. *Memnon cap.* 19. Hac occaſione Cierum & Tium, & Thyniadem terram ad ſe reduxerunt Heraclienſes. *Id. cap.* 17.

Sub tempus illud bellum adverſus Zipœten Nicomedis fratrem, qui Thyniacam cum imperio Thraciam obtinebat, Heraclienſes excepit. Quo in bello, Heracleotarum bona pars fortiter dimicando, cæſa fuit, & victoriâ quidem ſumma vi potitur Zipœtes; ſed ubi ſociorum auxilia ſupervenerant Heracleotis, fuga illam dehoneſtat, & Heracleotæ ſub arbitrium ſuum redigunt: de quibus bello diſceptabatur. *Id. cap.* 18.

Antiochus verò priùſquam in Antigonum eruptionem faceret, bellum adverſus Nicomedem inſtituit. Hic igitur Nicomedes & aliundè auxilia collegit, & de belli ſocietate miſſis Legatis Heracleam, tredecim in ſubſidium triremes accipit, & tum demùm claſſem ſuam Antiochi claſſi opponit; etſi autem adverſas aliquandiu tenebant acies, neutri tamen pugnæ initium faciunt, ſed abſque effectu tandem divelluntur. *Id. cap.* 19.

Antiochus cùm longè imperaret in Aſia, pace inita

cum Antigono, qui nullum regnum poſſidebat, ei Macedoniam ceſſit.

Poſt Brenni Gallorum Principis in Græcia cladem, hi ad Byzantium delati, cùm maximam ditionis partem depopularentur, fracti bello Bizantini, ſociorum huc illuc miſſitantes, auxilia implorant, & quiſque pro virium modo ſuppeditat. Nec longum in medio ſpatium, cùm Nicomedes Gallis, qui incurſatis adhuc Byzantinorum finibus, tametſi ſæpe numero in Aſiam trajicere conati, toties ab incœpto deſiſtere, adverſantibus Byzantinis, coacti eſſent, certis tamen conditionibus tranſitum conciliavit. *Id. cap.* 20.

Conditionum formula hæc erat. *Ut Barbari Nicomedi ejuſque poſteris perpetuo amicitiæ fœdere conjuncti manerent: Abſque Nicomedis ſententia & voluntate, nemini, à quo per Legatos ſollicitarentur, in bellis opem ferrent, ſed amicis hujus amici, & inimicis hoſtes forent. A Byzantinis etiam ſtarent, ſi qua neceſſitas incideret: ſocietatem præterea colerent cum Tianis & Heraclienſibus & Chalcedoniis & Cieranis & nonnullis qui alias ſub juriſdictione gentes haberent.* Id. ibid.

His pactorum legibus Nicomedes Gallorum multitudinem in Aſiam tranſmiſit, & illorum auxilio contra Bithynos primùm; & ea parte, quam Zipœtes frater obtinebat, recuperatâ, illum expulit, fratrum autem non frater, ſed lictor factus eſt: confirmavit tamen hic Bithyniæ regnum, nam quos ex Heraclea armaſſet Barbarorum, & Provinciam ſubegit, & concidit incolas; quod alioquin erat prædæ inter ſe diſpertiti ſunt Galatæ. *Id. ibid. Juſtin. lib.* 26. *cap.* 2.

Adverſus Zybœam partem tenentem Bithyniæ, Ni-

comedi auxilia dant gerenti bellum, atque eorum maximè operâ devictus Zybæa eſt, Bithyniaque omnis in deditionem Nicomedis conceſſit. Profecti ex Bithynia in Aſiam proceſſerunt. *Lucius lib.* 38.

Galli verò longè latèque terram depopulati, retrò demùm ceſſerunt, & de ſubacta id ſibi amputarunt, quod nunc Galatiæ nomen habet, in tres partes diſtributum. Alios enim Trocmos nominant, alios Toliſtobogios, alios Tectoſages. Urbes etiam condiderunt, Trocmi Ancyram, Toliſtobogii Tavium, Tectoſages dicitur. Peſſimuntem. *Memnon cap.* 20.

Hanc regionem, nempè Galatiam ſive Gallo-Græciam, ſive Galli occupaverunt, demum Galatæ cùm diu vagati incurſionibus Attalicorum Regum Bithynorum ditionem vexaſſent, donec ab iis volentibus acceperunt eam terram, quæ nunc Bithynia & Gallo-Græcia *Strab. lib.* 12. *pag.* 566.

Nicomedes Ditizelem gente Phrygia in uxorem duxit, ex qua natus eſt illi filius nomine Zelas; illa verò mortem obiit, cùm canis regius abripuiſſet mordicus dexterum humerum illius amplexantis Regem, quod eam nondum ſatis notam haberet, ſepulta monumento inaurato ex lapide conſtructo, & veſte textili ex auro induta, eaque conflata, inventum eſt pondus auri librarum 113.....

Mortua Ditizele conjuge, alteri ſponſæ, Etazetæ nomine, nupſit, ex qua plurimos ſuſcepit liberos, inter alios filium Zibaten: at Etazeta cùm filios adoleſcere indicet, Zelam novercæ machinis per Nicomedem ex aula expellit; ille verò ad Armeniorum Regem profugit: morte deindè Nicomedis imminente, quam

Simſonius anno 4. Olymp. 133. V. C. 509. aſſignat. *Chron. Cathol. part.* 5. Rex ex ſecunda uxore hæredes regni ſcripſit: & curatores, Ptolemæum *Evergetem* cum Antigono & populis Byzantiorum, necnon Heraclientium Cianorumque deſignavit.

Moritur Nicomedes poſtquam regnaſſet annos 35. reliquitque ex priore uxore filium Zelam, & alios ex ſecunda conjuge. Ipſius in honorem ſtatua eburnea in Olympii Templo collocata eſt. *Pauſan. lib. 5. pag.* 159.

Ὁ τοῦ Ζειπώτου μὲν υἱὸς ἐκεῖνος Νικομήδης,
Ὁ κτίσας Νικομήδειαν, πατὴρ τοῦ Προυσίου.

*Zipœtæ filius iſte Nicomedes,*
*Qui condidit Nicomediam, pater Pruſiæ.*
Hetzes Chiliad. 3. v. 950.

Ἔστι καὶ Ζήλα Τελουλλάβως, πόλις Καππαδοκίας, ἣν ἔκτισεν ὁ Νικομήδης υἱὸς Ζήλας. *Vide Steph.*

# ZELAS
## REX BITHYNIÆ V.

ZELAS & non Zielas, ut quidam volunt, accepto de Nicomedis patris morte nuntio apud Armeniæ Regem, ad quem confugerat, mox cum inſtructa manu militum, cui è Galatis Toliſtobogii animos augebant (nam hi contermini ſunt Bithyniæ), in regnum paternum redit. *Memn. cap.* 23.

At Bithyni, dum conſervare dominatum parvulis ſatagunt, matrem horum Nicomedis fratri, (*an Zipœti, an alteri ex aliis duobus incertum*) in matrimonium elocant, & ipſi accepto à Curatoribus exercitu Zelam opperiuntur. Et crebris utrobique præliis & viribus uſi, pacem ad extremum ineunt. *Id. ibid.*

Ex Trogi verbis quæ profert Juſtinus, Dum ſibi fratres in Bithynia bellum agunt, Eumenem Pergami Regem, plurimas eorum civitates cepiſſe patet; nam ait Rex Bithyniæ Eumenes, & poſtea hinc Bithynus Eumenes; indè Galli Aſiam depopulabantur: cùm interea nemo defenſor Aſiæ inter tot prædones inveniebatur. *Lib.* 27. *cap.* 3. quæ fortè Nicomedis filios coegerunt, ut ad pacem ſimul devenirent.

Eumenes autem poſtquam duos & viginti annos regnaſſet, ei in regno ſucceſſit Attalus Attali frater anno 4. Olymp. 134. V. C. 513. qui primus Aſiam incolentium Gallis ſtipendium abnuit, audacique incœpto præter omnium opinionem adfuit fortuna; namque Galli mox bellum denuntiarunt, ſignis verò collatis

ſuperior fuit. *Livius lib. 38. pag. 469.*

Zelas cùm vidiſſet Antiochum Hieracem, qui Gallos mercede conduxerat, à Seleucò fratre devictum, in Paphlagoniam irrupiſſe contra Gallos qui Paphlagoniæ & Cappadociæ partem ſub Gallatiæ nomine occupaverat, videtur; nam Stephanus Zelam Nicomedis filium cepiſſe atque diruiſſe refert Creſſam Paphlagoniæ urbem, quam Meriones Idomenei Cretæ Regis auriga & Dux in bello Trojano, ex obſidione redux condiderat.

Imo ex eodem Stephano apparet Zelam Regem penetraſſe in Cappadociam, ubi narrat eum urbem ibi de ſuo nomine Zelam condidiſſe, quæ Plinio dicitur: *Nobilis clade Triani, & victoria Caii Cæſaris.* Quod veriſſime denotant urbis hujus nummi, in quibus habetur vox ΖΗΛΙΤΩΝ à Zelitis, cum Epocha civitatis à tempore quo Julius Cæſar Pharnacem Mithridatis Eupatoris filium vicit, deſumpta nempè V. C. 707. Pax tandem cum illis inita videtur.

Tandem in ipſo juventutis flore, Galatarum Duces hoſpitii & amicitiæ prætextu, cùm ex inſidiis adoriretur, ipſe occubuit. *Athen. lib. 2. cap.* 17. De quo loquitur Trogus *in Prologo lib.* 27. dum ait: Utque Galli Pergàmo victi ab Attalo Zelam Bithynum occiderint, ut reſarciit ex corrupto codice Henricus Valeſius in except. Polyb. pag. 50. Sed ille hic male contra Strabonem contendit, qui Zelam nominat, Zielam vocari debere.

Mortuus verò circa annum V. C. 522. vel 23. filium Pruſiam reliquit regni ſucceſſorem, rebuſque agendis idoneum.

# PRUSIAS
## REX BITHYNIÆ VII.

PRVSIAS. I.
REX NICOMEDIÆ.



*Ap. D. Foy Vaillant. D. M.*
*ex num. arg. tetradr.*

PRUSIAS, quod fuerit Zelæ filius, innuit Strabo his verbis: *Deditque aream Pruſiæ Zelæ filio*, lib. 12. pag. 563. Hic verò cognominatus eſt Ο Χωλος, id eſt Claudus, ſub ultimis vitæ annis, teſte Memnone *cap.*

29. Sed hoc ludibrii cognomen in ejus actis reperitur. Pruſias autem tredecim ad quatuordecim annos natus, dum mortuus eſt illius pater Zelas, ſiquidem Bithyniæ regnum anno V. C. 509. tantum ſuſceperit.

Inter Reges qui Rhodiis ob eorum urbem terræmotu quaſſatam, munera contulerunt, recenſetur à Polybio. Seleucus pater Antiochi, præter immunitatem Rhodiis omnibus conceſſam, qui in ditionem ipſius, navibus appellerent; præter quinqueremes inſtructas decem, & menſurarum frumenti ducenta millia: hoc amplius, materiæ, reſinæ & crinis, aliquot dena millia cubitorum & millena pondo. Similia his Pruſias & Mithridates. *Lib. 5. pag.* 430. Hic verò terræmotus evenit tempore Seleuci Callini Antiochi M. ante ejus obitum anno V. C. 528.

Callinico ſucceſſit filius Seleucus Ceraunus, qui patre mortuo, copias, quas pro illo contra Parthos comparaverat, in Attalum Pergami Regem, qui ſub eorum motibus præcipuam cis Taurum Aſiæ partem occupaverat, vertit: ſed Ceraunus poſt duos ad tres annos, poſtquam Taurum prætergreſſus fuerat, Ducum ſuorum inſidiis ſublatus eſt; Achæus ejus cognatus vindicata ejus morte cum copiis Attalum aggreditur.

Attalus Gallos, propter opinionem virtutis ad bellum contra Achæos ex Europa accivit; & cùm propter defectionem Lunæ non progredi vellent, dimiſit: petulanter autem flagitioſi ac violenti urbes ad Helleſpontum male tractabant, qui cùm Ilienſes ad extremum obſidem eſſent aggreſſi, egregium ſanè facinus ab Alexandrenſibus qui Troadem colunt, eſt editum; miſſo enim Themiſta cum quatuor militum millibus

libus, non ſolùm Ilienſes obſidione liberarunt, ſed etiam ex univerſa Troade Gallos ejecerunt, impediendo commeatus & eorum conatibus ſe opponendo. *Polyb. lib. 5. pag.* 447.

Galli, occupatâ in Abydena ditione urbe, quam Arisbam dicunt, cætera ejus tractûs oppida ex inſidiis conabantur invadere, & aſſiduum cum illis bellum gerebant: adverſus hoc igitur expeditionem Pruſias ſuſcepit, & acie dimicavit, ac viros quidem in ipſo prælio, dum manus conferuntur, contrucidavit, ſobolem verò propemodum omnem atque conjugia in ipſis caſtris jugulavit: utenſilia victori militi diripienda conceſſit. *Id. ibid.*

Sic Rex Zelæ patris mortem, in Gallorum gentem ultus eſt, & hâc victoriâ Helleſponticas urbes magno metu ac periculo abſolvit. Ideò in ejus regno multæ ſupplicationes decretæ ſunt, & in urbe Nicomedia *Soteria* ſunt delata ad perpetuam rei memoriam quotannis celebranda, quaſi Dii per eum gentes ſervaſſent; apud finitimos populos & præcipuè à Byzantiis imagines illi decretæ hoc tempore fuerunt. *Id. ibid. &* 4°.

Porrò Rex Byzantiis ſuccenſebat, quod imagines quas ſibi decreverant, non dedicaſſent; ſed ludibrio atque oblivioni tradidiſſent. Idem factum hoc inſuper illorum non probabat, quod ad dirimendas inimicitias inter Achæum & Attalum tantum ſtudii adhibuerant; nam Achæus illum inter Pergami muros recluſerat, ademptâ ipſi tota regione, & pacem mediantibus illis dederat; & ita Pruſias multis modis inutilem rebus ſuis inter ipſos amicitiam exiſtimabat. *Id. lib.* 4. *pag.* 315.

Accendebat etiam hoc iræ incentivum, quod Byzantii ad Attalum quidem Minervæ ludicrum celebrantem, ſuos mitterent, rem divinam ſimul facturos; ad Severum *Soteriorum* ſolemne agitantem, nemo ab illis fuerat miſſus. Ille igitur ex omnibus hiſce cauſis in præcordiorum penetralibus latentem iram foveret, oblatam à Rhodiis occaſionem avidè arripuit. *Id. ibid. pag.* 316.

Byzantii cùm Portorii vectigal ab iis qui in Pontum navigabant, inſtituiſſent, Rhodii ea offenſi, bellum adverſus eos ideò decreverunt. Itaque miſſis illicò ad Pruſiam Legatos ad ſocietatem belli ipſum hortabantur. *Id. ibid.*

Pruſias cum Legatis, ut rem mari gerere illis ſuaderet, ipſe non minora hoſtibus detrimenta ſe terra illaturum polliceretur. *Id. ibid.*

Rhodiorum exemplum ſecuti ſunt & Byzantii, qui & ab Attalo & ab Achæo per Legatos auxilium petierunt; & erat quidem Attalo voluntas prompta, & Achæus auxilia promiſit, atque is has partes amplexus, quia Aſiæ cis Taurum latè dominans, rerum potiebatur, quique Regis nomen paulò antè aſſumpſerat, ſpem magnam, Rhodiis contrà, & Pruſiæ ingentem terrorem injecit; itaque cum illis bellare auſi ſunt. *Id. ibid.*

Pruſias animi ſui impetum ſecutus, Byzantio bello aggreſſus, Hieron (id loci nomen) illis ademerat, quod quidem paucis ante annis magna pecuniæ vi emptum propter opportunitatem loci quæſierant, ut omnes omnibus nocendi occaſionem eriperent, tum quod ad illos pertineret mercatores, qui in Pontum

navigant, tum quod ad ſervos ſuos, aut cæterum quæſtum, quem è mari faciebant. *Id. ibid.*

Ademit præterea Rex Byzantiis eam Myſiæ partem, quam in Aſia à longo jam tempore obtinebant. *Idem ibidem.*

Byzantii per initia, dum à partibus ſuis Achæum ſtare confidunt, ſtrenuè bellum faciebant: accitoque è Macedonia Tibite, Pruſiæ quem timebant, belli metum ac periculum viciſſim ſe allaturos ſperabant. *Id. ibid.*

Rhodii ſex navibus inſtructis, quatuor item aliis ſociorum accedentibus, Duce Xenophanto Helleſpontum petierunt. Ibi reliquæ in ancoris ſtantes circa Seſtum, navigationem Pontum verſus impediebant. Unam Navarchus abducit ad tentandos Byzantinorum animos; ecquid tanto belli apparatu territi, conſilium mutarent, qui cùm rationem ejus nullam haberent, abiit; cæteriſque aſſumptis navibus, Rhodum cum univerſa claſſe eſt reverſus. *Id. ibid.*

Byzantii interea ad Achæum miſerunt, qui auxilia poſcerent, & ad Tibiten, qui ipſum è Macedonia adducerent. Exiſtimabatur enim Bithynorum regnum pari jure ad Tibiten pertinere, atque ad Pruſiam, cujus ipſe patruus erat, διὰ τὸν πατρὸς ἀδελφόν. *Id. ibid.* Nicomedes verò avuus Pruſiæ teſtamento filium minorem Tibiten, Regem dixerat, quem Zelas ex priore matrimonio armis in Macedoniam propulſaverat.

Rhodii ubi conſtantem Byzantiorum fiduciam cernunt, Andromachum Achæi patrem apud Ptolemæum Ægypti Regem redimunt captivum, & illum filio reſtituunt; & ita ſpem Byzantiis, Achæo plurimum innitentibus, ademerunt: ſed & alia quoque res tunc in-

cidit, parum illis opportuna. Tibites enim dum in patriam ex Macedonia reducitur, fato fungitur, & morte ſua conſilia ipſorum vehementer conturbat: ut eo caſu icti Byzantii animos deſponderent. *Id. ibid. pag.* 317.

At Pruſias nova ſpe ad bellum accenſus, ſimul ipſe ab Aſiæ partibus bello intendere, & rem acriter gerere: ſimul per Thraces mercede conductos, Byzantios impedire, quominus ab Europæ partibus pedem portâ poſſent efferre. Byzantii quos omnes ſuæ ſpes defecerant, undique vexati bello, honeſtum aliquem rerum exitum circumſpiciebant. *Id. ibid.*

Eo tempore cùm Cavarus Rex Gallorum, qui in Thracia erant, Byzantium veniſſet, cuperetque bellum dirimere, & hinc indè quà Pruſiæ, quà Byzantiis manus ingenti ſtudio porrigeret, petitioni illius locum utrique dederunt. Rhodii Cavari ſtudium ut reſciverunt, & quantum illi Pruſias tribueret; qui nihilominus deſtinata perficere averent, Legatum quidem Aridicen ad Byzantios decreverunt: ſed & Polemoclem cum tribus triremibus unà proficiſci juſſerunt. Volentes, ſicut dicitur, haſtam & caduceum ſimul Byzantiis mittere. Horum ſuperventu pax convenit. *Id. ibid.*

Cum Rhodiis quidem pax ſimpliciter facta eſt in verba: NE BYZANTIORUM POPULUS PORTORII NOMINE QUICQUAM AB ULLO EORUM EXIGERET, QUI IN PONTUM NAVIGANT. HOC SI FIERET, POPULUM RHODIORUM IPSORUMQUE SOCIOS CUM BYZANTIIS PACEM SERVATUROS.

Cum Rege verò Pruſia hiſce legibus: PRUSIÆ ET POPULO BYZANTIORUM PAX ET AMICITIA IN PERPETUUM

ESTO. NEQUE BYZANTII PRUSIAM INFESTO EXERCITU ULLO MODO INVADUNTO, NEQUE PRUSIAS POPULUM BYZANTIORUM. AGROS, CASTELLA, POPULOS, ET BELLO CAPTA MANCIPIA SINE PRETIO PRUSIAS BYZANTIIS REDDITO; ITEM NAVES PER INITIA BELLI CAPTAS QUICQUID TELORUM IN MUNITIONIBUS FUERIT REPERTUM. AD HÆC, MATERIAM, MARMORA, LATERES ET TEGULAS E LOCO SACRO ABLATAS.

Rex enim Pruſias Tibitæ adventum metuens, omnia Caſtella, in quibus aliqua videbatur eſſe ad res bello gerendas opportunitas, demolitus erat. SED ET QUÆCUMQUÆ BITHYNORUM NONNULLI HABENTE MYZIACO BYZANTIORUM AGRO RAPTA, OMNIA UT AGRORUM CULTORIBUS REDDANTUR, PRUSIAS COGITO. Hoc igitur modo & ſuſceptum & confectum eſt bellum, quod fuit inter Pruſiam & Byzantios. *Id. ibid. pag.* 318. *&* 319.

Pruſias Apamen Philippi Macedonum Regis filiam ducit in uxorem, & cùm adverſus Ætolos ſocer ejus bellum gereret, ſocius in hoc bellum illi fuit, præſertim cùm Romani & Attalus Pergami Rex Ætolis ſe adjunxiſſent: Pruſias ut hoſtiles copias Attali quæ Orcum Eubœæ urbem diripiebat diſtraheret, Pergami fines cum exercitu ingreditur; quod ubi accepit Attalus, omiſſis Romanis rebus atque Ætolico bello in Aſiam trajecit. *Lucius lib.* 28. *cap.* 7.

Fœderi inter alios Pruſias Bithyniæ Rex à Philippo, Ilienſes & Attalus Rex à Romanis adſcripti ſunt. *Polyb.*

Pax facta eſt tandem inter Philippum & Ætolos anno V. C. 549. ipſis à Romanis deſertis, induciis cum his factis; & ſic pacata eſt Græcia: porrò Pruſias

adverſus ſocios Ætolorum Cianos, qui in Bithynia erant, bellum paravit.

Rex itaque obſidione Cium urbem cinxit, quam cùm capere non poſſet, Socerum Philippum accerſivit, qui mox venit, & urbis Cianorum potitus, ſeu præclaro & gravi aliquo facinore edito, lætitia geſtiebat, ut qui genero promptè opem tuliſſet; omnibus qui à ſua amicitia ſe alienarent, terrorem incuſſiſſet. *Polyb. lib.* 15. *pag.* 709.

Pruſias verò etſi propoſitum ſuum ad exitum fuiſſe perductum, gaudio exultabat, quia tamen incœpti illius præmia alter abſtulerat; ipſe, deleta urbe, ſoli deſerti hæreditatem creverat; iniquo rem animo ferebat, deindè remiſſam cum eo amicitiam habuit, ſed quid ageret? *Id. ibid.*

Philippus & Antiochus M. Ptolemæo Philopatore mortuo, filium ejus Epiphanem admodum puerum, ejuſque regni inter ſe dividendi conſilium inierant. Philippus Cherſoneſo Thraciâ in poteſtatem redactâ, Abydum Aſiæ urbem oppugnavit; Romani contra copias miſerunt: & prælio tandem inter eos ad Cynoſcephalas edito in quo victus eſt Philippus, pax inter eos facta eſt an. V. C. 557. Decem verò Legatis qui in Græciam ad eam ſanciendam venirent, injunctum eſt, ut de Cianorum libertate Quinctius Flaminius, qu Philippum debellaverat, Pruſiæ Bithyniorum Regi ſcriberet, quid Senatui & decem Legatis placuiſſet. *Livius lib.* 33.

De Cio autem in Aſtaceno ſinu urbe ſita, ſic loquitur Strabo. In eo Pruſa eſt, quæ olim evertit Philippus Demetrii filius, Perſei pater, deditque aream

Pruſiæ Zelæ filio, qui in ea evertenda ipſum juverat, & Myrlæam vicinam urbem Pruſæ. *Lib.* 22. *pag.* 563. Myrlæam à Myrlo Colophoniorum Duce, vel à Mirlea Amazone conditam ſcribit Plinius *lib.* 5. *cap.* 432. Mela illam Colophoniorum Coloniam dicit.

In Pruſias has urbes è ruderibus excitatas, Cium Pruſiadem à ſe, Myrleam ab uxore Apameam denominavit. Hic eſt qui Annibalem recepit, cùm is ad ipſum poſt Antiochi cladem veniret. *Strab. l.* 12. *p.* 563. Ille eſt Pruſias Pruſiæ filius. Stephanus verò quod patri Strabo tribuit, illud ad Nicomedem ejus filium refert, his verbis: Nicomedes verò Epiphanes Pruſiæ Regis filius, à matre Apama, *Apamiam* nominavit; hæc deindè facta eſt à Romanis Colonia, ut videre in noſtro Coloniarum libro. De Cianis multi ſunt nummi Imperatorum in noſtro Urbium Græcarum libro.

Duæ verò ſunt in Bithynia urbes nomine Pruſa, Straboni, una ad Olympum montem quæ in nummis ita ſcribitur, ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ ΠΡΟϹ ΟΛΥΜΠΟΝ. Altera Pruſias aliàs dicta], & in nummis vocantur incolæ ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ, ad Hypium fluvium; hæc à Cii urbis muris à Pruſia ſecundo reſtaurata, nomen habuit: ſed prior ad Olympum à Strabone dicitur ab eo Pruſia qui bellum geſſit cum Cræſo, Stephanus pro Cræſo, Cyrum nominat: porrò Cræſus à Cyro captus eſt, & ſuſpicor hiatum fuiſſe hoc loco, potuitque urbs illa ab uno ex illis condi, quæ à Pruſa Zelæ filio poſtea reſtaurata fuit, cui nomen ſuum Pruſæ impoſuit.

Cius autem urbs, Heracllenſium juriſdictioni erat ſubdita apud Memnonem, qui eam Cierum appellat,

& quam à Pruſia Zelæ filio nuncupatam ſcribit fuiſſe Pruſiadem; hanc verò Regem bello ſubjeciſſe, ut ſic undique per mare circumſcriberet. *Memnon cap.* 29.

Pruſias poſtea Heracleam violenta obſidione preſſit, & plurimos obſeſſorum interfecit, & jam propè erat, ut urbs caperetur, niſi Regis, dum ſcalis ſurſum nititur, lapide cujuſpiam de propugnaculis icto crus fractum eſſet, & hic caſus ab oppugnatione deſiſtere eum coegiſſet. Ita enim percuſſus, lectica, non ſine doloris acerbitate, domum à ſuis Bithynis refertur. *Id. ibid.* Licet verò tempus quo id accidit ignoretur, porrò ut Memnon non multò pòſt annis exactis nomine & re Claudum regnaſſe proferat.

Cùm Antiochus Sardes veniſſet, & Lucium Scipionem jam in Macedonia cum exercitu eſſe audiviſſet, ad Pruſiam miſit, qui eum hortarentur ad ineundam ſecum ſocietatem. Pruſias ſuperioribus quidem temporibus non erat alienus à conſilio jungendæ cum Antiocho ſocietatis: admodum enim Romanos formidabat, ne ad tollendas omnes dominationes in Aſiam trajicerent. *Polyb. Legat.* 22. *pag.* 811.

Poſteà verò quàm allatæ ei fuerunt litteræ à Lucio & Publio Scipionibus fratribus, atque ille eas accepit legitque, jactatione animi aliquantum eſt liberatus, & futurum belli eventum non levibus conjecturis eſt auguratus. Publius ſiquidem ut fidem illi faceret, multis argumentis, iiſque perſpicuis & evidentibus in litteris ad eum datis uſus fuerat. Hæc ut conſideraret Pruſias per litteras monebant Scipiones: & ut poſito metu de ſuo regno, Populi Romani partem amplecteretur; fore enim nunquam ut ejus conſilii ipſum pœniteat. *Id. ibid & pag.* 312.

His

His auditis Pruſias alium animum induit. Venit poſtea ad eum legatio, cujus princeps C. Livius: tum verò Rex cum his Legatis collocutus, ſpes conſiliaque ſua ab Antiocho penitus ſeparavit. *Id. ibid.*

Antiochus poſtquam à ſpe ſocietatis Pruſiæ decidit, Epheſum ab Sardibus ad claſſem inviſendam tranſiit. *Livius lib.* 37. Et cùm Rhodia claſſis & Eumenis Pergami Regis, cum omnibus ſuis Conſuli obviam in Helleſpontum profecti eſſent, Pruſias è vita deceſſiſſe videtur ex Memnone; ſiquidem ille Regis hujus mortem ante tranſitum Romanorum in Aſiam memorat. *Memnon cap.* 29.

Pruſias mirificè induſtrius & gnarus, multiſque rebus claris memoratus à Memnone, regnavit annos 40, relicto Pruſiæ filio regni ſucceſſore.

Henricus Valeſius non aſſentitur Car. Sigonio, qui in libro primo de antiquo jure Prov. cap. 13. Pruſiam hunc cognomine Κωλον cum ejus filio confundit, nec ego Uſſerio doctiſſimo viro qui Pruſiæ ſecundo ſocietatem Antiochi renuntianti tribuit, ut Polybii & Memnonis teſtimonio eruitur.

# PRUSIAS II.

## REX BITHYNIÆ VIII.

PRVSIAS II.
REX BITHYNIÆ.



*In musæo D. Monjeux Paris.*
*Ex num. arg. tetradr.*

PRUSIAS Pruſiæ filius, mortuo patre, regni habenas ſuſcepit, & ab Appiano Κυνηγὸς, id eſt Venator, appellatur, *in Mithrid. pag.* 172. Apud Scholiaſtam Theocriti malè Ἀθημῶν pro Βιθυνῶν Rex dicitur, *pag.* 112.

Antiochus à Romanis victus eſt, quo Pruſias II. regnare cœpit: at cum Romani ab Antiocho, inter ceteras conditiones pacis deditionem Annibalis depoſcerent, admonitus à Rege, in fugam verſus Cretam defertur. Ibi cùm diu quietam vitam egiſſet, invidioſumque ſe propter nimias opes videret, ad Pruſiam contendit. *Juſtin. lib.* 32. *cap.* 4.

Inter Pruſiam & Pergami Regem Eumenem bellum ortum eſt, quod Pruſias Annibalis fiduciâ, rupto fœdere, prior intulit. *Id. ibid.* Bellum inter eos gerebatur & mari & terrâ; ſed utrobique Eumenes plus valebat, propter Romanorum ſocietatem. Cùmque domeſticis rebus minus eſſet robuſtus Pruſias, cæteros Reges conciliabat illi Annibal, adjungebatque bellicoſas nationes. *Æmil. Prob. in Annibal. cap.* 10. Inter Reges erat Philippus Macedo, qui Philoclem Legatum cum auxiliis ad Pruſiam miſit. *Polyb. Legat.* 46. & Ortiogon Galatarum Rex. *Id. lib.* 3. *pag.* 153.

Cùm Pruſias terreſtri bello ab Eumene victus eſſet, & prælium in mare transferens, navium multitudine ſuperaretur; Annibal novo commento auctor victoriæ fuit. Quippè omne ſerpentum genus in fictiles lagenas conjici jubet, medioque prælio in naves hoſtium mitti. Id primùm Ponticis ridiculum viſum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant; ſed ubi ſerpentibus repleri naves cœpere, ancipiti periculo circumventi, hoſti victoriam ceſſere. *Juſtin. lib.* 32. *c.* 4. Bithynis igitur univerſis navem Eumenis adorientibus, cùm ille eorum vim ſuſtinere non poſſet, fugâ ſalutem petiit, quam conſecutus non eſſet, niſi intra ſua præſidia ſe recepiſſet, quæ in proximo littore erant collocata. *Æm. in An. c.* 11.

Sic Annibal conſilio arma Pergamenorum ſuperavit, neque tum ſolùm, ſed ſæpè aliàs pedeſtribus copiis pari prudentia pepulit adverſarios. *Id. ibid.* Ubi ſemel, cùm illi pugnare placeret, & negaret Pruſias ſe audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculæ vitulinæ, quàm Imperatori veteri mavis credere? *Valer. Max. lib. 3. cap. 7. externa num. 6.*

Nam ab Eumene legatio cum fratre ejus Athenæo Romam venit, ad quærendum quò in Bithyniam Pruſiæ bellum adverſus Eumenem gerenti auxilia miſſa forent. *Livius lib. 39.*

Quæ ubi Romam nuntiata ſunt, miſſi à Senatu Legati ſunt, qui utrumque Regem in pacem cogerent, Annibalemque depoſcerent. *Juſtin. lib. 32. cap. 4.* Titum Quintium Flamininum ad Pruſiam, cum L. Scipione Aſiatico & P. Scipione Naſica nominat Livius. *Lib. 39. in fine.*

T. Flamininus ubi ad Pruſiam venit, quem ſuſpectum Romanis & receptus poſt fugam Antiochi Annibal, & bellum adverſus Eumenem motum faciebat: ibi ſeu quia à Flaminino inter cætera objectum Pruſiæ erat, hominem omnium qui viverent infeſtiſſimum Populo Romano apud eum eſſe, quia patriæ ſuæ primùm deindè fractis ejus opibus, Antiocho Regi auctor belli apud Populum Romanum fuiſſet. *Livius lib. 39. cap. 61. pag. 500.*

Pruſias ut gratificaretur præſenti Flaminino Romaniſque, per ſe necandi aut tradendi ejus in poteſtatem conſilium cepit; à primo colloquio Flaminini milites ex templo ad domum Annibalis cuſtodiendam miſſi ſunt. Semper talem exitum vitæ ſuæ Annibal proſpexerat

animo, & Romanorum inexpiabile odium in ſe cernens & fidei Regum nihil ſanè confiſus: Pruſiæ verò levitatem etiam expertus erat. *Id. ibid.*

Annibal, poſteaquam eſt nuntiatum milites regios in veſtibulo eſſe, poſtico, quod devium maximè, atque occultiſſimi exitûs erat, fugere conatus; ut id quoque occurſu militum obſeptum ſentit, & omnia circa clauſa cuſtodiis diſpoſitis eſſe, venenum, quod multo ante præparatum ad tales habebat caſus, popoſcit. Liberemus, inquit, diuturnâ curâ Pop. Rom. quando mortem ſenis expectare longum cenſent. Horum patres Pyrrho Regi hoſti armato exercitum in Italia habenti, ut à veneno caveret, prædixerunt: hi Legatum Conſularem, qui auctor eſſet Pruſiæ per ſcelus occidendi hoſpitis miſerunt. *Id. ibid.*

Execratus deinde in caput regnumque Pruſiæ, & hoſpitales Deos violatæ ab eo fidei teſtes invocans, poculum exhauſit. *Id. ibid.*

Alii dicunt Pruſiam nec Romanis negare Annibalem auſum, nec hoſpitis violare jura, permiſit ut, ſi poſſent, comprehenderent, continuò occupato caſtello, ubi habitabat, illum ſe veneno ſuſtuliſſe, & de ejus morte oraculum fuiſſe.

*Annibalis cineres terra Lybiſſa teget.*

Quod ille de Africa acceperat, cùm viculus eſſet ille Bithyniæ maritimus, de quo Plinius *lib. 5. cap.* 32. Fuit Libyſſa oppidum, ubi nunc Annibalis tantùm tumulus.

Philippus Macedoniæ Rex, poſtquam regnaſſet an-

nos 40. mortuus eſt, & Perſeus filius ejus nothus ei ſucceſſit. *Livius lib.* 40. *cap.* 54. *pag.* 517.

Legatos Romam mittit ad amicitiam paternam renovandam, petendumque ut Rex à Senatu appelletur. *Id. ibid.*

Pruſias Legatos ad Perſeum mittit, ut ſibi Apamen ſororem in matrimonium concedat, quæ illi à fratre conceditur. *Id. lib.* 42.

Ut Philippus deceſſit relicto magno belli apparatu adverſus Romanos, quo poſtea Perſeus uſus eſt, & Gallos Scordiſcos in Thracia ad belli ſocietatem perpulit. *Juſtin. lib.* 32. *cap.* 3.

Legati Romani ad res Regum inviſendas miſſi, renuntiant conveniendi Regis Perſei poteſtatem non factam : facile tamen apparuiſſe ſibi bellum parari. *Livius lib.* 42.

Alios Romani Legatos ad Reges ſocios miſerunt, inter quos Pruſias ſtatuit abſtinere armis, eventumque expectare ; nam neque ſe æquum cenſere adverſus fratrem uxoris arma ferre, & apud Perſea victoriam, veniam per ſororem impetrabilem fore. *Id. ibid.*

Bellum itaque geſtum eſt inter Romanos & Perſea, & cùm incertus tunc eventus eſſet, Legati Romam venerunt à Pruſia miſſi de pace reconcilianda cum Perſeo, ubi in Senatu ſunt auditi, Pruſiæ preces magis quàm poſtulatio fuere, profitentis, & ad id tempus ſe cum Romanis ſtetiſſe, & quoad bellum foret, ſtaturum. Cæterùm cùm ad ſe à Perſeo Legati veniſſent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorem, apud Senatum futurum petere, ſi poſſent inducere in animum, ut finiant iram, ſe quoque in

gratia reconciliatæ pacis, poſſe uti. *Id. lib.* 44. *cap.* 14. *pag.* 558.

Pruſias, ne Perſei cognati victi cladem lugere videretur, ipſe Romam venit gratulaturus Senatui Populoque Romano de Macedonibus & Illyriis debellatis. Is magno comitatu urbem ingreſſus, ad forum à porta tribunalque Q. Caſſii Prætoris perrexit: concurſuque undique facto, Deos qui urbem Romam incolerent, Senatumque Populum Romanum ſalutatum, ſe dixit veniſſe, & gratulatum quòd Perſea Gentiumque Reges viciſſent. *Livius lib.* 45. *cap.* 44. *pag.* 583.

Cùm Prætor Senatum ei, ſi velit, eo die daturum dixiſſet, biduum petiit, quo templa Deûm urbemque & hoſpites amicoſque viſeret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio Quæſtor, qui & Capuam ei obviam miſſus fuerat: & ædes, quæ ipſum comiteſque ejus benignè reciperent, conductæ. *Id. ibid.*

Tertio poſt die Senatum adiit, gratulatus victoriam eſt: merita ſua in eo bello commemoravit: petiit ut votum ſibi ſolvere, Romæ in Capitolio 10. majores hoſtias, & Præneſte unam Fortunæ liceret: ea vota pro victoria Populi Romani eſſe. Et ut ſocietas ſecum renovaretur, agerque ſibi de Rege Antiocho captus, quem nulli datum à Populo Romano Galli poſſiderent, daretur; filium poſtremò Nicomedem Senatui commendavit. Omnium qui in Macedonia Imperatores fuerant, favore eſt adjutus. Itaque cætera quæ petebat conceſſa. *Id. ibid.*

De agro reſponſum eſt, Legatos ad rem inſpiciendam miſſuros. Si ager Populi Romani fuiſſet, nec cuiquam datus eſſet, digniſſimum eo dono Pruſiam

habituros eſſe. Si autem Antiochi non fuiſſet, eo ne Populi quidem Romani factum apparere: aut ſi datus Gallis eſſet, ignoſcere Pruſiam debere; ſi ex nullius injuria quicquam ei datum vellet Populus Romanus. Ne quod detur quidem gratum eſſe donum poſſe, quod eum quid det, ubi vellet ablaturum eſſe ſciat. *Id. ibid.*

Facile Nicomedis commendationem accipere: Quantâ curâ Regum amicorum liberos tueatur Populus Romanus documento Ptolemæum Ægypti Regem eſſe. Cum hoc reſponſo Pruſias eſt dimiſſus. Munera ei ex ſeſtertiis juſſa dari, & vaſorum argenteorum pondo 50. & filio Regis Nicomedi ex ea ſumma munera dari cenſuerunt, ex qua Maſgabæ filio Regis Maſaniſſæ data eſſent: & ut victimæ aliaque quæ ad ſacrificium pertinerent, ſeu Romæ, ſeu Præneſte, immolare vellet, Regi ex publico ſicut Magiſtratibus Romanis præberentur: & ut ex claſſe quæ Brundiſii eſſet, naves longæ viginti aſſignarentur, quibus uteretur, donec ad claſſem dono datam ei Rex perveniſſet, L. Cornelius Scipio juſſus eſt, ne ab eo abſcederet, ſumtumque ipſi & Comitibus præberet, donec navem conſcendiſſet. Mirè lætum & ea benignitate in ſe Populi Romani Regem fuiſſe ferunt: munera ſibi ipſum emiſſe, filium juſſiſſe donum Populi Romani accipere. Hæc de Pruſia noſtri Scriptores. *Livius ibid. pag.* 584.

Polybius eum Regem indignum majeſtate nominis tanti tradit: Pileatum capite raſo obviam ire Legatis ſolitum, libertumque ſe Populi Romani ferre, & ideò inſignia Ordinis ejus gerere. Romæ quoque cùm veniret in curiam, tum miſiſſe ſe & oſculo limen curiæ

contigiſſe

contigiſſe, & Deos ſervatores ſuos Senatum appellaſſe, aliamque orationem non tam honorificam audientibus, quàm ſibi deformem habuiſſe. Moratus circa urbem 30. haud ampliùs dies, in regnum eſt profectus. *Id. ibid.*

Pruſias nequaquam majeſtate regiâ ullo modo dignus erat, nam cùm Legati ad ipſum venirent, raſo capite, pileatus, togatus, & more Romano calceatus, obviam iis proceſſit, planè eo habitu ornatus, qualis ſolet eſſe apud Romanos recens manumiſſorum, quos libertos vocant; & cùm Legatos ſalutaſſet: Ecce me, inquit, veſtrum libertum, omnia veſtrâ causâ cupientem, inſtituta omnia veſtra imitari paratum, qua voce nulla poteſt fingi minus generoſa. *Polyb. Leg. 97. pag.* 927. Riſerunt illi, & Romam miſerunt hominem, qui cùm ibi quoque viſus eſſet ridiculus, impetravit veniam. *Appian. pag.* 172.

Tum verò ingreſſus Curiam, ad januam ſtans Curiæ ex adverſo patrum, demiſſis manibus ſalutavit, Senatorumque conceſſum, & ſimul, Salvete, inquit, Dii ſervatores mei, quæ vox adeò indigna viro eſt, adeò muliebres ſapit blanditias & adulationem, ut nihil fœdius ventura poſt ætas ſit latura: ſimilis iſtis & oratio fuit, quam ingreſſus Curiam habuit: cujus & meminiſſe dedecet. *Id. ibid. pag.* 928.

Pruſias in Bithynam reverſus didiſcit Eumenem fines ſuos depopulari; ideò Pitho Legatus à Rege miſſus de Bithynino Principe Senatui eſt conqueſtus, quòd fines ſuos vaſtaret, & accuſans eum, inſuper loca ab eo ſibi adempta conquerens; & quod à Galatia omnino non abſtineret, nec Senatus decretis morem gereret; ſed eos quidem qui ſuas partes ſequerentur,

aleret, omnibuſque rebus ornaret: eos verò qui Romanæ partis erant, & ex Senatûs decretis adminiſtrari Rempublicam cupiebant, humiliores redigeret. His auditis Senatus, neque criminationes reſpuit, neque mentem aperuit ſuam, ſed clam apud ſe habuit. *Polyb. Legat.* 104. *pag.* 932.

Cùm Pruſias Eumenem, Romanis alias ob inventas ſocietatis ab eo cum Perſeo contra ipſos initæ indices ſatis ſuſpectum, non ſolùm ipſe omni ſtudio accuſaviſſet, ſed etiam Galatas & Selgenſes & multos alios Aſiæ ad faciendum idem impuliſſet, Attalus & Athenæus à fratre Eumene Romam miſſi, non ſolùm omnia quæ objiciebantur crimina, coram Senatu diluerunt, ſed etiam honoribus aucti in patriam redierunt. At non propterea ſuſpicionem dudum conceptam adverſus Eumenem & Antiochum *Epiphanem*, remiſit Senatus, ſed Caium Sulpicium Gallum & Manium Sergium Legatos miſit, qui de conſiliis Antiochi atque Eumenis accuratè inquirerent, nunquid bello neceſſaria apparerent, ac ſocietatem adverſus Romanos junxiſſent. *Id. Legat.* 106. *pag.* 936.

Moritur Antiochus Epiphanes Rex Syriæ, cùm regnum tenuiſſet ſex annos, illi ſucceſſit filius ejus Antiochus Eupator.

Eumenes Pergami Rex deceſſit, cùm annos 39. regnaſſet, & principatum reliquit Attalo fratri.

Inter Attalum & Pruſiam Reges inimicitiis ortis, Andronicum Attalus, Nicomedem & Antiphylum Pruſias Legatos Romam miſit. Cùm primùm verò Pruſiæ impreſſionem narraret Andronicus, dictis illius non movebantur Romani; ſed in ſuſpicionem veniebant, At-

talum, quòd cuperet ipſe Pruſiam adoriri, occaſiones belli præparare & criminationibus eum antevertere. Deindè Pruſiæ Legatis teſtantibus, ejuſmodi nihil eſſe factum: multò adhuc minus fidei habebant iis, quæ de Pruſia nuntiabantur. Mox verò magis magiſque re omni explorata, Senatus incertus quantum his nuntiis tribuere fidei deberet, L. Apuleium & C. Petronium Legatos miſerunt, ad inviſendum quo loco Regum illorum res eſſent. *Polyb. Legat.* 128. *pag.* 959.

Porrò quantum erant alienati Patrum animi à Rege Eumene, quem oderant, tantum benevolentiæ erga Attalum præ ſe ferebant. *Id. Leg.* 221. Aliquantò poſt Pruſias infenſus Attalo Regi Pergamenæ Aſiæ, agros ejus vaſtavit. *Appian. Mithr. pag.* 172.

Quod poſtquam Senatus Romanus didicit, denuntiavit ei ne Attalo amico ſocioque Populi Romani bellum inferre pergeret. Cùmque ille parere gravaretur, Legati rigidè mandârunt ei, aut pareret Senatui, aut ad diſceptandum veniret cum mille equitibus ad confinia: ubi & Attalum expectare aiebant cum totidem aliis. *Id. ibid.*

Ille contempta paucitate quæ erat circa Attalum, ſperans eum poſſe à ſe opprimi, præmiſit Legatos, quaſi ſecuturus cum mille ſuis: ſed concitato univerſo exercitu venit tanquam ad prælium. Attalus & Legati præmoniti diffugerunt, quâ quiſque poterat; ille etiam jumenta Romanorum relicta comprehendit. *Id. ibid.*

Pruſias conſilio ac ſpe capiendi Attali fruſtratus, Nicephorium ſub ipſis Pergami mœnibus ſitum vaſtare cœpit, ac templum quidem ipſum diſturbavit: ſtatuas verò atque imagines Deorum immortalium, atque in

his celebre Æſculapii ſimulacrum, cujus artifex fuiſſe perhibetur Phyromachus; denique ſacra omnia diripuit. *Diodor. Excerpt. Valeſ. pag.* 336.

Deindè Attalum intra Pergamum compulſum oppugnavit. *Appian. Mithrid. pag.* 172. Cùm ſub hyemis exitum Senatus P. Lentulum, qui recens ex Aſia redierat, ſuper iis quæ fecerat Pruſias audiviſſet, Athenæum quoque Attali Regis fratrem in Curiam revocavit. Ibi non fuit multis verbis opus, ſed ſtatim cum prædicto Legatos mittere decrevit C. Claudium Centonem, L. Hortenſium, & C. Auruncuieium, quibus mandata dedit ut prohiberent Pruſiam quominus bellum cum Attalo gereret. *Polyb. Leg.* 129. *pag.* 960.

Pruſias victo Attalo Pergamum ingreſſus cum ſumptuoſo ſacrificii apparatu, Æſculapii templum adiit, mactatiſque victimis cùm perlitaſſet, tum quidem in caſtra eſt reverſus. Deindè Deos propitios orare, omnemque aram ac lapidem exquiſito quodam genere adorare & venerari flexis genibus & muliebri ſuperſtitione, quod Pruſias facere ſolebat; atque interim eadem fana labefactare, eorumque everſione contumeliam Diis facere, quis neget animi id eſſe rabie perciti, hominiſque de ſtatu mentis deturbati? Quod quidem tum Pruſiæ contigit. *Excerpt. Polyb. Henr. Valeſ. pag.* 168.

Cùm ille Rex nullum in expugnatione generoſi animi facinus edidiſſet, ſed prorſus imbelli ac muliebri animo adverſus Deos hemineſque eſſet uſus, exercitum Elæam traduxit; & tentata urbis obſidione, cùm nihil proficeret, eò quòd Soſander Attali collectaneus cum præſidio militari urbem ingreſſus, impe-

tum ipſius repellebat, Tyathira navibus contendit.

Porrò inter redeundum fanum Dianæ, quod eſt in Hieraconia, vi illata ſpoliavit. Apollinis quoque Cynii delubrum circa Temnum non ſpoliavit ſolùm, ſed etiam igni tradidit. Atque his peractis domum rediit, illato hominibus & Diis immortalibus bello. *Id. pag.* 171.

Horum ſcelerum brevi à Diis Pruſiæ inflicta pœna eſt: plerique enim ex pedeſtribus copiis ſanguinis profluvio perierunt. Nec diſſimilis caſus navales copias afflixit: quippè ingenti tempeſtate in Propontide ſubitò excitata, naves pleræque mari abſorptæ ſunt, unà cum ipſis militibus ac remigibus, nonnulli in terram evecti ſunt naufragi. Has primas impietatis ſuæ pœnas tunc Pruſias dedit. *Excerpt. Diod. pap.* 336.

Cùm Hortenſius & Aurunculeius Pergamo reverſi renuntiaſſent, quanto contemptui Senatus mandata Pruſias habuiſſet, qui violato fœdere adverſus ipſos & Attalum Pergami incluſos, omnem vim atque injuriam eſſet expertus: Patres irati, & indignatione facinoris commoti, decem extemplo Legatos decreverunt, in queis L. Anicius & C. Fannius, & Q. Fabius Maximus: eoſque ſtatim cum mandatis miſerunt, ut bello finem imponerent; & Pruſiam pro injuriis bello illatis pœnas Attalo pendere cogerent. *Polyb. leg.* 133. *pag.* 962.

Attalus, dum adhuc eſſet hyems, magnum exercitum coegit: cùm & Ariarathes Cappadociæ & Mithridates Ponti Reges ejus ſocii copias ipſi tum equeſtres, tum pedeſtres Duce Demetrio Ariarathis filio ſubmiſiſſent. In his apparatibus dum occupatur Attalus, Legati Romani veniunt: qui Regem Quadis convenerunt, & de

omnibus rebus cum eo locuti ad Pruſiam rectà ſunt profecti. *Id. legat.* 135. *pag.* 964.

Eo ut ventum, voluntatem Senatus ſeriò illi declararunt. Pruſias ex iis quæ imperabantur, nonnulla facturum ſe promittebat, de pleriſque negabat. Itaque Romani Legati pertinaciâ illius offenſi, amicitiæ & ſocietati ipſius renuntiarunt; atque extemplo omnes eò relicto ad Attalum pergere. Tum verò Pruſias pœnitentiâ ductus, orans obſecranſque Legatos aliquandiu ſequi; & cùm nihil proficeret, domum reverſus, in ſumma conſilii inopia verſatus eſt. *Id. ibid.*

Interim Romani Attalo auctores ſunt, ut cum exercitu in regni finibus manens, ipſe quidem bello neminem laceſſat, ſed urbes ſuas ac pagos ab injuria defendat. Ipſi in varias partes diviſi, partim Romam properant ad ſignificandam Senatui Regis Pruſiæ pertinaciam, partim in Ioniæ regiones tendunt: quidam ad Helleſpontum & vicinos Byzantio tractus: quorum omnium unum idemque erat propoſitum, ut ab amicitia & ſocietate Pruſiæ homines revocarent: Attalo verò benevolentiam cunctorum conciliarent, & quibuſcunque modis poſſent eum adjuvarent. *Id. ibid. pag.* 965.

Circa idem tempus, Athenæus Attali frater, claſſem adduxit navium tectarum octuaginta: quarum quinque triremes Rhodiorum erant, quæ ad bellum Creticum fuerant miſſæ, viginti Cyzicenorum, ſeptem & viginti Attali; reliquæ aliorum ſociorum. Is directo curſu in Helleſpontum, quoties aliquam prætervveheretur earum urbium, quæ Pruſiæ parebant, crebras excurſiones faciens, agrum illarum populabatur. *Polyb. legat.* 136. *pag.* 965.

Senatus auditis Legatis, qui à Pruſia redierant, tres alios continuò miſit, Appium Claudium, Lucium Oppium, & Aulum Poſthumium. Hi in Aſiam ubi venerunt, bello finem impoſuerunt, & ut Reges ambo in hujuſmodi conditiones conſentirent, pervicerunt. PRUSIAS UT ATTALO VIGINTI NAVES TECTAS CONFESTIM TRADAT, TALENTA QUINGENTA INTRA VIGINTI ANNORUM SPATIUM PENDAT. AGRUM UTERQUE UT POSSIDEAT, QUEM ANTE INCHOATUM HOC BELLUM OBTINEBAT. ITEM UT PRUSIAS DAMNA SARCIAT AGRIS ILLATA METHYMNÆORUM, ÆGEENSIUM, CUMÆORUM ET HEROCLEOTARUM, CENTUMQUE ILLIS TALENTA SOLVAT. Hoc fœdere iſtis ſcripto, Attalus copias ſuas & navales & terreſtres domum reduxit. Atque hoc modo ſingula ſunt eo bello geſta, quod Attali & Pruſiæ controverſia excitaverat. *Idem Ibidem.*

Pruſias verò cùm ſe ob nimiam ſævitiam ſubditis exoſum & Nicomedem filium valdè ab eis amatum animadverteret, filium ſuſpectum Romam miſit, ut ibi degeret. *Appian. Mithrid. pag.* 173.

Quem, poſtquam cognovit ibi quoque gratioſum eſſe, mandavit ei ut à Senatu peteret, remitti ſibi quod ſupererat pecuniæ debitæ Attalo: & addidit ei Menam ut ſimul legatione fungeretur, cui clam mandatum dedit, ſi impetraverit remiſſionem pecuniæ, ut amplius Nicomedi parceret; ſi minus, in urbe illum interficeret, & ad hæc cercuros aliquot miſit cum eo & duo millia militum. *Id. ibid.*

Rex interea conſulere ſtudebat minoribus filiis quos ſuſceperat ex noverca ejus Diegyllis Thraciæ Regis filia. *Juſtin. lib.* 34. *cap.* 4.

Ex iſtis liberis unus erat nomine Pruſias ut pater, cognomine MONOΔOΥC, quod pro ſuperiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, nec ad uſum ulla ex parte incommodum. *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 8. *externa num.* 12.

Attalus Legatum miſerat Andronicum Romam, cùm accepit Menam illuc eſſe profectum, & demonſtravit mulctam minorem eſſe quàm rapinam. Cùm igitur mulcta non remitteretur Pruſiæ, & Nicomedem Romæ Menas videret eſſe in pretio, inops conſilii, nec occidere eum auſus eſt, nec reverti in Bithyniam. *Appian. Mithrid. pag.* 173.

Ita morantem convenit non invitum juvenis, conſpiraruntque in Pruſiam, aſcito in ſocietatem Andronico, ut is Regi ſuo perſuaderet Nicomedem in Bithyniam deducere. Congreſſi igitur in Bernice oppidulo Epiri, noctu conſcenſa nave quid agendum eſſet, collocuti ſunt, & diverſi diſceſſerunt eadem nocte. *Id. ibid.*

Mane verò Nicomedes exſcendit navem purpuratus & diadematus more regio, cui mox Andronicus occurrit & Regem appellatum deducebat cum centum quos circa ſe habebat militibus. Mena verò ſimulabat ſe tum primùm ſenſiſſe Nicomedis præſentiam, & circumcurſans illa duo millia indignabatur: tandem procedente ſermone; E duobus, inquit, Regibus alter domi eſt, alter in itinere, vos rebus veſtris proſpicite in futurum & rectè conſulite, quandoquidem veſtra ſalus nunc agitur: ut ſagaciter applicemus nos ad eum qui futurus eſt potior, ille ſenex eſt, hic juvenis: Bithyni illum averſantur; hunc optant. Romanorum optimates

timates juvenem diligunt. Andronicus jam ejus ſatelles promittit ab Attalo auxilium, Rege vicino Bithynis & latè regnante, & Pruſiæ hoſte vetere. Ad hæc memorabat crudelitatem Pruſiæ, detegens ejus in omnes patrata facinora, & indè odium publicum. *Id. pag.* 174.

Ut verò & hos milites animadvertit abhorrere à Pruſiæ ſceleribus, ſtatim ad Nicomedem adduxit, & ſecundus Regem eum appellavit poſt Andronicum, ſtipavitque duorum millium ſatellitio. *Id. ibid.*

Attalus verò promptè excepto juvene, Pruſiam juſſit filio civitates aliquot ad inhabitandum & agros ad victum attribuere: reſpondit ille mox ei daturum ſe univerſum regnum Attali, in cujus gratiam & ante invaſiſſet Aſiam. Hæc locutus miſit Romam, qui accuſarent Nicomedem & Attalum, citarentque ambos in judicium. *Id. ibid.*

Nicomedes, Phaëllonis Epirotidis oraculo fretus, quod ſuis ex commodis ipſe interpretabatur, hortatu Attali bellum patri Pruſiæ fecit. *Zoſim. Hiſtor. lib.* 2. *pag.* 690.

Itaque Attalus cum Nicomede mox in Bithyniam profectus eſt, ad quos Bithyni paulatim defecerunt. *Appian. Mithrid. pag.* 174.

Pruſias verò nemini ſe credens & ſperans Romanos ſe erepturos ex inſidiis, à Diegylle Thraciæ Rege ſocero ſuo, quingentos Thracas impetravit, quibus ſolis commiſit corporis ſui cuſtodiam, & in arcem Niceæ ſe incluſit. *Id. ibid.*

At Romæ Prætor Urbanus non ſtatim ad Senatum adduxit Legatos Pruſiæ, Attalo gratificans: & poſt-

quam tandem introduxit, juſtus à Senatu Legatos eligere qui bellum compeſcerent, elegit tres: quorum unus ſaxo quondam in caput percuſſus, fœdas cicatrices præferebat; unus laborabat pedibus, unus uſque ad ſtultitiam ſimplex habebatur: ita ut Cato in legationem cavillaretur, eam nec mentem habere, nec pedes, nec caput. *Id. ibid.*

Legati profecti in Bithyniam, juſſerunt partes ab armis diſcedere. Nicomede autem & Attalo ſimulantibus ſe autoritati Senatûs cedere. Bithyni ſubornati negabant ſe poſthac ferre poſſe immanitatem Pruſiæ, maximè poſtquam deprehenſi ſunt moleſtè ferre ejus imperium: ſic Legati, quia nondum hæ querelæ ad Senatum pervenerant, abierunt infecto negotio. *Id. ibid. & pag.* 175.

Pruſias deſperata ope à Romanis, quibus fretus nulla paraverat auxilia, migravit Nicomediam, ut hac munita hoſtem indè arceret: ſed oppidani Rege prodito portas aperuerunt. Nicomedes cum exercitu introgreſſus eſt: Pruſiam religione fani Jovis ſe tutantem confoderunt quidam immiſſi à filio. *Id. ibid.* Ab ipſo filio ad aram Jovis confugientem interfectum fuiſſe narrat Diodorus, *in Phot. Bibliot. cod.* 244. Ab Attalo occiſum refert Strabo *lib.* 13. *pag.* 624. his verbis: Et Pruſiam interfecit, ſubſtituto ei filio Nicomede. A filio adjuvante Attalo, Livius *lib.* 50. A ſubditis ſuis cæſum ex Dione refert Zonaras. Tantum enim Bithynorum in eum fuiſſe odium narrat Polybius *in Excerpt. Valeſ. pag.* 174. ut omnes impetu effuſo non ad defectionem modò, ſed ad pœnas etiam de eo ſumendas ferri cœperint.

Pruſias aſpectu erat deformis, tametſi judicio & ſagacitate haud quaquam ſpernendus: cæterùm corporis ſpecie dimidiato homini ſimilis, & ad res bellicas planè ignavus ac mollis, neque enim ſolùm timidus, ſed præterea laboris impatiens atque effæminatus in omni vita & animo & corpore erat; quod omne genus vitii, cùm omnes mortales, tùm maximè Bithyni in Regibus ferre non poſſunt. *Id. pag.* 172.

Pruſiam etiam valdè diſſolutum denotat Athenæus ex poculo: ait autem Pruſiam erectum poculum eſſe, appellationem eam ſortitum à Pruſia Bithyniæ Rege, luxu & vitæ genere diſſoluto, ut narrat Colophonius Nicander lib. 4. de iis quæ Pruſiæ contigerunt.

Regnavit annos 41.

# NICOMEDES II.

## BITHYNIÆ REX IX.

NICOMEDES II. interfecto patre Pruſia ſecundo in Bithynia, conſentientibus & applaudentibus univerſim populis, regnare cœpit anno ferè ineunte V. C. 605. Epiphanes cognomen ipſi inditum eſt ab illis, quaſi apparuiſſet ut ab immani ſævitia quâ omnes premebat, liberaret.

In pace quietus cum Regibus proximis nullum geſſit bellum: at cùm Attalus, ultimus Aſiæ Pergamenæ Rex Philometor dictus, morbo ex ſolis fervore contracto, deceſſiſſet, Pergamenum regnum teſtamento reliquit Populo Romano, hac inſcriptione: POPULUS ROMANUS BONORUM HÆRES ESTO. Eudemus Regis teſtamentum attulit, & Tib. Graccho Tribuno Plebis tradidit. *Plut. in Tib. Graccho pag.* 830. anno V. C. 621. Tanta cura Græcæ Linguæ notitiam animo comprehenderat, ut eam in quinque diviſam genera per omnes partes ac numeros penitùs cognoſceret. Quæ res maximum ei ſociorum amorem conciliavit, quâ quis eorum Linguâ apud tribunal illius poſtulaverat, eadem decreta reddenti. *Quintilian. lib.* 11. *cap.* 2.

Ariſtonicus Eumenis Pergami Regis filius nothus ex pellice Epheſina, & Attali defuncti frater, velut paternum regnum Aſiæ invaſit. *Juſtin. lib.* 36. *cap.* 4. Contra eum miſſus eſt Licinius Craſſus Conſul, qui Pontifex Maximus erat, anno 623.

Inter Aſiæ Reges qui auxilia Romanis tulere, nomi-

natur Nicomedes ab Eutropio *lib.* 4. ait enim: *Nam & Bithyniæ Rex Nicomedes Romanos juvit.* Alia erant Mithridates Evergeta Ponticus, Ariarathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagon ex Oroſio *lib.* 5. *cap.* 10. Sed Craſſus, licet ſuis & Regum auxiliis adjutus, inordinata acie prælium conferens, victus eſt, & ex vulnere mortuus. *Jul. obſequens de prodigiis.*

Anno ſequente victus eſt Ariſtonicus à Perpenna Conſule, & captus, auxiliantibus ut videtur iiſdem Regibus, niſi quod Ariarathes occiſus fuerat in ſuperiore prælio.

Poſt victoriam Regibus qui adverſus Ariſtonicum auxilia tulerant, præmia perſoluta. *Juſtin. lib.* 37. *c.* 1.

Cùm Mithridates Eupator Ponti Rex de Aſia ſubigenda cogitaret, clam profectus eſt ex regno cum quibuſdam amicis; univerſam pervagatus eſt, omniumque urbium ſitum ac regiones cognovit. Indè Bithyniam tranſcendit. *Id. cap.* 3. Et cùm Nicomedem aliquo modo metueret: poſteà inita cum eo ſocietate, Paphlagoniam invaſit, victamque cum ſocio diviſit, expulſo Rege Pylæmene. *Id. cap.* 4. anno 630.

Paphlagoniam cùm à Nicomede & à Mithridate Regibus teneri Senatui nuntiatum eſſet, Legatos ad utrumque miſit, *qui gentem reſtitui in priſtinum ſtatum* juberent. Mithridates cùm jam ſe parem magnitudini Romanorum crederet, ſuperbo reſponſo hereditarium patri ſuo regnum obveniſſe reſpondit; nec territus minis Galatiam quoque occupat. *Id. ibid.*

Nicomedes, quoniam ſe tueri jure non poterat, *juſto Regi redditurum* reſpondit; atque ita filium ſuum mutato nomine Pylæmenem Paphlagonum Regem

nomine appellat, & quaſi ſtirpi regiæ reddidiſſet regnum, falſo nomine tenet. Sic ludibrio habiti Legati Romam revertuntur. *Id. ibid.*

Mithridates poſt Galatiam occupatam Cappadociæ inhians, Ariarathem illius Regem, qui ſorori Laodici nupſerat, per Gordium inſidiis tollit: ejus autem poſtea filium Ariarathem tollere meditatur. Nicomedes interim vacuam morte Regis Cappadociam invadit. Quod cùm nuntiatum Mithridati fuiſſet, per ſimulationem pietatis auxilia ſorori ad expellendum Cappadociâ Nicomedem mittit: ſed jam Laodice per pactionem ſe Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægrè ferens Mithridates, præſidia Nicomedis Cappadociâ expellit, regnumque ſororis filio reſtituit. *Id. lib.* 38. *cap.* 1.

Populus Romanus ut accepit Nicomedem & Mithridatem tanquam rivales hanc ſponſam Cappadociam, ut ſibi commodam atque vicinam mirum in modum procari ac ambire, Aufeius Tribunus Plebis legem tulit de Cappadocia ſuis Regibus reſtituenda. Legem diſſuaſit Tib. Gracchus his verbis, Qui prodeunt diſſuaſuri ne hanc legem accipiatis *Quirites*, petunt non honorem à vobis, ſed à Nicomede pecuniam. Qui ſuadent, ut accipiatis, ii quoque petunt non à vobis bonam exiſtimationem, verùm à Mithridate rei familiaris ſuæ pretium & præmium; nam uterque Rex Legatos miſerant. *Aul. Gell. lib.* 11. *cap.* 10.

Mithridates, interjectis menſibus inter avunculum & Ariarathem diſſidio exorto pro Gordio quem Mithridates ab exilio revocare volebat, ad colloquium inter Reges ventum eſt & avunculum, Ariarathe per inſi-

dias occiſo, & alteri ex fratribus octo annorum filio, impoſito Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit. *Juſtin. lib. 38. cap. 1.*

Marius cùm adverſus Cimbros expeditionem pararet, & Senatus auxilia ex tranſmarinis gentibus accerſendi poteſtatem illi dederat; Conſul ergo ad Nicomedem de ſuppeditandis auxiliaribus Legatos miſit, cui reſpondit Rex, Bithynos à Publicanis in ſervitutem majori ex parte abſtractos in Provinciis hic illic attineri. *Diodor. lib. 36. Egloga prima pag. 908.*

Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine Præfectorum vexati, à Mithridate deficiunt, fratremque Regis, & ipſum Ariarathem nomine, ab Aſia, ubi educabatur, revocant: cum quo Mithridates prælium renovat, victumque Cappadociæ regno expellit. Nec multò poſt adoleſcens ex ægritudine collecta infirmitate decedit. *Id. ibid. cap. 2.*

Poſt hujus mortem Nicomedes timens, ne Mithridates acceſſione Cappadociæ, etiam Bithyniam finitimam invaderet, ſubornat puerum eximiæ pulchritudinis, quaſi Ariarathes tres, non duos filios genuiſſet, qui à Senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoque Laodicen Romam mittit, ad teſtimonium trium ex Ariarathe ſuſceptorum filiorum. *Id. ibid.*

Quod ubi Mithridates cognovit, & ipſe pari impudentia Gordium Romam mittit, qui Senatui aſſereret, *puerum cui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Ariſtonici auxilia Romanis ferens cecidiſſet.* Sed Senatus videns Reges illos uſurpare regna aliorum ſub nomine Principum, quos falsò fingebant ex ſtirpe regia, ademit & Cappadociam Mithra-

dati, & Paphlagoniam Nicomedi donavit, ut Mithridates id facilius ferret, & ne Reges injuriam ſibi illatam crederent, ſi darentur aliis regna quæ illis adempta erant, uterque populus libertate donatus eſt. *Id. ibid.*

Sylla Prætor Provincialis Aſiam ſortitus, in eam cùm adveniſſet, Nicomedem Epiphanem Pylæmeni Cappadociam, cui eam ademerat, ex S. C. reddere compulit.

Denique Nicomedes poſt 57. regni annos, Socratis filii inſidiis è vivis tollitur: quod nefandum facinus ita deteſtati ſunt Bithyni, ut eum è regno expulerint, & Nicomedem è Nuſa genitum Regem appellarint, qui ex S. C. confirmatus eſt: Socrates verò ad Mithridatem confugit. *Memnon cod.* 32.

Interfectus à proprio filio, pœnam talionis luit, paſſus à filio, quod ipſe in patrem commiſit; equus verò ejus, ipſo defuncto, inediâ vitam finivit. *Plin. lib.* 8. *cap.* 42.

Nicomedi verò Epiphani uxor fuit nomine Conſinge. *Plin. lib.* 8. *cap.* 40.

NICOMEDES III.

# NICOMEDES III.

## REX BITHYNIÆ X.




*In muſæo Ill. Harlæj Pr. gnalis.*
*Ex num. arg. tetradrag.*

NICOMEDES III. Nicomedis Epiphanis filius, ex Nuſa quam ſaltatricem appellat Mithridates Eupator *in Orat. ad Milites apud Juſtinum lib.* 38. *cap.* 4. Poſtquam à Populis Socrates cognomine Κρηστὸς ap-

pellatus, ob cædem parenti illatam è regno expulſus eſt, & ad Bithyniæ principatum vocatus eſt.

Quidam aiunt Nicomedem filium tunc Romæ degentem, cùm ad Senatum pervenit hoc nuntium, & ab illo tunc ex S. C. Bithyniæ Regem eſſe nominatum. Ille ut ex S. C. in regno paterno eſt confirmatus, ſibi cognomen Philopatoris impoſuit; ut mortem patris ſe vindicaturum demonſtraret, ſic *Amans patrem* dici voluit. *Appian. ibid. pag.* 175.

Mithridates Eupator, ad quem fugerat Socrates, ubi vidit Nicomedem qui avitum Bithyniæ regnum ex Senatus-Conſulto acceperat, fratrem ipſius cum exercitu miſit Socratem Chreſtum cognomine, id eſt frugi, qui regnum hoc ſibi uſurpavit. *Appian. Mithrid. pag.* 176.

Cùm regno pulſus Nicomedes ſupplex Romam veniſſet, Romani eum ſimul & Ariobarzanem in ſuum quemque regnum reſtituerunt. Legatione ad hoc miſſa, cujus Principes erant Manius Aquilius Conſularis ac triumphalis, & Manius Acilius Prætorius, juſſiſque adjutare L. Caſſio, qui *Prætor Provincialis* Aſiam Pergamenam obtinebat cum exercitu exiguo, & hoc ipſo Eupatore: verùm is propter controverſum jus Cappadociæ & ablatam ſibi nuper ab ipſis Romanis Phrygiam, nihil juvit. *Id. ibid. & pag.* 177.

Licet Mithridates ipſe in oratione quam Trogus Pompeius commemorat, Regem Bithyniæ Chreſtum à ſe in gratiam Romanorum occiſum fuiſſe affirmet. *Juſt. lib.* 38. *cap.* 5.

Caſſius & Manius cum Caſſiano milite, aliiſque contractis è Gallia-Græcia Phrygiaque, reduxerunt Ni-

comedem in Bithyniam, Ariobarzanem in Cappadociam: moxque ambobus ſuadebant ut vicinam Mithridatis ditionem incurſionibus vexando materiam belli quærerent, oſtendentes ſpem auxilii. Neuter tamen vicinum tam potentem laceſſere annis auſus eſt. *Appian. pag.* 177.

Nicomedes, qui magnam pecuniam pro reſtitutione Ducibus & ipſis Legatis ex pacto debebat, magnam etiam aliàs à Romanis Aſiaticis ad uſuram acceperat, quæ tum repetebatur, invitus in ditionem Mithridatis irrupit, & uſque Amaſtrim urbem populatus eſt, nemine vetante occurrente-ve; nam Mithridates, quamvis paratas haberet copias, tamen cedebat, ut multas juſtaſque cauſas belli haberet. *Id. ibid.*

Ubi verò Nicomedes cum magna præda domum rediit, Mithridates Pelopidam miſit ad Romanos Duces Legatoſque, non ignarus ipſos bellum appetere & incurſionis ejus cauſam fuiſſe; diſſimulabat tamen captans plures honeſtioreſque futuri belli cauſas, ſuam ac paternam ſocietatem amicitiamque commemorans. *Id. ibid.*

Legati Nicomedis culpam in Mithridatem, à quo primùm injuriæ initium ſumpſerant rejicientes, reſponderunt illum jamdudum à Mithridate appetitum inſidiis, cùm Socratem armis in regnum induceret, quieturum alioquin & ceſſurum ætati fratris majoris. Hunc, inquit legationis Princeps, Mithridates concitavit adverſus eum, quem Senatus Populuſque Romanus conſtituit Regem Bithyniæ. *Id. ibid. pag.* 178.

Romam Mithridates Legatos miſit, petens à Romanis, ut ſi Nicomedem pro amico haberent, vel

perſuaderent, vel cogerent hominem ex æqui juſtique ratione ſecum agere: ſin autem hoſtis ulciſcendi poteſtatem ſibi facerent, Romani non modò nihil eorum egerunt, quæ volebat; ſed etiam minas addiderunt, ut Cappadociam Ariobarzani reſtitueret, pacemque cum Nicomede coleret. *Dio Legat.* 31. *vel* 32.

Interim verò Pelopidam ad Romanorum Duces Mithridates ablegavit, ut eis ſignificaret ſe Legatos queſtum de illis ad Senatum miſiſſe, & ut ibi ad cauſam dicendam adeſſent, denuntiaret; neve quicquam abſque communi Senatûs Populique Romani decreto inciperent. Cujus oratio quoniam viſa illis inſolentior, juſſerunt Mithridatem abſtinere à Nicomede & Cappadocia, Pelopidam autem ſtatim caſtris excedere, & niſi Rex juſſa faciat, non redire ampliùs. *Id. pag.* 179. & 181.

Moxque non expectata de tanto bello Senatûs aut Populi Sententiâ, colligebatur exercitus è Bithynia, Cappadocia, Paphlagonia, Gallo-Græcia. Ut verò & propius L. Caſſii exercitus cum quo Aſiam obtinebat, ſatis inſtructus eſt, & auxilia convenere omnia; diviſis copiis Caſſius caſtrametatus eſt in confinio Bithyniæ Gallo-Græciæque; Manius quà tranſitus patebat Mithridati in Bithyniam: tertius Dux Q. Oppius, in finibus Cappadociæ cum quadragenis peditum equitumque millibus: habebant & claſſem, cui Minucius Rufus & C. Popilius præerant, ad oris Ponti cuſtodiam; juvabat eos & Nicomedes cum peditum quinquaginta, equitum ſex millibus. *Id pag.* 181.

Mithridates in exercitu proprio habebat 250. peditum, 40. equitum millia, 300. naves tectas, 100. di-

crota; inter auxilia verò Arcathias ipſius filius adduxerat ex Armenia minore 10. equitum millia. *Id. ibid.*

Ut verò ad Amniam fluvium in latis campis conſpexerunt ſe Nicomedes & Duces Mithridatis, inſtruxerunt acies; Nicomedes omnes ſuos, Neoptolemus & Archelaus expeditos tantùm, & equites Arcathiæ, & currus aliquot: nam Phalanx adhuc erat in itinere. Eminebat campis ſaxoſus tumulus, quem miſſis eò paucis occuparant, ne circumvenirentur à Bithynis numero longè ſuperantibus: ex quo ſuos depulſos videns Neoptolemus, tantò magis circumventionem metuens, feſtinùs ſuccurrit, accito ſimul Arcathia. *Id. pag.* 182.

Id animadvertens Nicomedes occurrit, moxque cruentum certamen commiſſum eſt. Tandem Bithynus connixus, hoſtes propulſos fugabat, donec Archelaus à dextro cornu tranſcurrens, perſecutores invaſit: quibus mox in eum converſis cedebat paulatim, ut Neoptolemus cum ſuis poſſet ſe è fuga recipere: quod ubi factum cogitavit, in pugnam revertit. *Id. ibid.*

Tum verò immiſſi in Bithynos falcati currus magno impetu, alios in duas, alios in plures partes lacerabant: quod maximè illos terruit, dum vident dimidiatos viros ſpirantes adhuc, aut in multa fruſta diſcerptos, aut artus pendentes à curribus, ut fœditate magis ſpectaculi, quàm pugnâ victi turbarint præ metu ordines. Turbatos Archelaus à fronte, Neoptolemus & Arcathias è fuga reverſi, à tergo aggreſſi ſunt: illi in utroſque obverſi diù repugnârunt. Tandem poſt magnam ſuorum ſtragem Nicomedes fugit cum reliquis in Paphlagoniam, militeſque Mithridatis caſtris & pecuniis ſunt potiti. *Id. ibid.*

Tunc Nicomedes prope Manium caſtra admovit; Mithridates Scorobam montem aſcendit, qui eſt Bithynorum & Ponticorum confinium. Hujus antecurſores 100. equites Sarmatæ, cùm fortè offendiſſent 800. Nicomedis equites, ceperunt ex eis aliquot: hos Mithridates remiſit in patriam cum viatico. *Id. ibid. pag.* 183.

Manium retrocedentem Neoptolemus & Nemanes Armenius, circa primum Pachium vicum aſſecuti horâ ſeptimâ, cùm abiiſſet Nicomedes ad Caſſium, coegerunt pugnare ducentem equitum 4000. peditum verò decuplum; cæſiſque decem millibus, trecentos vivos ceperunt. Manius caſtra quoque amiſit; ipſe fugiens ad Sangarium fluvium, noctu eum trajecit & evaſit in Pergamum. *Id. ibid.*

Caſſius Nicomedeſque & cæteri quotquot Legati Romani aderant, moverunt caſtra in Leoncephalen, quod eſt Phrygiæ caſtellum munitiſſimum, ubi novitiam tironum multitudinem collectam ex opificibus, aut agricolis, aut plebe infima; in armis exercebant, & novos ex Phrygia delectus faciebant; ſed cùm utrique pigri eſſent ad officium, noluerunt amplius facere negotium viris imbellibus, dimiſſiſque omnibus receſſerunt. Caſſius Apameam cum ſuis copiis, Nicomedes Pergamum, Marius verſus Rhodum. *Id. ibid.*

Quæ ubi audierunt oris Ponti cuſtodes, diſperſi ſunt, clauſtris Ponti & Nicomedis navibus Mithridati traditis; ille uno impetu potitus tota Nicomedis ditione, obibat eam, civitates conſtituens & ordinans: Nicomede verò in Italiam ſe ſubducente. *Id. ibid. Memn. cap.* 33.

His Romæ auditis, expeditionem contra Mithridatem decrevit Senatus, etſi bello Italico & domeſticis ſeditionibus Romani eſſent occupati; cùmque Provincias ſortirentur Conſules, Aſia Cornelio Syllæ obvenit, ſimulque bellum Mithridaticum. *Velleius Paterculus lib. 2. cap. 17. 18. 19. Appianus Mithrid. pag.* 184.

Mithridates Aſiâ potitus, poſtea Archelaus Mithridatis Dux in Græciam cum claſſe miſſus eſt. *Appian. pag.* 188. Sylla verò ex Italia cum Nicomede qui eum ſequebatur, tranſvectus in Græciam, contra Archelaum tranſiit in Atticam. *Id. ibid. pag.* 190.

Valerius Flaccus Proconſul in Aſiam mittitur, ut Syllæ in bello Mithridatico gerendo ſuccedat. Ipſe autem rei bellicæ ignarus C. Flavium Fimbriam Legatum ſibi aſſumit, ipſum in Bithynia apud Nicomediam interfecit; & occupato exercitu Imperator appellatus, aliquot præliis non improſperè pugnavit cum Mithridatis filio, ipſumque Regem compulit intra Pergamum, & indè profugum inſecutus, apud Pitanem obſedit. *Id. ibid. pag.* 204. *&* 205.

At Mithridates poſtquam etiam ad Orchomenium cladem acceptam audivit, ſcripſit Archelao, ut faceret pacem quàm honeſtiſſimam, qui cum Sylla congreſſus ad colloquium, & pacis conditiones propoſuit, quas, dimiſſo ad Regem Archelao, ut acciperet ſcripſit. *Id. ibid. pag.* 207.

Cùmque Legati à Mithridate reverſi cætera probarènt, ſolam excipientes Paphlagoniam, poſtea Sylla vere tranſiit per Helleſpontum in Aſiam. Mithridates à Pergamo obviam venit, ambobus cum exiguo comitatu in campum progreſſis, inſpectante utrimque

exercitu. Ibi Mithridates inter alias res fatus eſt, diſſimulatâ Nicomedis violentiâ, cui reſpondit Sylla occaſione iſtius Regis: Nicomedes queritur, te autore & corpus ſuum ferro ſauciatum ab Alexandro, & regnum à Socrate Chreſto invaſum, ſeque laceſſitum his injuriis, fines tuos ingreſſum cum exercitu: attamen ſi te læſum putabas immeritò, debueras Legatos Romam mittere & reſponſum expectare. *Id. ibid. pag.* 208.

Iracunda Syllæ oratione territus Mithridates, conſenſit in leges pacis datas Archelao. Mox Nicomedem & Ariobarzanem accivit, controverſiiſque eorum cum Mithridate diremptis, Curionem juſſit ut Nicomedem & Ariobarzanem in propria regna reduceret, & Mithridates ad ſolum paternum regnum reverſus eſt. *Id. ibid. pag.* 210.

Sylla L. Murenam ad ordinandas res in Aſia Prætorem reliquit, additus eſt L. Lucullus Proquæſtor, Murena verò triumphi cupidine mox pacem cum Mithridate fregit. *Appian. ibid. pag.* 213.

Licinius Murena Proprætor, Aſiam prolato Syllæ juſſu, imperio obtinuit, & bellum cum Mithridate continuavit. Quo nuntio Romam perlato, Sylla indignum cenſens fœderatum infeſtari, A. Gabinius miſſus eſt in Aſiam, qui ſeriò Murenæ denuntiaret, abſtineret arma à Rege, & Mithridatem cum Ariobarzane reduceret in mutuam gratiam. *Id. ibid. pag.* 215.

Nam ſolus bello à Mithridate impetebatur, & Ricomedes in Bithynia quietus pace fruebatur: interea Murena à Sylla revocatur, & finire cœpit ſecundum cum Mithridate bellum. M. Minucius Thernius

Prætor

Prætor extra ordinem à L. Sylla tunc Dictatore in Aſiam miſſus, ut Murenæ ſuccederet; Julius Cæſar annorum novemdecim natus, ſtipendia prima fecit in Aſia ſub eo, à quo in Bithyniam miſſus ad accerſendam claſſem, deſedit apud Nicomedem, non ſine rumore proſtratæ Regi pudicitiæ: quem rumorem auxit inter paucos rurſus dies repetita Bithynia, pecuniæ exigendæ prætextu, quæ deberetur cuidam libertino clienti ſuo. *Sueton. in Julio cap.* 2.

Ipſe Cæſar in oratione quam pro Bithyniis habuit, ſic loquitur: Vel pro hoſpitio Regis Nicomedis, vel pro horum neceſſitate, quorum res agitur, defugere hoc munus non potui. *Aulus Gel. Noct. Att. lib.* 5. *cap.* 13.

Nicomedes, Nicomedis filius, tandem mortuus eſt, poſtquam regnaſſet annos 17. Eutropius quidem refert L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta Coſſ. *lib.* 6. Alii ſine liberis hæredem teſtamento Populum Romanum reliquiſſe ſcribunt: alii præterito filio proprio narrant; Salluſtius verò ait poſtremo. Totam Bithyniam Nicomede mortuo, diripuere Romani, cùm filius Nyſæ quem Regem appellaverant, genitus haud dubiè eſſet. *Lib.* 4. *in Epiſt. ad Arſacem.*

Ille videtur eſſe de quo Suetonius *in Julio*, quondam etiam in Senatu defendenti Nyſæ cauſam, filii Nicomedis, beneficiaque Regis in ſe commemoranti. Non ignoro plurimos MSS. habere Filiæ, ſed Torrentius Lævinus *Comment. in Sueton. num.* 49. ſe pariter vidiſſe unum in quo Filii. Unde dubium reliquit, cùm fragmenta Salluſtii ſuperiora id affirmare videantur.

Mox poſt Nicomedis ultimi mortem & allatum in urbem teſtamentum in anni V. C. 679. finem, Bi-

thynia redacta eſt in Provinciam, & hujus adminiſtratio videtur Aſiæ Proconſuli commiſſa, qui hoc tempore M. Junius ex Plutarcho vocabatur *in vita Julii Cæſaris*. Junio cognomen erat Silanus.

A. Pompeius, quod in Provinciæ formam ex decem Legatorum ſententia, Bithyniam redegerit, Bithynici cognomen inde retinuit, teſtibus Livio, Appiano & Eutropio, hoc etiam confirmatur à Feſto *in voce Rutrum*, qui narrat hoc anno omnem ſupellectilem Regiam, teſtamento Romanis relictam divexiſſe Romam.

Anno deinde ſequenti 680. M. Aurelius Cotta Conſul miſſus eſt, ut eam tueretur contra Mithridatem qui tertium bellum Mithridaticum & ultimum inchoavit.

Quot fuerint in Bithynia Reges; undecim nominat Memnon, ad octo tantùm reducit Georgius Syncellus, initium ſumens à Zipœte, illius patrem Biantem non referens in Regem, quoniam, inquit Alex. Tollius *in not. ad Appianum*, non à patre per ſucceſſionem acceperat Regis nomen, ſed primum ἔπαρχος dictus, *pag.* 172. ſed illi Reguli ſic ut plurimum appellabantur hoc tempore.

Appianus tres in fine Reges nomine Nicomedes, primum Epiphanem, ſecundum Philopatorem, tertium Nicomedem, qui teſtamento Populum Romanum ſcripſit hæredem, ſed corruptus in ejus textu videtur; nam Nicomedes Philopator quem nominat, à Senatus-Conſulto non confirmatus, ſed ille qui regnum Romanis teſtamento reliquit. Duo tantùm Nicomedes poſt Pruſiam Venatorem regnaverunt, & ſi ex Appiano Philopator fuit Epiphanis filius, hoc cognomen accepit ultimus quod amaret patrem, quem

Socrates frater interfecerat. Porro illius numiſmata hactenus non occurrerunt, in quibus forſan illud exaratum reperiretur.

Quot annos regnaverint Reges Bithyniæ, ſi à Dædalſo computemus, uſque ad mortem ultimi Nicomedis, erunt anni 308. circiter. Hæc autem habet Georgius Syncellus, οι Βιθυνῶν Βασιλεῖς ὁ κατα Διονύσιον ἔντεν ἤρξαντο διαρκεσάντες ἔτη C. I. Γ. *Reges Bithynorum 8. ſecundum Dionyſium, à quo cœperunt in annos 213. duravere.*

Sincellus videtur à Biante numeraſſe, cùm non ſint in fine tres Nicomedes, ſed tantùm duo: ſic Bias erit primus.

# STEMMA
## REGUM BITHYNIÆ.

DIDALUS.

|

BOTYRAS.

|

BYAS.

|

ZIPOETES.

|

NICOMEDES I.

|

ZELAS.

|

PRUSIAS I.

|

PRUSIAS II.

|

NICOMEDES II.

|

NICOMEDES III.

# BITHYNIA

## ROMANORUM PROVINCIA.

BITHYNIA à Nicomede ſine liberis defuncto teſtamento relicta Populo Romano, Provincia facta eſt, & ſub Aſiæ Proconſulatu adjecta, cui præerat M. Junius Silanus; quòd ubi accepit Mithridates ſocietate cum Sertorio, qui Hiſpaniam occupaverat, inita, vere ineunte in Paphlagoniam properavit: ubi in eam ventum eſt, Rex concione magniloqua ad milites habita, irritato contra Romanos exercitu, invaſit Bithyniam. *Appian. Mithrid. pag.* 218.

L. Lucullus & M. Cotta Conſules erant hoc anno; priori bellum hoc tertium Mithridaticum demandatum eſt; poſterior multis precibus à Senatu obtinuit, ut cum claſſe ad Propontidem tuendam & Bithyniam protegendam mitteretur. *Plutarch. in Lucullo pag.* 495. Atque ita ambo ad bellum hoc ſunt juſſi, ut alter Bithyniam tueretur, alter in Aſia Mithridatem proſequeretur. *Cicero pro Murena.*

Concitato Mithridates itinere per Timonitidem, Cappadociam & Galatiam pergens, ad diem nonum

Bithyniam attigit; Lucullus interim Cottam in Chalcedoniorum portu ſtationem habere juſſit cum omni claſſe. *Memnon cap. 39.*

Mithridatis claſſis Heracleam in Ponto perlegit, & Rex tandem ad Cottam pervenit, qui multis nuntiantibus Lucullum adventare & jam in Phrygia caſtra habere, exiſtimans triumphum ſe tantum non in manibus tenere, ne conſors ejus Lucullus foret cùm Mithridate maturavit dimicare. *Plutarch. ibid. pag. 496.* Varius & Eumachus Duces à Mithridate adverſus Lucullum miſſi, magno exercitu brevi congregato cum P. Rutilio *M. Cottæ Legato* apud Chalcedonem congreſſi ſunt, eumque cum plurima ipſius parte cæciderunt. *Oroſ. lib. 6. cap. 1. pag. 578.*

Mithridates Chalcedonem petente, quo Romani undique ad Cottam confluxerant, Cotta negotiis bellicis minime aſſuetus non prodiit: ſed claſſis ejus Præfectus, nomine Nudus, cum exercitûs parte campum occupavit, quâ erat munitiſſimus, pulſuſque indè refugit ad portam Chalcedonis, laboriosè multa ſepta ſuperans, & in ipſa porta ſimul irruentium ea fuit compreſſio, ut perſecutores nullum telum in eos fruſtra mitterent: ut verò portæ cuſtodes dimiſerunt Clathros præ metu, Nudum & aliquot alios Præfectos ſubduxerunt funibus: reliqui amicos inter & hoſtes trucidati ſunt, incaſſum manus tendentes ad utroſque. *Appian. Mithrid. pag. 218. & 219.*

Mithridates utendum fortuna ratus, eadem die claſſem ad portum admovit, perruptaque in ore portus catena ferrea, quatúor naves hoſtiles incendit, reliquas 60. ligatas ad puppes ſuarum abſtraxit, nec

Nudo prohibente, nec Cotta, qui ſe continebant intra mœnia. *Id. pag.* 219. Afflictus terra marique, præter 60. naves cum ipſis viris, terra peditum 4. mill[i]a amiſit. *Plutarch. in Lucul. pag.* 496.

Atque hoc fuit prælium ad Chalcedonem, quo M. Aurelius Cotta Conſul victus eſt. *Lucius lib.* 91. Quæ Cottæ res & terra & mari calamitoſæ, vehementer & opes Regis & nomen auxerunt. *Cicero pro Murena.*

Sed Lucullus ad Sangarium fluvium caſtra habens, percuſſos militum animos verbis erexit. *Memnon cap.* 41. Ut verò Rex Cyſicum obſidione cinxit, Lucullus legionem ex Chalcedone abduxit, ad quam duabus Fimbrianis & aliis duabus adjunctis cùm in univerſum haberet triginta millia peditum, & mille ſexcentos equites, circa Cyzicum caſtra cum Mithridate contulit. *Appian. pag.* 219.

Mithridates urbis obſidionem ſolvere coactus, per mare noctu cum claſſe abiit, terreſtres copiæ ſe Lampſacum recepere: Lucullus eas obſeſſit, quas Rex claſſe illuc miſſa tranſportavit Nicomediam, & reliquit 50. naves cum 10. M. ſelectorum militum Ducibus ſuis. *Id. pag.* 222.

Lucullus poſtquam terra geſſit rem proſperè, naves ex Aſia contractas ſuis Legatis diſtribuit. Ex his Triarius in Apameam appulſus, diu à ſe obſeſſam, tandem intromiſſus eſt; & Apamenorum, in fanis ad quæ confugerant, magnam cædem edidit: Barba robuſtam Italorum manum adducens, Pruſiadem ſub monte Olympo ſitam, potentiſſimam civitatem captam expugnatamque Romanus exercitus cepit. Hinc Pruſiadem, mari impoſitam, Triarius cum exercitu petiit, ut urbi appro-

pinquavit, facilè Pruſienſes eum receperunt, Ponticis ejectis. Nicæam deindè, quam Præſidium Mithridatis tenebat, ventum eſt. Pontici verò intellecto cives animis ad Romanos propendere, noctu ſe ad Mithridatem Nicomediam ſubduxerunt. Romani igitur ſine moleſtia urbem ſuæ poteſtati ſubjecerunt. *Memnon cap.* 43.

Lucullus mari Varium, Alexandrum & Dionyſium Mithridatis Duces circa Lemnum adeptus, in deſerta inſula concitatis navibus contemptim in eos invectus eſt, & vicit & fugavit: tres illi Duces in ſpeluncæ latebris capti ſunt. De ſuis rebus geſtis ad Senatum miſit laureatas litteras, ut mos eſt victoribus: ipſeque properavit in Bithyniam. *Appian. ibid. pag.* 223. Sic illa in poteſtatem populi Romani rediit, & videtur Aſiæ Proconſulatui ſubjecta eſſe.

Mithridates relictâ Bithyniâ Pontum petiit, quò illum inſecutus eſt Lucullus, urbes illius cepit, prælio profligavit, & Pontum penitus occupavit.

Cotta in Bithynia manens, Heracleam obſidione cinxit, Bithynis plurimis cum Romanis adjunctis; ſed cùm Heraclienſes ſtrenuè urbem tuerentur, obſidionem ſolvere cogitant: indè omni circa eam regione devaſtata, in magnam cives difficultatem coegit. *Memnon cap.* 51. Agros Heracleæ populatus Cotta, muros iterùm adortus, eam cepit. *Id. cap.* 54. Poſtea Teio & Amaſtri urbibus per Triarium receptis, Cotta pedeſtres copias unà cum equitatu Lucullo tradidit, & ſociorum auxilia, in ſuam quæque patriam, dimiſit. Ipſe verò cum claſſe abiit. *Id. Ibid.* Romam Cotta reverſus, honore à Senatu affectus eſt, & *Pontici* cognomine,

quod

quod Heracleam cepiſſet, nobilitatus. *Id. cap.* 61.

Scripſerat ad Senatum Lucullus confectum à ſe fuiſſe bellum Mithridaticum, ideò M. Acilio Glabrioni Proconſ. decreta eſt Bithynia, adveneruntque ad res Ponti componendas, ſicut pacatas Legati. *Plut. in Lucul. Dio lib.* 36. *pag.* 21. Qui cùm advenerunt, offenderunt, ne ipſum quidem ſui juris eſſe & à militibus haberi ludibrio. *Plutarch. in Pomp. pag.* 631.

Cùm Piratæ omnia maria intercipientes, navium commeatus, Inſulas & Provincias vaſtabant. *Plut. in Pompeio pag.* 631. Lege Gabinia Pompeio ad triennium maris imperium delatum eſt, & inter Legatos quos ad Piratas expellendos Senatus miſit, Bithynia & Thracia L. Piſoni commiſſa eſt. *Florus lib.* 3. *cap.* 6.

Adveniens in demandatam ſibi Provinciam Glabrio Conſul, dimiſſis circa populos præconibus pronuntiavit Lucullum incuſari à Senatu, quòd bellum diutiùs juſſo protraheret: proindè Senatum miſſum facere ejus exercitum, quibus ad exercitum perlatis mox diffluebant ejus milites, exceptis paucis. *Appian. ibid. pag.* 233. Sicque propè totum regnum Mithridates recepit: neque Lucullo obſtante, neque ipſo Glabrione defendente. Is enim cùm priùs feſtinaſſet, ut victoriam Lucullo præriperent: ubi tum quæ acta eſſent reſcivit, ne ad exercitum quidem venit, ſed in Bithynia tempus traxit. *Dio lib.* 35.

M. Cotta cùm Quæſtorem ſuum P. Oppium, quem peculatus & inſidiarum ſuſpectum habebat, repudiaſſet: ipſe autem quòd magnam vim pecuniæ ex Bithynia corraſiſſet, à C. Carbone Tribuno Plebis accuſatus eſt. *Dio lib.* 36. *pag.* 20.

Pompeius adhuc erat in Cilicia, cùm Manilius Tri-

bunus Plebis ei lege lata bellum contra Tigranem ac Mithridatem, tùm Bithyniæ & Ciliciæ adminiſtrationem ſimul decrevit. *Id. ibid. pag.* 21.

Pompeius cùm in Galatiam veniſſet, & Lucullus obviam factus eſt, inter quos maxima exorta ſunt jurgia. Pompeius ei militibus tantùm 1600. ad triumphum relictis, alios abduxit, poſtea Lucullus Romam abiit. *Plutarch. in Lucul.*

Mithridate interfecto, confectoque bello Mithridatico à Pompeio, Bithyniæ Pontus eſt adjectus, & una facta Provincia. *Strab. lib.* 12. *pag.* 541. Bithynis verò & Ponticis leges & jura conſtituit Pompeius. De quibus Plinius poſtea Bithyniæ Prætor meminit *in Epiſt. ad Trajanum lib.* 10.

Silano aut Murenæ Coſſ. Bithyniam cum Ponto, ut unus eſſet Conſularis exercitus in Aſia, apud novas Provincias nondum aſſuetas & vicinis regulis undique cinctas ſuſpicatur *Vin. Pighius lib.* 16. ad annum V. C. 693.

P. Clodius Tribunus Plebis legem tulit de Provinciis Conſularibus, inter quas non enumerata Bithynia, videtur ipſa eſſe Prætoria, licet Rector in nummis nominetur Ανθυπατος; idque contigit anno V. C. 694.

Dio narrat C. Carbonem qui accuſaverat peculatu M. Cottum Proconſulem Bithyniæ, *de quo ſupra.* Etſi præter Tribunatum Plebis, honorem alium nullum geſſerat, ob id Conſularibus exornatum eſſe, atque ipſum deindè cùm Bithyniam Provinciam obtineret, & nihilominus quam à Cotta peccaſſet, ab ejus filiò vice verſa in judicium tractum, reum peractum fuiſſe. *Lib.* 36. *pag.* 20. & 21. Sed quo tempore Bithyniam adminiſtrarit, non refert.

C. Papirii Carbonis nummus à Nicæenſibus Bithyniæ percuſſus, in quo legitur ex una parte ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟϹ, cum caduceo clavæ inſerto; & ex altera ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΒΚΣ, id eſt anno 222. cum vaſe dioto: nos illum Bithyniæ Rectorem fuiſſe confirmat, ſed epocha illa Nicæenſium à primo Nicomedis Zipœtis filii regni anno deſumpta anno V. C. 473. reſpondens, Carbonem illi Provinciæ præfuiſſe nos edocet V. C. 695.

Non abs re erit ſi alius hic producatur mediocris formæ Carbonis nummus, in ejus Bithyniæ Provinciæ adminiſtratione ab Bithynienſibus ejus Provinciæ urbis populis, in cujus averſa parte exaratum eſt, ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ ΡΩΜΗ, Roma ſedens dextrâ victoriolam gerit; ex antica verò ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ, cum Bacchantis corona hederacea redimitæ caput.

C. Memmius Gemellus, qui majeſtatis quæſtionem anno V. C. 696. geſſerat, & quem inter amicos ſibi nominat Cicero *in Epiſt. ad Q. fratrem*, anno 697. Bithyniam & Pontum ſortitus Provinciam obtinuit, & ſecum in illam C. Valerium Catullum Poetam comitem duxit, ut ipſe Catullus meminit *in Hendecaſ. ad Verannium & Fabulum.*

Repetundarum ex Bithynia reus à Julio Cæſare accuſatus eſt Memmius per litteras, dum Lucæ hibernaret, ut ex Gellio eruitur, qui ex illius oratione pro Bithyniis illud inſinuare videtur; abſolutum tamen illum indè conſtat, quod Conſulatum poſtea petierit.

P. Silius Nerva Prætor fuit Bithyniæ ex S. C. & lege Pompeia an. V. C. 704. cùm Cicero Proconſul

rexit Ciliciam, Bibulus Syriam, Thermus Aſiam. Illi T. Pinnium commendat Cicero *lib. Famil.* 13. De hoc ipſo loquitur *ad Atticum* 12.

C. Calviſius Sabinus Prætor Bithyniam & Pontum ex S. C. & lege Pompeia obtinuit, cum Pharnace Mithridatis filio bellum geſſit, qui Sinopen ceperat & Amiſum Ponti urbem oppugnabat, quo tempore Pompeius & Cæſar inter ſe conflictabantur; Amiſum tunc Pharnaces obtinere non potuit. *Appian. bello civil. pag.* 465.

Cùm Pompeius copias per annum integrum comparaſſet, inter alias Provincias Bithynia numeratur illi milites ſuppeditaſſe. *Cæſar de bel. civil. lib.* 3. *in initio.*

A. Plautius Bithyniam & Pontum rexit Provinciam ejus. *Cicero Ep. Fam. ad Plancum* 29. cùm Cæſar in eam venit.

Pharnaces Bithyniam Cappadociamque occupavit, Domitio Calvino Cæſaris in Aſia Legato devicto, dum Cæſar in Ægypto poſt Pompeii necem detinebatur. *Plutarch. in Cæſare pag.* 731.

Cæſar rebus in Ægypto conſtitutis contra Pharnacem advenit; quo in Armenia minore victo, Provincias Aſiæ minoris ordinavit, & Comana Cappadociæ: ibi antiquiſſimum Bellonæ templum eſt conditum, cujus ſummum Sacerdotium homini nobiliſſimo Nicomedi Bithynio Socratis filio, Nicomedis Epiphanis Regis nepoti, adjudicavit; qui regio Cappadocum genere ortus, jure minimè dubio, vetuſtate tamen intermiſſo, illud repetebat. *Hiſt. de bel. Alexandri circa finem.*

Itaque Cæſar his peractis, per Gallo-Græciam Bi-

thyniamque in Aſiam iter fecit, omniumque earum Provinciarum de controverſiis cognovit & ſtatuit. *Id. ibid.* Gorduccome Bithyniæ urbe reſtaurata, illam de nomine ſuo cives Juliopolim appellavêre:ea eſt exigua & in capite Provinciæ verſus Phrygiam ſita eſt. *Plin. lib.* 10. *Epiſt.* 81.

P. Furius Craſſipus gener Ciceronis, qui poſt Piſonis Frugi mortem nupſit Tulliæ filiæ, Bithyniam adminiſtravit, ut ipſe teſtatur *Famil. lib.* 13. *Ep.* 9. qui illi amicos ut Bithyniæ ſocios commendat an. V. C. 708.

Q. Marcius Criſpus appellatur Prætorius à Velleio Paterculo, ex Prætoribus quatuordecim, qui hoc anno facti ſunt à Julio Cæſare, cùm Magiſtratus minores augeret ex Suetonio, inter illos numeratur, ex Prætura Bithyniam obtinuit, cujus meminit Dio *lib.* 49. Anno ſequente contra Q. Cæcilium Baſſum L. Murio Proconſ. cum tribus legionibus auxilio venit. *Cicer. Philipp.* 2. *Vell. Paterc. lib.* 2.

Tullius Cimber ex ſedecim Prætoribus qui à Julio Cæſare erant, Bithyniam obtinuit: beneficii ab eo accepti immemor, unus fuit è conjuratis præcipuus; poſt patratam cædem clanculum, Senatu conſentiente, in Provinciam venit, ubi claſſem comparavit, cui Quæſtor ejus P. Turullius præfuit.

Anno inſequente, cùm Cimber, qui Bithyniæ tunc præerat, ad opem Caſſio ferendam properaret, Tarſenſes Tauri tranſitu prohibere conati ſunt: mox ejus clauſtra metu correpti deſerentes, quod multas cum Cimbro eſſe copias putabant, pactionem cum eo fecerunt: poſt intellecta ejus militum paucitate, neque

urbe eum receperunt, neque commeatum ei ſuppeditarunt. Itaque Cimber auxilium Caſſio ferre quàm Tarſum expugnare potius exiſtimans, caſtello ipſis objecto, in Syriam abiit. *Dio lib.* 47. *pag.* 347.

Huic Prætori Bithyniæ M. Tullio Cimbro ſpectare hunc nummum contendit, in quo ex parte capitis Cereris velatæ, ante quod duæ ſpicæ & epigraphe M. ΤΥΛΛΙΟΥ, & ex averſa ΤΡΥΜΕΝΟ ΘΥΡΕΩΝ; in aliis verò Auguſtæis habetur ΤΟΙΜΟΝ ΘΥΡΕΩΝ, quorum urbs Temonoſyræ inter Phrygiam majorem & Bithyniam; at Bithynia minor, & hoc tempore hac Provincia ut videtur collocata, Typus eſt Diana Epheſia, cujus in hoc tractu frequens cultus.

Poſtquam percuſſores Julii Cæſaris à Triumviris ad Philippos Macedoniæ urbem devicti ſunt, M. Antonius & Octavianus Cæſar Provincias Romanas inter ſe partiti ſunt, & Orientales à Sicilia Antonio obtigerunt: ille Pontum Provinciam ut avitum regnum Dario Pharnacis Boſphori Regis filio, magni Eupatoris nepoti, qui pro eo in Philippenſi prælio ſtrenuè ſe geſſerat; reddidit; & qui poſtea ab eo Bithyniæ præfectus fuit ignoratur: ſed, ut auguror, ſub Aſiæ Præfecto ſubjecta eſt.

Furnius Aſiæ præerat cùm Sex. Pompeius poſt navalem pugnam amiſſam contra Cæſarem è Sicilia in eam fugit, qui eum pacatè excepit: ſed poſtquam militum delectum faceret, à Furnio pro hoſte habitus eſt, & Lampſacum abivit Pompeius, & Furnius eum inſequitur, ſed primùm è caſtris excitus eſt. *Appian. civil. bell. lib.* 5. *pag.* 749. & 750.

Pompeius occupatis Nicæa Nicomediaque, pecunias luculentè colligebat, magnis per omnia & inſperatis ſucceſſibus. Titius ab Antonio ad quem litteras dederat miſſus advenit; & cùm ille non ſe committere vellet, amici & parentes Pompeium dereliquerunt, & ad Antonium tranſierunt: ille ab amicis deſtitutus ſeceſſit in Mediterranea Bithyniæ, petens, ut fertur, Armeniam, & fugiens, qui poſtea captus eſt & interemptus. *Appian. ſeq.*

Auguſtus, mortuo Antonio & Lepido privato facto, ſolus remanſit cum poteſtate ſuprema, & ut Romanum Imperium, ceu omnem Reipublicæ curam ſuſciperet rogatus, negavit ſe velle Provincias omnes adminiſtrare; ſed eas cum Senatu Populo Romano partitus, & inter illos Senatui Bithyniam cum Ponto regendam commiſit. *Dio lib.* 53. *pag.* 502.

Poſtea quando Auguſtus in Aſiam tranſiit anno 734. ad ordinandas Provincias, Aſiæ & Bithyniæ res conſtituit. *Id.* Plinius verò nos edocet illum ad leges Bithynis & Ponticis ſcriptas quædam edicta in quibuſdam Bithyniæ urbibus, nempè Nicomediæ, refert *lib.* 10. *Ep.* 33.

Granius Marcellus Bithyniæ Prætor accuſatus eſt majeſtatis & repetundarum ſub Tiberio Imperatore à Quæſtore ſuo Cæpione Criſpino, & damnatus eſt, teſte Tacito *Annal. lib.* 3. *pag.* 34.

Nummi antiqui P. Vitellium Bithyniæ Prætorem ſub Tiberio fuiſſe nos edocent, cùm ille Germanico oram Provinciæ ſuæ legeret, eos dedicavit: in parte antica exhibetur Germanici caput cum epigraphe ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, & ex averſa ΕΠΙ ΠΟ-

ΠΑΙΟΥ ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ ΑΝΘΥ Μ. ΝΙΚΟΜΗΔΡΩΝ, in area. Hic fuit patruus Auli Vitellii, poſtea Imperatoris Romani, & poſt geſtam Præturam ad Germanicam in Syriam abiit, cujus fuit Legatus. *Sueton. & Tacit.*

C. Cæcilius Cornutus Bithyniæ & Ponti Prætor ex numero Conſulari eximio indicatur nempè ſub Tiberio; ille habet ex una parte ΑΜΙСΟΥ urbis Ponti, in qua cuſus eſt cum capite Romæ galeatæ, & ex altera ΡΩΜΗ ΕΠΙΓΑΙΟΥ ΚΑΙΝΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ. Ipſa inſidens clypeis victoriam dextrâ tenet. Cornuti meminit. Tacitus, qui Prætorius accuſatus à Q. Vibii Sereni filio, quòd miniſtraſſet pecuniam patri ſuo, manu propria cecidit. *Annal.* 4. *pag.* 108.

Cadius Rufus Bithyniæ & Ponti Prætor, repetundarum accuſatus à Bithynis, damnatus eſt ſub Claudio Imperatore.

Junius Cilo, quem Tacitus Procuratorem Ponti appellat, cùm Mithridatem Boſphori Regem vexiſſet Romam, loco mercedis ei Conſularia inſignia ſunt decreta; in locum Cadii Bithyniæ Prætor factus eſt.

Poſtea cum Bithyni Junium Cilonem peculatu accuſarent, favente Narciſſo ſalvatus eſt. Nam jus dicente Claudio, multis clamoribus illum numerum ab eo haud mediocriter captorum reprobantes, cùm Claudius præ turba non intelligeret, quid vellent, aſſiſtentes interrogaret, quidnam dicerent Bithyni Narciſſum mentitum reſpondiſſe, agere eos gratiam Junio, idque credentem Principem ſubdidiſſe ferunt: præſit ergo adhuc eis biennium. *Dio lib.* 60. *pag.* 684.

Plurimos

Plurimos nobis exhibent antiqui nummi ſub Claudio Bithyniæ Prætores; ſed cùm Hiſtoriâ hujus temporis haud meminerint quot annos Provinciæ præfuerint, omninò incertum pronuntiare eſt, illos ordine ergò alphabetico hîc lubet exponere.

C. Cælius Balbus renuntiatur in Nicænenſium nummis, ex averſa Claudii capitis legitur, Γ. ΚΟΙΛΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΝΕΙΚ in area. De Cæliorum gente vide Glandorpium *in Nomaſt. Rom.*

A. Mindius Balbus ex Patrenſium nummis in Achaia Prætor ſub Claudio fuiſſe videtur. Alii verò poſtea Bithyniæ Prætorem ſub eodem Principe nominatum eſſe nos edocent, cùm in iis ex una parte caput Claudii percuſſum ſit; & ex altera A. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ, circa ambitum ΜΗΤΡΟ ΝΕΙΚΟ in area: quod confirmat alter nummus Britannico Claudii filio ſignatus cum ejus effigie; & in parte poſtica, ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ ΑΝΘΥ ΝΕΙΚΟ ΜΗΡΟΠΟΛΕΩΝ, cum trireme, ſupra quam caput ipſius Britannici galeatum. Quis fuerit ille Mindius Baſſus ignoratur.

Firmus etiam Bithyniæ Prætor extat in Claudii nummis, in cujus averſa parte, ſcriptum legimus ΕΠΙ ΦΙΡΜΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ; circa ambitum, ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΝΕΙΚΟ, in area. Cùm illius Prætoris tantùm extat cognomen, ad quam gentem pertineat, Hiſtoria non edocet.

Claudius Polienus Pruſæ domum Claudio Cæſari ligavit, juſſitque; in periſtylio templum ei fuit. *Plin. Ep.* 37. *lib.* 10.

Gellius Ruufus etiam Bithyniæ Prætor perhibetur in cariſſimo ex prima forma nummo, Meſſalinæ Claudii

uxori, in quo ab una parte legitur ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΑ ΗΡΑ, *nova Juno :* & ex parte poſteriori, ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΝΕΙΚΑΕΩΝ, cum ædificio pulcherrimo, veluti porticu.

C. Petronius apud Tacitum dicitur Proconſul Bithyniæ, & mox Conſul *anno* 813. vigentem ſe ac parem negotiis oſtendit : deindè revolutus ad vitia, ſeu vitiorum mutationem, inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, niſi quod Petronius approbaviſſet. *Ann. lib.* 16. Pighius corrigendum exiſtimat, ubi Bithyniæ apud Tacitum legendumque Britanniæ. *lib.* 18. *pag.* 595. Claudius autem Bineltus & Janus Donſa, *ad Henr. Steph. notat.* in priori ſunt ſententia.

Tarquitius Priſcus Bithyniæ Prætor ſub Nerone, anno ſequente damnatus eſt, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accuſatum ab eo Statilium Taurum, Africæ Proconſulem, ipſius meminerant, quem Curiâ illum exactum contra ambitum Agrippinæ peremerant anno V. C. 807. Ipſius meminit Tacitus *Annal. lib.* 13. *&* 14.

Præturam Bithyniæ Tarquitii confirmat nummus Neronis à Nicænenſibus ſignatus, in quo exaratum eſt Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΙΣΚ. ΑΝΤΥΠΑΤΟ ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. *Marco Tarquitio Priſco Præturam faciente Nicænenſium*, cum ara ignita. Huic nummo Marci prænomen Tarquitii, qui à Pighio perperam Tarquinius nominatur. *Lib.* 18. *pag.* 594.

Attius Lacon, alter Bithyniæ Prætor habetur ſub Nerone ab iiſdem Nicænenſibus in hujus Imperatoris

nummo, in cujus averſa parte habetur, ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΝΕΙΚΑΕΕΩΝ. *Sub Attio Lacone Prætore Nicæenſium*, cum ara Capricorno cornucopiæ, globo, papavere & faſcia. Hujus Attii nulla mentio apud Hiſtoriæ Scriptores; & ſic quo anno cuſus fuerit nummus, incertum eſt.

M. Plancius Varus renuntiatur Bithyniæ Prætor, ut denotat Veſpaſiani nummus, in quo habetur ex illius capitis parte, ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΝΙΚΟΜΕΔΕΙΑ, & in averſa ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ, cum capite muliebri turrito urbis ſcilicet genio. Sed quo anno Provinciam rexerit, ignoratur. Spanhemius putat eſſe qui male apud Tacitum dicitur Plautius Varus Dolabellæ amicus, vir Prætorius. *Hiſt. lib. 2. cap. 63.*

M. Sulpicius Proclus appellatur Bithyniæ Prætor in nummis, quos Tito Veſpaſiano Nicomedienſes percuſſerunt: in illo legitur ex parte capitis Imperatoris, ΤΙΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΣΕΒ. in poſteriori verò parte, ΕΠΙ Μ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤ. ΝΕΙΚ. *Sub Marco Sulpicio Proclo Prætore Nicomedienſium*, cum capite turrito ut ſuprà actum. De hoc Sulpicio apud Hiſtoricos mentio.

Velius Paulus Bithyniæ fuit Proconſul ſub Domitiano vel paulò antè, & Terentius Maximus Domitiani in ea Procurator. *Plin. Epiſt.* 57.

Appius Maximus Norbanus ſub Domitiano præfuit Bithyniæ, deindè Germaniæ, ubi L. Antonium & artis ejus, litteras multas, ne cædium occaſionem Domitiano præberet, combuſſit. *Dio lib.* Acedius Myrinus & Armenius Brocelius Proconſulatum Bithyniæ

ſub eodem Imperatore geſſerunt, ut patet ex Epiſt. Plinii lib. 10.

Nicænenſes Bithyniæ primatum Provinciæ ſub Domitiano obtinuiſſe videntur, ut denotat inſignis ille nummus, quem huic Imperatori ſignarunt. ΝΕΙΚΑΙΕΙϹ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗϹ ΕΠΑΡΧΙΑϹ, cum ara in qua ſcriptum eſt ΔΙΟϹ ΑΓΟΡΑΙΟϹ. *Nicænenſes primi Provinciæ Jovis Forenſis.*

Sed cùm Nicomedienſes rem in Senatu diſceptarent, Nicænenſes ipſis ultrò conferre voluerunt, modò ejus eſſent participes, quod illi noluerunt. *Dio Chryſoſt. Orat.* Nicænenſes cauſa decidiſſe videntur, cùm in nullis deinceps nummis hunc titulum ſibi arrogarint, & Nicomedienſes ſub eodem Domitiano, primatum deſignent in ipſius nummis, cum hac Epigrahe Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ circa ambitum, & ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑ in area, cum capite turrito, typo nempè frequenti.

Julius Baſſus ſub Nerva Bithyniam obtinuit; accuſatus fuerat ſub Veſpaſianio ex privatis duobus; ad Senatum remiſſus diù pependit, tandem abſolutus vindicatuſque eſt. Titum timuit ut Domitiani amicus: à Domitiano relegatus eſt; revocatus à Nerva, ſortituſque Bithyniam rediit reus: iterùmque accuſatus à Provincialibus, videlicet quòd quædam ut amicus accepiſſet, cùm lex vetet munera accipere, defenſus eſt à Plinio, & abſolutus. *Plin. lib. 4. Ep. 9. ad Urſum.* Acta tamen illius reſciſſa ſunt.

C. Plinius Cæcilius Bithyniæ Præturam geſſit, 15. Kal. Octobris anno ut videtur 11. imperii Trajani anno, in Provinciam venit, ubi res plurimas ſub beneplacito Imperatoris conſtituit, ut ſeorſim videre eſt in

ejus Epiſt. lib. 10. Ille natus patre L. Cæcilio, adoptatus ab avunculo, dictus C. Plinius ſecundus, Conſulatum poſtea adeptus eſt. Servilius Pudens Legatus ab eo miſſus eſt in Bithyniam.

Nicomediæ nummus Trajano dicatus demonſtrat Bithyniam & Pontum eſſe eamdem & unam Provinciam, cùm urbs ſe Metropolim & primam Ponti & Bithyniæ in iis nominet. In averſa ejus Imperatoris nummi parte legitur, Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΝΙΚΟ; in area, ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΠΟΝΤΟΥ ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ. Sed Hadrianus in Ponto poſtea Metropolim ordinavit, cùm Provinciam quæ erat Populi Romani, ſuam feciſſet, ut infrà videbimus.

Anicius Maximus Proconſul etiam Bithyniæ fuit, ut videtur quidem ſub Trajano. Illius meminit Plinius lib. 10.

P. Servilius Calvus Proconſul Bithyniæ fuit ante Plinium, ut ipſe teſtatur, lib. 10. Epiſt. 55.

Pruſæi Balneum ſibi extrui licere petierunt à Trajano, quod permiſſum eſt. *Plin. lib.* 10. *Epiſt.* 15. Nicomediæ Collegium Fabrorum, quòd urbs incendiis obnoxia eſſet, inſtitutum eſt. *Id. ibid. Ep.* 42. Perfectus eſt Nicomediæ aquæductus, in quo jam faciendo impenſæ plurimæ factæ fuerant. *Ibid. Ep.* 46. De lacu Nicomedienſes, per quem omnia in mare conducere poſſent, petierunt. *Ibid. Ep.* 50. De templo quoque transferendo petierunt. *Ep.* 58. Nicenenſes theatrum conſtruere cœperant, petierunt ut liceret iis illud perficere. Claudiopolitani Balneum inceperant, quod non perfecerant, & miſſi ſunt in urbem architecti. *Ibid. Ep.* 48. Apamæi arbitratu ſuo coloniam adminiſtrabant. *Ep.* 56.

Julius Severus poſt partam de Judæis victoriam, ab Hadriano Imperatore miſſus eſt in Bithyniam, quæ quidem etſi non armis, præſide tamen ac rectore juſto & prudentiâ ac dignitate prædito egebat: quæ omnia in illo viro affatim ſupererant. Atque is quidem & privata & publica Bithyniorum negotia ita adminiſtravit, ut memoria illius etiamnum apud nos celebris perſtet. *Valeſii Excerpt. ex Dione pag.* 715.

Cæterùm Senatui fortique Bithyniæ loco tradita eſt Pamphylia. *Id. ibid.* Nam illa ceſſerat Populo in diviſione Provinciarum quam Auguſtus fecerat, uti diximus. Provinciæ Populi Romani ſorte ducebantur. Quæ erant Cæſaris, ex arbitrio Principis pendebant, qui in eas pro libito aut Conſulares viros aut Prætorios mittebat. *Ex Strabone in fine lib. ult.*

Euſebius hæc de Hadriano narrat: ipſe Nicomediam terræmotu collapſam, & Nicæam, Bithyniæ civitates, ſumptu ſuo inſtauravit. *In Chron.* Ideò à Nicomedienſibus in nummis, quos illi dedicârunt, vocatus eſt ΘΕΟC ΟΛΥΜΠΙΟC, cum ejus Imperatoris capite; ex averſa parte ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, cum capite turrito, ſolemni urbis typo.

Bithyniam Hadrianus caram habuit, & plurimis beneficiis illam locupletavit, maximè quòd Antinous illius Amaſius in urbe cui Bithynium nomen ineſt, oriundus eſſet, undè illi nomen ſuum largitus eſt, ut ferunt ejus Antinoi nummi, ΒΕΡΘΥΝΙCΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ; & poſtquam hic mortuus eſſet, in Deorum numerum collocarunt, ut fert Epigraphe illius capitis Η ΠΑΤΡΙC ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ, ſubauditur, colunt.

Spartianus narrat Hadrianum, licet titulos in operibus non amaret, multas tamen civitates de ſuo nomine appellavit. Teſtis eſt urbs ΑΔΡΙΑΝΟΙ in Bithynia dicti, quorum nummi Sparſine ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. *In ejus vita.* Alteram urbem de ſuo nomine quæ dicitur in nummis ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟϹ ΟΛΥΜΠΟΝ, ſcribit idem Auctor oppidum Adrianotheras in quodam loco, in Myſia refert Dio *lib.* 69. *pag.* 797. In Bithynia verò collocantur, ut de qua, ut de Hadrianis refert Suidas, Ἀδριανοὶ, Πολις Μυσίας, τῆς νῦν Βιθυνίας, quòd illic feliciter eſſet venatus, & urſam aliquando occidiſſet. Ejus nummi habent ΑΔΡΙΑΝΟ ΘΗΡϹΙΤΩΝ, cum capite Hadriani.

Porrò nummi nos edocent in Ponto quæ erat cum Bithynia Provincia conjuncta, Metropolim conſtituiſſe Amaſiam, ut ferunt ejus urbis inſcriptiones quæ Hadriani nomen & Metropoleos dignitatem adepta eſt, imò & primatum; ille autem erat conventuum ac judiciorum ſedes. *Dio Pruſæus Orat.* 38. Imo & Neocora ab eodem Principe facta eſt, ut ferunt ejus nummi, ΑΔΡΙΑΝ. ΑΜΑϹΙΑ. Π.Π. ΝΕ. cum capite Fauſtinæ junioris. *In noſtro lib. de Num. Urb. Græcis.*

Senatus Hadriano ob collata Bithynis beneficia nummos ei inſcripſit Restitutori Bithyniæ, & Bithynorum commune eidem templum erexit cum hac Epigraphe ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ. & quia duo templa occurrunt, unum octo columnis cultum, & alterum ſex tantùm ornatum, exiſtimarem priùs Imperatori dicatum, poſteriùs Sabinæ ejus uxori, ut videre eſt apud Triſtanum, in cujus medio illa ſtat inter, *tom.*

1. *pag.* 733. In Hadriani templo, Imperator ſub Jovis effigie, cui adſtat Juno à dextris & Pallas à ſiniſtris, capiti Principis lauream imponens. *In Theſ. Reg.*

Arrianus Philoſophus, ex Nicomedia oriundus, diſcipulus Epitecti Philoſophi, vir inter Romanos cum primis laudatus, ac per omnem vitam in litterarum ſtudio verſatus, cognomento dictus eſt Novus Xenophon. Vixit ſub Hadriano & Antonino Principibus. Hiſtoriam Alexandri M. octo voluminibus complexus eſt.

Quid actum ſit in Bithynia ſub Antonino Pio altum eſt apud Hiſtoriæ Scriptores ſilentium; ſolus Xiphilinus in ejus vita hæc narrat. Ferunt ſub Antonino in Bithynia atque in Helleſponto valdè horribilem terræmotum eſſe factum; eaque de cauſa complures alias civitates laboraſſe, *in Dionis Hiſt. lib.* 70. *pag.* 803. addit Capitolinus, quas omnes mirificè inſtauravit, *in illius vita.*

Tredecim urbes notat nummus Antonini Pii maximus, ut videre eſt apud Joan. Vaillant. pag. 47. Nicomedia & Nicæa plurimos huic Imperatori dedicarunt, inter quos unus hic tantùm exhibetur ex averſo ejus capite ΜΗΤ. ΚΑΙ ΠΡΩΤΗϹ ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑϹ. cum muliere turrita ſedente, dextrâ pateram gerente.

Sub M. Aurelio, ait Aurelius Victor, Aſia Epheſus, ac Bithyniæ Nicomedia conſtratæ ſunt terræmotu. *In Marci vita.* M. Aurelium & L. Verum Nicomediam reſtauraſſe, quæ terræmotu ſub Antonino Pio corruerat, me legiſſe alicubi memini.

A Commodo Nicomedia Bithyniæ Metropolis plurimis beneficiis cumulata eſt per Saoterem ejus urbis civem

civem, qui hujus Imperatoris cubiculum excubabat, cujus gratiâ, ut ait Dio Caſſius, Nicomedienſes impetraverant à Senatu ut certamina celebrarent, templumque Commodo facerent. *Lib. 72. pag.* 829.

Nummus iſtius Principis à Nicomedienſibus percuſſus, ejus Templi iconem no bis exhibet, NIKOMIΔEΩN ΔIC NEΩN. Templum octo columnarum, in cujus periſtylio KOMMOΔEIA nos edocet illa fuiſſe vocata Commodiana, & ob id factos eſſe bis Neocoros.

Nicæenſes Nicomedienſium æmuli & templum & feſta ceu certamina in Commodi honorem etiam fecerunt; quod illorum tantum nummis docemur, ſed illi indubitata ſunt Hiſtoriæ ſupplementa. Hæc habent NIKAIEΩN, Templum 4. columnarum, in cujus Zophoro KOMOΔEIA, undè illius iconem minus tamen quam Nicomedienſium ſplendidam fuiſſe obſervamus. Certamina illa pariter vocata ſunt Comodiana.

Porrò elegans eſt alter Commodi nummus, in cujus averſa parte exhibetur, KOMOΔOΥ BACIΛEΥONTOC KOCMOCEΥΤΥΧEI NIKAIEΩN; *Commodo imperante, orbis felix Nicæenſium.* In laurea adulantes Principi Nicæenſes ad imitationem Senatûs qui illi ſignavit nummos, in quibus exaratum legitur, TEMPORUM FELICITAS, cum quatuor parvulis quatuor anni tempora deſignantibus.

Bithyni ut cæteri Aſiæ populi à Peſcennii partibus ſteterunt contra Severum; ſed devicto prioris Duce Æmiliano, Nicomedienſes ſtatim ad poſteriorem defecerunt, miſſis legationibus quæ ſe exercitum accepturos omniaque tradituros pollicerentur. Nicæenſes

contrà, illorum inſtigati odio, Nigri partibus ſtudebant, ejuſque ſuſcipiebant milites, ſive qui ſe ex fuga receperant, ſive qui ad tuendam Bithyniam mittebantur. *Herod. lib. 3. pag. 61.*

Quocircà ex utriſque urbibus, quaſi è caſtris egreſſi milites, iterùm concurrerunt, magnoque commiſſo prælio, longè ſuperior Severus fuit. Indè etiam fuga facta Nigri milites, qui prælio ſuperfuerant, ad Tauri montis anguſtias evaſerant. Interea Severi exercitus Bithyniam egreſſus, hoſtem inſecutus eſt. *Id. ibid.*

Nicæenſes poſteà devicto Peſcennii exercitu, Severo autumaſſe, & in ejus gratiam receptos ex nummis eorum apparet, cùm certamina & feſta in illius honorem ejus permiſſu celebrarint, quæ de Severi nomine Severea nuncuparunt: in averſa ejus capitis habetur ΣΕΝΤΗΡΕΙΑ ΝΙΚΑΙΩΝ. Imperaror ipſe togatus ſtat, dextrâ pateram ſacrificantis habitu, lævâ Scipionem eburneum gerens.

Nicòmedienſes, cùm poſt victoriam primam à Severo contra Peſcennium ad urbem Cyzicum relatam, illius partes fuiſſent ſecuti, & eorum urbs Provinciæ eſſet Metropolis, non modò illis conceſſit ut certamina & feſta in illius memoriam ederent; iis permiſit ut illa ad diſtinctionem Nicæenſium Magna Severea nominarent, ut nobis illius nummi ſuperſtites declarant CΕΥΗΡΕΙΑ ΜΕΓΑΛΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum duabus urnis & palmis ſupra menſam. Illa autem magna Severea certamina majori pompa celebrabantur, forſan *parva* quotannis, Eleuſinorum exemplo, & *magna* quinquennio.

Poſtea cùm Severi filii Caracalla & Geta, ille Au-

guſtus eſſet à patre appellatus, & eodem tempore Geta ejus frater factus eſſet Cæſar, ut indicant eorum effigies, quorum alter ut Auguſtus lauream ſupra caput gerit, & Geta nudo tantum capite ut Cæſar conſpicitur: certamina in illorum fratrum honorem inſtituerunt Nicæenſes, ut nos docet Juliæ Domnæ eorum matris Nummus cum ejus effigie, & in parte averſa ΑΥΓΟΥСΤΙΑ ΚΑΙ ΦΙΝΟΕΛΦΙΑ ΝΙΚΑΙ-ΕΩΝ, cum capitibus Caracallæ & Getæ adverſis.

ΑΥΓΟΥСΤΙΑ & vox ΚΑΙ cum Severeis certaminibus conjuncta, duo eſſe diverſa demonſtrant; illa quidem priùs in honorem Auguſti inſtituta, quæ cum Philadelphiis eodem anno occurrerent, videntur eodem tempore celebrata, quorum memoriam poſteris relinquere voluerunt Nicæenſes, ſicut idem fecere, cùm Severea & Philadelphia in gratiam fratrum inſtituta, eodem anno celebranda redierunt, СΕΥΗΡΕΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, cum menſa ſupra quam duæ urnæ & palmæ in Getæ nummo.

Nicomedienſes forſan eadem certamina in Auguſti memoriam & fratrum honorem inſtituerant, ſed eorum notitia per eorum nummos non pervenit.

Sed non modò celebres hæ Provinciæ Bithyniæ urbes, ſed aliæ ſuum Severo obſequium ſuis nummis denotare voluerunt. Sed ecce Adriani civitas quæ Severo dedicat in averſa ejus capitis parte ΕΠΙ ΜΙ-ΝΟΦΑΝΟΥС ΤΕΙΜΟΘΕΟΥ ΑΡΧΑ ΑΔΡΙΑ-ΝΕΩΝ; *Sub Menophane Timothei filio Archonte primo Hadrianenſium*, cum figura ſub arbore decumbente, & Mercurio ſtante ex adverſo.

Urbs etiam Hadrianotheræ, ſuos nummos in Severi honorem percutiunt, legitur in averſa parte ejus imaginis, ΕΠΙ ΑΡ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΥ ΔΙΟΓΕΝΟΥC ΑΔΡΙΑΝΟ ΘΥΡΕΩΝ; *Sub Archonte Pancratio Diogenis filio Hadriano Thyrenſium.* Imperator Paludatus ſtans dextram apponit trophæo, ad cujus imum duo captivi. Magiſtratus urbium Bithyniæ fuerunt Archontes, ut Hadrianus qui Athenienſium more inſtituerat.

Alii populi urbis nempè nominis *Hadrianæ*, ſuum erga Severum obſequium etiam demonſtravere: en Hadriani, qui ad montem Olympum collocati ad aliorum ejus nominis diſtinctionem ſuos pariter nummos in ejus honorem ſignarunt, cujus nobis ſupereſt epigraphe, ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟC ΟΛΥΜΠΟΝ, Imperator paludatus, ſacra facit ſupra tripodem, cui ſerpens involutus; pone aram columna eſt, ſupra quam Diana cum arcu, & hic nummus maximus eſt.

Chalcedonii Bithyniæ Severo acclamantes, dum vicini Byzantii pertinaciter Peſcennii partes tuerentur, ſuos nummos illi percuſſerunt; in cujus averſa parte ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ, doricè cum Cygno alis ferens Apollinem lyram gerentem. Hi verò Deum illum præcipuè colebant, de quo Lucianus in Pſeudomanti pag. 478. Apollinis templum eſt apud Calchedonios vetuſtiſſimum.

Pruſæi Bithyniæ ad Olympi montis radices, ex quorum urbe erat Dion, qui ſcripſit libros decem de virtute Alexandri, ut ſe ancillatos Severoque ſe addictos eſſe denunciarent, nummos pariter in ejus Principis honorem ſignarent: ut ipſe perhibet, in quo legitur ΠΡΟΥCΑΕΩΝ cum Fortunæ ſtantis typo.

Pruſienſes verò qui ita nominantur ad Pruſæorum differentiam, cùm hi ad Olympum montem, illi ad Hypium fluvium ſiti, ut ſæpè indicant eorum nummi cum epigraphe ΠΡΟC ΥΠΙΩ. monetam ſuam cum Severi capite, ut ſe ad ejus mandata paratos ſemper eſſe declarent, in cujus averſa parte ſcriptum eſt ΠΡΟΥCΙΕΩΝ, cum fulmine ſupra menſam.

Præter hos Bithyniæ populos, alii ſequentes ſuos nummos Juliæ Domnæ Severi Imperatoris ſponſæ cuderunt, inter quos Ciani primas tenent; hi verò non ſunt Pruſienſes, ut plurimi exiſtimarunt, & ut nummi ſatis probant; quamvis dictum ſit Pruſiam Regem Cium urbem à Philippo Macedoniæ ejus ſocero captam & dirutam, ſed hujus aream tantùm accepiſſe quo loco urbem alteram Pruſias Κυνηγος ejus filius extruxerit, quam de ſuo nomine Pruſiadem appellavit; ſed pro Cio, legendum eſt Ciero, ut eſt apud Memnonem in Bibliotheca Photii: nam Cierum & Cios diverſæ fuerunt Bithyniæ urbes: ſed ad nummum Juliæ Domnæ, in quo ΚΙΑΝΩΝ cum Fortunæ ſtantis typos.

Cretienſes etiam Bithyniæ, Flaviopolitæ dicti à Veſpaſiano ut videtur, ob aliquod ab hoc Imperatore acceptum, nummos pariter ad teſtandum ſuum erga Juliam Domnam obſequium, obtulere. In hoc habetur ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙΤΩΝ, cum Pallade ſtante, dextrâ pateram & lævâ haſtam gerente.

Antoninus Caracalla dictus, Severi filius, Bithyniam adiit dum Provincias Romanas luſtraret, in Syriam proficiſcens, ut tradit Herodianus lib. 4. Deci-

dens autem Ilio, Aſiaque omni & Bithynia, gentibuſque reliquis pertranſitis, atque ubique rebus compoſitis devenit Antiochiam.

Bithyniæ ideò plurimi populi nummos huic Imperatori dedicarunt, inter quos ſuperſtites ſunt illi qui ab Hadrianis ſunt percuſſi ΕΠΙ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ, ſub Menandro Archonte primo Hadrianorum. Illi pro Magiſtratibus Archontes habebant, utpote qui Athenienſium legibus utebantur, illi verò duo erant, idcircò primus ſemper litteram A. notabat.

Ciani, quorum urbs Cium Straboni nomen habet à Cio Herculis ſocio, qui revertens à Colchis, urbem ſibi cognominem iſtius condidit. *Lib.* 12. *pag.* 564. Suos etiam nummos Caracallæ percuſſerunt. Hic præfert à parte ejus averſa ΚΙΑΝΩΝ *Cianorum*, cum Jove dextra ramum ſive haſtam, ſui cultum in hac civitate indicante.

Cretienſes ut & Severo patri ſic & Caracallæ filio ſuos nummos dedicant: appellantur, ut ſuprà diximus & Flaviopolitæ, ut etiam teſtatur Ptolemæus *lib.* 5. *cap.* 1. *Flaviopolis quæ & Crateia* Dorice nempè. Nummus verò ΚΡΗΤΙΕΩΝ *Cretienſium*, cum Cybele leone vecta cum tympano, quam illi colebant.

Nicæi ut jam, dum Caracalla eſſet factus Auguſtus eodem tempore quo frater ejus Geta creatus fuit Cæſar, ad æternam inter eos concordiam optandam cum certamine inſtituiſſent ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, poſt ejus mortem illa non ampliùs celebraſſe videntur, ſed tantùm ΓΕΤΗΡΕΙΑ, porrò putat amicus, alia inſtituiſſe in Caracallæ honorem, ſed nos potiùs illa

adjudicamus Elagabalo, ut ſuo loco videbimus.

Inter tot nummos quos Nicæi cuderunt quique extant in opere noſtro de Græcis Colon. pag. 105. & 106. ſingularis eſt ille qui præfert in poſtica Caracallæ capitis parte, ΘΗCΕΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, Theſeum *urbs* Nicæorum *veneratur*. Ipſe ſtat imberbis pelle leonina tectus, dextrâ pateram, ſiniſtrâ clave innixa, Nicæi adulantes Caracallæ, illum ut alterum Theſei urbis ſuæ reſtauratorem venerabantur. Plautillæ Caracallæ uxori ſuos etiam nummos obtulerunt. ΝΙΚΑΙΕΩΝ, cum Cerere dextrâ ſpicas & ſiniſtrâ tædam gerente, illi colebant.

Nicomedienſes Provinciæ Metropolitæ plurimos etiam Caracallæ nummos ſignarunt: inter illos, præcipuus eſt ille in quo legitur ΝΙΚΟΜΕΔΕΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ. Ex eo certamine hæc in honorem Apollinis Pithyi eſſe Nicomediæ celebrata diſcimus, quæ licet eſſent quatuor ſacra, hic Καὶ ἐξοχὴν ΙΕΡΟC ΑΓΩΝ inſcribebatur, ut videre eſt in nummo Commodi Nicæenſium *in libro noſtro de Græcis pag.* 71. Plautillæ Caracallæ uxori nummos pariter cuderunt, in hoc habetur ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, cum muliere ſtante pede proræ impoſito ad denotandum urbis ſitum, læva Cornucopiæ pro ejus ſoli fertilitate arguenda.

Pruſæi ad montis Olympi radices inter primos Bithyniæ populos habiti, ſuos etiam nummos Caracallæ conſignarunt: en ex illis unus, ΠΡΟΥCΑΕΩΝ, cum aquila roſtro coronam gerente, ut ſe Imperio Romano ſubjectos eſſe denotent.

Pruſienſes, diverſi à ſupradictis Pruſæis, utpote qui ad Hypeum fluvium ſiti, nummos etiam ſuos Cara-

callæ offerunt cum epigraphe ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ. Hercules ſtans ſpoliis leonis ornatus, dextrâ qua cervum occiſurus, illum læva cervum ſiſtit ad ſignificandum eorum erga hunc Deum cultum.

Geta à patre Severo ductus eſt in Syriam, cùm in Parthos progreſſus eſt, eumque per Bithyniam adduxit, cùm per Pannoniam reverſus eſt, ubi Vinimatii Caracallam filium majorem Auguſtum fecit, & ipſum creavit Cæſarem; ſed Imperator poſt patris mortem nominatus, in hanc Provinciam non venit: porrò cùm vellent fratres Imperium partiri, eorum amici proponebant ut Europa omnis Antonino, tellus autem adverſa, quæ omnis Aſia nuncupatur, Getæ adjudicaretur; placebat autem ut Antoninus caſtra ad Byzantium haberet, lecta verò in Chalcedone Bithyniæ urbe. *Herodian. lib. 4. pag. 90.*

Calchedonii forſan ideò Getæ lubenter nummos cuderunt, quorum hic ſuperſtes nobis præbet ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ *Calchedoniorum*, cum Pallade galeata ſtante, dextra telum vibratura, læva clypeum gerente ad indicandum ſuum erga hanc Deam cultum ſingularem.

Juliopolitæ Bithyniæ populi, ut ſuum ſitum denotarent, in nummis quos in Getæ honorem percuſſere, Scopam fluvium exhibuerunt: ille ex Ornimii ejus Provinciæ montis radicibus ortus, & per campos fluens, Juliopoleos mœnia alluit, & poſtea in Sagarim maximum fluvium delabitur; ideò ut ſub muliebri ſchemate depingitur.

Nicæenſes Imperio Romano plurimum addicti, nullum Auguſtum imò & Cæſares prætermittebant, quin

quin iis ſuos nummos dedicarent; nam cùm in Caracallæ & Getæ gratiam ad concordiam inter illos fratres augurandam certamina ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ inſtituerant, & in Caracallæ monetа eorum memoriam conſignaverant, ſic in illa quam Getæ cuderent, & certaminis in Severi patris & in filiorum concordiam inſtituta renovare voluerunt ΝΙΚΑΙΕΩΝ CΕΥΗΡΕΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, *Nicæenſium Severea & Philadelphea*, cum menſa ſupra quam duæ urnæ cum palmis, certaminum illorum indicibus, infra vas fortè aureum, eorumque præmium.

Nicomedienſes Provinciæ primi ſuum etiam erga Getam obſequium teſtari ambierunt, & ut patri de ſe bene merito ſe omninò devotos fuiſſe demonſtrarent, in averſa Getæ capitis parte ſculpſerunt ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, Nicomedienſium, cum templo illo octo columnis ſuffulto quod in Severi honorem ob certamina Severea de ejus nomine nuncupata fuerunt, erexerunt.

Pruſæi ad Olympum ut & alii nummos Getæ Cæſari obtulerunt: in hoc habetur ΠΡΟΥCΑΕΩΝ *Pruſæorum*, cum aquila roſtro coronam gerente, eodem ſanè typo quem Caracallæ ejus fratri cuderant.

Pruſienſes Pruſæorum æmuli ſuos etiam Getæ Cæſari nummos procuderunt, quorum hic nobis ſuperſtes exhibet, in averſa ſuperficie ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΥΠΙΩ, *Pruſienſium ad Hypium*, nempè fluvium, cum aquila ſupra cippum inter duo ſigna militaria, veteranos milites forſan à Severo in eorum urbes tranſmiſſos.

Macrinus Imperator in Meſopotamia proclamatus

eſt poſt cædem Caracallæ ab exercitu Romano, de quo ſcripſit ad Senatum qui eum pro Principe ſupremo recepit, ut omnes Provinciæ quæ nummos ei ſuos dedicarunt, inter quos Bithyni, in quorum Provincia ab Elagabalo victus, provectus celeriter eſt per Cappadociam & Galatiam in Bithyniam Eribolum uſque, quod eſt è regione Nicomedienſis oppidi navale. *Ex Dionis Fragm. lib.* 78. *pag.* 916.

Nicomedienſes ut Bithyniæ Metropolitæ Macrino poſtquam Senatuſconſulto Imperator confirmatus eſt, acclamarunt, & in obſequii teſtimonium nummos ei ſuos conſecrarunt, ut nos docet ille, in cujus averſa ejus capite habetur, ΕΠΙ CΤΡ. Μ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ ΝΙΚΟΜΗΔΡΩΝ, *ſub Prætore Longino Nicomedienſium*, cum Jove ſedente, ejus cultum apud eos indicante, quem Dio Chryſoſtomus urbis Præſidem vocat. *Orat.* 29.

Notandum quod Magiſtratus Nicomediæ fuiſſe Archontes ab Hadriano introductos ex legibus Athenienſium illis ab hoc Imperatore præſcriptis; ſed cùm Στρατηγȣ̃ vox quæ Prætorem in nummis ſonet, Magiſtratus ille ab Athenienſibus ut Archontum minuerent, eſt introductus, quod Nicomedienſes à Caracalla dum in eorum urbe moratus eſt, obtinuerunt, ut Archontum potentiam abolêrant, nam ab eo tempore nulla eorum, ſed Στρατηγῶν nomina in eorum nummis reperiuntur.

Diadumeniano Macrini filio dicatos à Nicomedienſibus nummos obſervare eſt, cum epigraphe ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nicomedienſium bis Neocororum.* Secundam diximus illos Neocoriam à

Commodo accepiſſe. Serpens in gyros erectus, urbis originem à ſerpente indicatam ſæpè protulimus.

Nicæenſes prompti erant ad nummos ſuos novo Imperatori dicandos; quare inter alios hinc cum Macrini capite, & illinc ΝΙΚΑΙΕΩΝ cum Satyro pede lævo caput Nebridis calcante, cujus læva exuvias tenet : alludens Bacchio qui urbis conditor appellatur à Dione Chryſoſtomo *Orat.* 29. Cùm Satyrus ejus filius exiſtimetur ex Naïde quadam Nympha Sangarii Regulo & Cibelis filia, cui nomen Nicæa. *Memnon cap.* 43.

Pariter illi Populi Diadumeniano Macrini filio, ab illo Cæſare nuncupato nummos conſignarunt cum hac epigraphe ΔΙΟΝΥϹΟΝ ΚΤΙϹΤΩΝ ΝΙΚΑΙΕΙϹ *Dionyſeum conditorem* colunt *Nicæenſes.* Bacchus ipſe nudus ſtans cantharum dextra gerens & læva Thyrſum, pro pedibus Tigris, undè confirmatur locus Orationis Dionis Chryſoſtomi, in qua Bacchum autorem civitatis Nicææ appellat.

Pruſæi ad Olympum inter Bithyniæ Populos, non ultimi ſunt in nummis novis Imperatoribus cudendis, ecce Macrino & ejus filio Diadumeniano Cæſari ſuos exhibent, eundem typum cum inſcriptione ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ Pruſæorum, in quo vir galeatus & nudus, genuflexus ſibi pugione manus infert, ex cujus ſanguine flos naſcitur. Ille eſt Aiax Telamonis filius, qui cùm de armis Achillis cum Uliſſe diſceptans, inferior deceſſiſſet, in furorem verſus eſt, poſtea ad mentis ſanitatem reverſus, gladio, quem ab Hectore dono acceperat, in loco deſerto ſe confodit, cruorque ejus in Hyacinthum florem eſt permutatus, ut canit Ovidius,

Illius fortiſſimi Græci gladium Pruſæi conſervaſſe apud ſe videntur, cujus in memoriam ſæpè hunc Ajacis ſeſe interimentis typum in plurimis ſuis nummis exhibuere, ut videre eſt apud Patruum in Caracalla *lib. de Num. mediocris formæ pag.* 304.

Pruſienſes ad Hypium ſiti, Macrino Imperatori & Diadumeniano ejus filio, Cæſari ſuos nummos etiam obtulerunt in ambobus Herculem quem colebant, exhibuere ΠΡΟΥCIΕΩΝ ΠΡΟC ΥΠΙΩ, cum hoc Deo dextrâ clavam, ſiniſtrâ cervum cornibus apprehendente, qui eſt illius Herois labor quartus. *Ex Auſonio Idyll.* 19.

*Æripedis quatuor tulit aurea cornua cervi.*

Cùm Elagabalus miſiſſet qui Macrinum conſequerentur, poſtquam jamplurimum viæ præceperat, inventus eſt in Chalcedone Bithyniæ urbe graviſſimè ægrotans, ac perpetuo itinere attritus, latitans in ſuburbio quodam ubi illi caput ab iis qui eum perſequebantur, abſciſſum. Ita ſcilicet occiſus eſt Macrinus cum Diadumeniano ejus filio, quem Cæſarem fecerat. *Herodian. hiſt. lib. 5. pag.* 117. *&* 118.

Elagabalus Macrino extincto & occiſo, rebus in Oriente ordinatis, ab Avia Mæſa atque amicis ad Romanam aulam profectus eſt è Syria, Nicomediæ verò hyemavit, ita poſtulante anni tempore. *Herodianus, Dio, Caſſius & Lampridius.* Cùm verò ibi cultum patrii numinis celebrare ſupervacuis ſaltationibus veſtitum uſurpans luxurioſum inchoaſſet, Nicomedienſes ut ex eorum nummis eruitur, in ejus honorem cer-

tamina inſtituerunt, quæ Antoniana ex ejus nomine Antonini vocarunt, quia ille ſe Antonini Caracallæ filium prædicabat.

Hæc præfert Nicomedienſium nummis NIKOMHΔEΩN ΔIC NEΩKOTΩN, cum urna ludorum in qua duæ palmæ rami, & infrà ANTΩNIANA. In æternam nempè horum certaminum memoriam. Hi pariter Populi Juliæ Mæſæ ejus aviæ dicarunt cum epigraphe ſimili, NIKOMHΔEΩN ΔIC NEΩKOPΩN, & Cerere ſtante, dextrâ ſpicas & pateram, lævâ verò tædam tenente, quam plurimum venerabantur, quaſi Mæſa eſſet illis altera Ceres.

Chalcedonii Antonino Elagabalo Nicomediæ Provinciæ ſuæ Metropoli hyberna agenti nummos etiam ſuos dicare voluerunt: hic præfert KAΛXAΔΩNIΩN *Chalchedoniorum*, cum tripede cui involutus eſt ſerpens, qui typus Apollinis, qui vates erat, cultum in hac urbe ſæpè meminimus, indicat.

Nicæenſes ut ſuum obſequium novis Imperatoribus denotarent, adnummos illis percutiendos ſemper prompti, hunc inter alios Elagabalo exhibuerunt, NIKAIEΩN *Nicæenſium*, cum templo ſex columnis ornato. Illud videtur in honorem fratrum Caracallæ & Getæ erectum, quando Nicæenſes ΦIΛAΔEΛΦEIA certamina inſtituerunt, quod in Elagabali gratiam qui Caracallæ filius credi volebat, in nummo percuſſerunt.

Ut Elagabalo Nicæenſes ita & Aviæ ejus Mæſæ à nepote Auguſtæ titulo donatæ nummos cudere cum epigraphe NIKAIEΩN *Nicæenſium* & ſerpente in gyros erecto, Æſculapii nempè ſymbolo, quem illi ut alii ſervatorem appellant CΩTHPA TΩN NIKAIEΩN. In Antonino Pio è Gaza regia.

Bithynienſes Bithyniæ Populi, quorum urbs Bithynium Antinoi Hadriani Amaſii patria, quam ſupra Sangarium amnem collocat Pauſanias *lib.* 8. *pag.* 430. Elagabalo proculdubio cuderunt, ſed nobis tantùm ejus uxoris Juliæ Paulæ ſuperſtites ſunt cum ejus capite, & in averſa parte ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ. Hygeia ſuccincta ſtat, dextrâ pateram tenet in qua ſerpens lambit, cui vota pro Auguſtæ ſalute feciſſe denotant.

Juliopolitæ Populi Bithyniæ ad Scopam fluvium ſiti, ſuos Elagabalo nummos ſignarunt haud dubiè, ſed hi ad noſtras manus non pervenêre: incidit tantùm hic Juliæ Paulæ ex prima forma, in cujus averſa habetur ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΩΤΩΝ *Juliopolitarum*, cum curru triumphali in quo paludatus eſt Elagabalus in memoriam ejus triumphi Romæ initi anno V. C. 973.

Alexander Severus in Bithyniam non venit, nec Hiſtoria illum pro hac Provincia quidquam egiſſe tradit; Præſides, Proconſules & Legatos nunquam feciſſe ad beneficium, ſed ad judicium vel ſuum vel Senatus, *in ejus vita narrat Lampridius pag.* 218. Dio Caſſius ſub hoc tempore cùm Conſul factus fuiſſet ab Alexandro, qui tertium cum eo inibat, finito illo Magiſtratu, dimiſſus; in Bithyniam ſuam patriam rediit, Nicæam ſcilicet anno V. C. 891. ut ipſe narrat *lib.* 80. *pag.* 929.

Bithynienſes ordine alphabetico, nummorum in honorem Alexandri Severi, à Bithyniæ populis cuſorum ſcenam aperiunt: hi inſcribuntur ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ *Hadrianorum Bithynienſium*; ſic dicti ſunt in gratiam Antinôi ab Imperatore Hadriano, cujus ille erat Amaſius. Præfert typus Æſculapium cum baculo cui ſerpens eſt involutus: hic autem Deus à multis

populis ut ſanitatem ſervaret cultus.

Juliopolitæ prodeunt tanquam Alexandro Severo plurimùm devoti, cùm ſuos nummos in illius honorem percuſſerint. Hic exhibet in parte ipſius Imperatoris averſa. Deum Limum ſtantem, pyleo Phrygio ornatum & Luna creſcente ſupra humerum, dextrâ pateram ferentem, ad denotandum ejus Dei cultum in urbe ſua, cui ſacra fecerant pro ipſius ſalute, ut indicat patera quam manu gerit.

Calchedonii Juliopolitas ſequuntur in dedicandis ſuos Alexandro Severo nummos, quorum urbs valdè antiqua à Megarenſibus condita: illi autem cæci appellati, quod non potiùs oppoſitum littus eligere, in quo Byzantium fuit poſtea extructum. Nummus profert ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ *Calchedoniorum*. Nemeſis ſtans dextram ori admovet, læva rhombum gerit, ad ejus cultum in eorum urbe indicandum, quem etiam venerabantur Nicæenſes, ut tradit Dio Chryſoſtomus Orat. 29. *Amicitiam concordiamque* & Nemeſim alioſque Deos, an verò ſelegerint Calchedonii hanc Deam in nummis Alex. Severi, ut oſtenderent illam ſumpſiſſe vindictam de impuro & crudeli Elagabalo.

Ciani quorum ſæpè meminimus, urbem habuerunt cui nomen Cios, fuitque emporium non procul accolentis Phrygiæ. *Ex Plin. lib. 5. cap.* 40. Ergo non ea fuit quam cepit Philippus Macedoniæ Rex, & cujus aream dedit Pruſiæ genero, quam à fundamentis erexit alter Pruſias prioris filius, ab eo Pruſiadem appellatam quæ ſita erat ad Hypium fluvium, ut ſparſim protulimus: ſed hoc oppidum dictum erat Cierum à Memnone.

Nummus Cianorum cum Alexandri Severi capite ex una parte præfert, ex altera ΕΠΙ CΤΡ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΚΙΑΝΩΝ, *ſub Prætore Cratippo Cianorum*, cum Diana Epheſia, & adminiculis cervis ad denotandum in eorum urbe ejus Dianæ cultum, qui frequens erat in Aſiæ confiniumque Provinciarum tractu. Cernis autem nomen Κρατη, id eſt uſurpari, Archontis loco in Bithyniæ Provinciæ urbibus à tempore Caracallæ quem Magiſtratum hujus Imperatoris permiſſu mutatum fuiſſe ſupra obſervavimus.

Nicæenſes ut Alexandrum Severum optimum Principem ſibi demererentur, ſuos ei nummos cuderunt plurimos, inter quos hunc ſelegimus habentem in aversa ejus capitis parte ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium*, cum Harpocrate dextram ori admovente, læva cornucopiæ gerente, ad ejus cultum cum aliis Diis in eorum urbe indicandum.

Illi pariter Juliæ Mamææ Alexandri Severi matri nummos ſignarunt cum eadem epigraphe ΝΙΚΑΙΕΩΝ; ſed cum ara cui duo bovum capita ſunt impoſita, ad declarandum pro ejus ſalute ſacrificium rite in eorum urbe factum fuiſſe.

Nicomedienſes ut Bithyniæ Provinciæ Metropolitæ in dicandis ſuis nummis novo Imperatori Alexandro Severo non morati ſunt cum hoc lemmate ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΒΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Imperator paludatus in equo, pacificatoris habitu, ſiniſtrâ haſtam gerens, ad denotandum ejus ex Syria poſtquam Parthos bello repreſſiſſet in urbem reditum.

Pruſæi ad ima Olympi montis ſiti, proculdubio ſuos nummos Alexandro Severo percuſſerunt, ſed illi ad

nos

nos haud pervenerunt, licet iſtius Imperatoris ſint frequentes, utpote qui annos 14. regnavit; ſed ejus loco nobis Saluſtiæ Barbiæ Orbianæ rariſſimos exhibent cum epigraphe CAΛΛ. ΘΑΥΒ. ΟΡΒΙΑΝΑCΕΟ, & in parte averſa ΠΡΟΥCΑΕΩΝ *Pruſæorum*, cum Teleſphoro ſtante.

Sub Maximino ejuſque filio Maximo, quem Cæſarem appellaverat, nihil ab Hiſtoriæ Scriptoribus in Bithynia geſtum comperimus: porrò illius Provinciæ Populi, illis ut qui Imperium Romanum gubernarent, ſuis iis nummos more ſolito dicarunt.

Juliopolitæ patri & filio non modo nummos percuſſere, ſed eundem typum utrique conſecrarunt nempè ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ *Juliopolitarum.* Aquila ſupra fulmen roſtro coronam geſtat, Jovis & imperii ſymbolum, Jovis quidem inſiſtens fulmini, nempè Aquila huic Deo in bello contra gigantes fulmen miniſtravit: Romæ verò inſigne eſt Aquila, roſtro coronam gerit ut ſemper victrix: alludentes Juliopolitæ Romanis, qui Severo nummum cuderunt cum epigraphe Jovi Imperatori, cum fulmine pro typo Ciani ad amnem Cium in Bithynia ſiti, Maximino nummos ſignarunt cum inſcriptione ΚΙΑΝΩΝ, Cianorum. In hoc figura virilis ſtat nuda cum ſtrophio dextra extenſa, ſiniſtra vas magnum tenens; an alicujus Dei patrii effigies, cujus ſingularis eſt apud Cianos cultus.

Nicæenſes per ſuos nummos Maximino Imperatori gratulantur, hic verò ſub Prætore Antiocho cuſus eſt, ΕΠ. C. Μ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, cùm non ampliùs ſummus urbis Magiſtratus eſſet Archon, ut ſuprà diximus. Typus exhibet duas lampades vexillo inter

medio. Lampades autem illæ ad Demetria feſta Cereri dicata, cujus Deæ ſummus erat in hac urbe cultus, ſpectant. Vexillum verò in ea urbe ſtationem eſſe legionariorum quorumdam ad Provinciæ cuſtodiam contra barbaros, ut ſæpè indicant tria ſigna militaria in nummis Nicæenſium, ut videre eſt in noſtro libro de nummis Græcis.

Iſti Populi non ſolùm patri ſed etiam Maximo ejus filio, ſuos nummos percuſſerunt plurimos, inter quos hunc ſelegimus ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium.* Imperator paludamento ornatus in equo, dextra haſtam tenens. Hæc videtur ſtatua equeſtris Maximini in quodam publico loco ob aliquod beneficium ab eo acceptum poſita.

Nicomedienſes ut Provinciæ Metropolitæ nummos Maximino & Maximo ejus filio cuderunt, patri quidem cum hac inſcriptione ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, & Cerere capite velato ſtante, dextra ſpicas, ſiniſtra facem gerente. Hæc Dea peculiari cultu ab illis colebatur. Siquidem Libanius in vita ſua de Nicomedia loquens, eam Cereris oppidum appellat. Maximo autem appoſuerunt eandem epigraphen cum nave velo expanſo, ad denotandum urbis ſuæ ſitum.

Pruſæanum ad Olympum, ſi Maximini deſunt hactenus nummi, nobis ſunt ſaltem ejus filii Maximi ſuperſtites, nempè ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ, cum Pallade galeata ſtante, dextra pateram, ſiniſtra haſtam gerente, pro pedibus clypeus. Dea ſui cultum apud Pruſæos indicat, patera verò quam tenet, ſacra pro ſalute Maximi ipſi facta demonſtrat.

Pruſienſes ad Hypium vicinorum ſuorum exemplum

ſecuti Maximo Cæſari nummos percuſſerunt; ſed cur illius Principis moneta magis vulgaris eſt quàm patris Maximini, an ipſe à Populis amaretur & parens odio haberetur. Illorum nummi cum Maximi effigie, in averſa parte præferunt ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΥΠΙΩ, & caput Apollinis ad denotandum quidem ejus in urbe cultum, ſed ut videtur Maximi juventuti alludentes, quod ille Deus, juvenis ſemper depingitur.

Sub Gordiano Pio nihil in Bithynia ab illo geſtum diſcimus, niſi quod nummi in hujus Imperatoris & Tranquillinæ illius uxoris honorem à quibuſdam Bithyniæ populis cælati occurrunt, quorum deſcriptionem oculis veſtris ſubjicimus.

Calchedonii Gordiano Pio & Tranquillinæ inter alios Bithyniæ populos ſuos nummos dicaſſe videntur, cùm ii ſint potiùs quam aliorum ſuperſtites: unus Imperatori inſcriptus habet ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ *Calchedoniorum*, cum lyra Apollinis ſymbolo, quod à Mercurio accepiſſe fabulantur. Eadem epigraphe in Tranquillina legitur, ſed pro typo exhibet triremem Prætoriam cum remigantibus ad indicandum ad mare ſitum.

Ciani haud dubiè Gordiano nummos cuderunt, ſi Tranquillinæ ejus uxori ſignatos reperiamus, qui certè rariores ſunt, cum Auguſtarum nummi, ut ſolet, minùs frequentes habeantur, & præſertim hujus fæminæ Principis, quorum Latini, id eſt à Senatu cælati, inter rariſſimos ab Antiquariis reponuntur: Hi verò Populi in ſuis poſuêre ΚΙΑΝΩΝ *Cianorum*, cum Hygiæa ſtante ſerpenti eſcam porrigente, cui ſacra pro Auguſtæ ſalute ſe facere demonſtrare volebant.

Nicæenſes Gordiano & Tranquillinæ ſuam gratitu-

dinem teſtari cupientes, utrique nummos ſuos obtulerunt; ſed in parte averſa Imperator ipſe habetur in equo quem ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Equum humano pede* appellant, in dexteriore tenet baculum cui ſerpens eſt involutus, ut Æſculapi mutationem, huic Deo urbis ſuæ præſidi cum Imperatore alludentes, qui in eam ingreſſus dùm è Mæſia in Syriam tranſiens, ſanitatem Imperatori longævam pollicetur. Nummus verò Tranquillinæ præfert ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium*, cum Pallade ſtante, pateram dextra, læva haſtam gerente, ad quam pro conjuge Imperatore ſe ſacra facere, ut ſit illa Dea victoriarum ejus aſſiſtrix denotent.

Nicomedienſes ut Gordiani & ejus Tranquillinæ uxoris gratiam ſibi demerendam utrique nummos tanquam Metropolitæ ſignarunt, Imperatori quidem cum inſcriptione ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum figura galeata ad aram ex averſo Imperatore. paludato ſtante, intermedio ſerpente erecto: in vertice, aquila & templum 4. columnarum. Ad originem urbis ſpectat hic typus; figurâ galeatâ Nicomedes eſſe videtur ut conditor, & Gordianus forſan ut reſtaurator: ſerpens & aquila, locum deſignantes templum Deo nempè Jovi civitatis cuſtodi, ut aliàs diximus in Pruſia Venatore. Tranquillinæ verò eadem epigraphe ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum Cerere velata ſtante, dextra ſpicas, læva tædam gerente, alludentes Auguſtæ, cùm Ceres ſit præcipua civitatis Dea.

Sub Philippo Bithyniæ res admodum obſcuræ ſunt, ipſorum Provinciæ Populorum nummi illi & Otaciliæ Severæ ejus uxori, ceu filio ejus Philippo Cæſari nobis ſuperſunt.

Adrianothyritæ quorundam beneficiorum ab Hadriano conditore acceptorum confirmationem à Philippo obtinuiſſe videntur, cùm illi nummos ex ære Maximo cuderint ΕΠΙ ΑΥΡ. CΩΚΡΑΤΟΥC. ΑΡΧ. Α. ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ, *Sub Aurelio Socrate Archonte primo Adrianotheritarum*, cum Imperatore neque ad bellum proficiſcente. Id eſt quando cum Perſis pacem mortuo Gordiano juniore iniit. Adrianothyritæ cùm Archontes Magiſtratus ex inſtituto accepiſſent, eos pro Prætoribus ut in omnibus ferè urbibus mutatos vidimus, conſervare voluerunt.

Nicæenſes ſeduli erant in ſuis nummis Imperatoribus novis ſignandis: ecce Philippo patri cum epigraphe ΑΥΓΟΥCΤΙΑ CΕΥΗΡΙΑ ΝΙΚΑΙΩΝ, *Auguſtea Severea*, id eſt *certamina Nicæenſium*, cum duabus urnis, in qualibet palmæ ramus. Nicæenſes horum certaminum memoriam revocant, ut ſe Romanis Principibus adductos denotent. Nummos pariter Philippo juniori conſecrarunt ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium*, cum Æſculapio & Hygiæa ſtantibus, Teleſphoro intermedio, ſeligentes illi Deos ſanitati pro Cæſare Philippo vigilantes.

Nicomedienſes toti familiæ Auguſtæ ſuos dedicant, patri quidem Philippo cum hoc lemmate ΝΙΚΟΜΕΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum templo octo columnarum, in cujus aditu aquila & fortè ſerpens templum id octophylon, videtur eſſe illud quod Septimio Severo erectum ſæpius diximus, aquila & ſerpens ad urbis originem ſpectant. Otaciliæ nummi exhibent ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum capitibus Oſiridis & Iſidis adverſis ad eorum cul-

tum in urbe denotandum; ſed Philippum ſibi pro Oſiridi, & Otaciliam pro Iſide tunc eſſe. Philippo autem juniori eandem ſignant inſcriptionem ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum trireme, velo & remigantibus inſtructa, ad notandum ſemper ſibi paratas ad Cæſaris illius obſequium habere.

Decius non tertiam Tribunitiam poteſtatem eſt aſſecutus, quare ſub eo Bithyniæ res ſunt parum notæ; aliquot ſuperſunt illius Provinciæ populorum nummi quos exhibemus Ciani ut Decio & ejus filio Q. Herennio obſequium ſuum teſtarentur: hinc patris effigiem, indè epigraphen ΚΙΑΝΩΝ *Cianorum*, cum capite Q. Herennii ſub imagine Dei Luni, creſcente Luna ornati, ad declarandum Luni in urbe ſua cultum, ſub cujus effigie Q. Herennium venerabantur.

Nicæenſes familiæ Decii gratulantes, ipſi, Etruſcillæ uxori & Hoſtiliano filio nummos ſuos dicarunt, Decio quidem hac epigraphe ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium*. Adſunt tres Charites nudæ, ad cultum Nicææ denotandum. Eteocles Orchomeniorum Rex Gratiarum templum extruxit apud Strabonem. Etruſcilla verò cum hac inſcriptione ΕΠΙ ΑΡΙϹΤΕΟΥ ΝΕΙΚΑΕΩΝ, *ſub Ariſtea Nicæenſium*, id eſt *Prætore*, cum Baccho dextrâ poculum, læva Thyrſum gerente. Bacchus autem à Dione Chryſoſtomo Προπάτωρ Nicææ, auctor nempè civitatis. Hoſtiliano denique Decii filio Nicæenſes, nummos proferunt cum hoc lemmate ΝΙΚΑΙΕΩΝ & pro typo, Serapin dextram coram ara erigentem, & læva haſtam gerentem, cujus jam in Otacilia imaginem ad indicandum in urbe cultum ſuum.

Nicomedienſes ſuos nummos Decio & Etruſcillæ ejus conjugi inſculpſerunt ad eorum benevolentiam ſibi conciliandam. Deus quidem ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum muliere ſcopulis inſidente utraque templum ſuſtinente. Hæc fæmina genius eſt urbis illius ſitum denotans; duo autem templa Diis civitatis Præſidibus erecta. Etruſcillæ verò ΕΠΙ CΤΡ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥC ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ Β. ΝΕΩΚ, *ſub Prætore Hermogene Nicomedienſium bis Neocororum*, cum Fortuna in templo quatuor columnarum. Nummus non modo ejus cultum Nicomediæ, ſed illius templi formam demonſtrat.

Gallus Voluſianum filium ad Imperium conſociavit, ſed breve fuit & ad duos annos non pervenit, ita ut de Bithyniæ rebus ſub iis nihil apud Hiſtoriæ Scriptores occurrit, porrò plurimi ejus Provinciæ Populorum nummi nobis ſuperſunt.

Ciani ordine alphabetico prodeunt primi ſuos nummos Gallo proferentes ΚΙΑΝΩΝ, cum Plutone ſedente dextrâ extensâ, lævâ Biſuleum imperii ſui ſymbolum gerente; pro pedibus gerente, ad demonſtrandum in urbe ſua cultum, quem à Nicomedienſibus habuiſſe denotat idem typus ab iis in nummo Philippi junioris expreſſus.

Nicæenſes Gallo & Voluſiano ejus filio nummos dedicarunt, Gallo equidem cum hac inſcriptione ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Nicæenſium*, cum Imperatore paludato in equo decurrente, dextrâ haſtam, quem ſic depingunt ad bellum contra Scythas proficiſcentem, illi victoriam augurantes: Voluſiano autem cum ea epigraphe ΝΙΚΑΙΕΩΝ cum tribus nudis Charitibus, cujus jam ty-

pum in Decio retulimus ad earum in urbe ſua cultum declarandum.

Nicomedienſes ut Provinciæ Metropolitæ prompti ſemper erant ad ſuam erga novos Imperatores benevolentiam per nummos denotandam ecce Galli ex una parte effigies, & in averſa NEIK ΔIC NEOKOPΩN cum Apolline nudo ſtante, dextrâ plectrum, lævâ lyræ cippo impoſitæ innixa, ad ejus cultum in urbe ſua arguendum, quod ſoli nummi nos edocent. Voluſiani verò nummus præfert NEIKOMHΔEΩN ΔIC NEOKOPΩN in corona ex lauro contexta; in teſtimonium forſan aureæ quam illi in adventu ad Imperium obtulerant, ut ſolebant Provinciæ.

Pruſæi volentes etiam ſibi Galli gratiam conciliare, ſuos pariter nummos illi protulerunt cum epigraphe ΠΡΟΥΣΑΕΩΝ, & Securitate Dea ſedente, dextra Scipionem, ſiniſtra ſellæ innixa caput ſuſtentante, ad denotandum ſub hoc Auguſto per Imperium ſecuritatem.

Sub Valeriano Scytæ Bithyniam ingreſſi eam depopulati ſunt, & Nicomediam ceperunt atque quam multis antea beneficiis Imperator cumulaverat, ut videre eſt per Nicomedienſium & Nicæenſium nummos.

Nicomedienſes Valeriano gratulabundi quod inter beneficia ſibi ab eo collata Neocoriam tertiam conceſſiſſet certamina, non modo in ejus honorem, ſed in filiorum Gallieni & Valeriani junioris memoriam celebrarunt: teſtes ſunt nummi ſequentes, caput Valeriani ex una parte & hæc epigraphe ex altera NIKOMHΔEΩN ΔIC NEOKOPΩN, Imperator paludatus

ludatus in equo currente cum haſta. Hic nummus exhibet Valerianum Româ exeuntem, ad bellum contra Perſas proficiſcentem; cùm tantùm Nicomedienſes tunc eſſent bis Neocori, primùm ab Hadriano facti, & ſecundùm à Commodo, ut ſuprà demonſtravimus.

# BITHYNIÆ URBES
## CLARÆ ET NUMMIS ILLUSTRATÆ.

### ADRIANE.

ADRIANE, undè Adrianenſes, vel Adriani Suidæ, ut inquit, Ἀδριανοὶ πόλις Μυσίας, τῆς νῦν Βιθυνίας. Adriani, urbs Myſiæ, quæ nunc Bithyniæ vocatur. Hæc ab Adriano Imperatore condita, ut nomen ejus perſuadet; ſed an fundamentis erecta, aut fuerit quædam alia urbs ab eo reſtaurata, prorſus ignoratur. Ille ob amorem quo Antinoüs ejus amaſius ex Bithynio Bithyniæ oppido oriundus, Bithyniam quæ erat Provincia Populi Romani contra Pamphyliam Cæſaris permutavit, & eam multis beneficiis locupletavit, plurimiſque urbibus auxit, præſertim Nicomediam & Nicæam terræmotu collapſas inſtauravit. *Ex Euſebio.*

Nummi Adrianenſium hæc ſunt. Alter (vide in Hadriano) præfert capita M. Aurelii & Commodi adverſa, & in parte poſtica, ΕΠΙ Μ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟΒ. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ, *ſub Marco Alexandro Archonte primo iterum Adrianenſium;* Mercurius ſtans dextrâ extensâ, ſiniſtrâ caduceum: ex adverſo fluvius muliebri facie dextra innixus urnæ aquas vomenti, pone eam arbor. Mercurius ſui cultum in urbe, fluvius illius ſitum indicat, ſed cùm ſit muliebri facie, illum ſe exonerare in alium denotat.

Alter exhibet capita M. Aurelii & L. Veri adverſa, in cujus poſteriori parte legitur ΕΠΙ ΛΟΥΚΙΟΥ ΑΠΟ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. ΑΔΡΙΑΝΩΝ, *ſub Lucio Apollinari Archonte primo iterum Adrianorum*; Mercurius ſtans dextra crumenam, ſiniſtra caduceum gerit. Idem Mercurius ſui cultum arguit ut ſupra, crumenam tenet ut commerciorum Deus. *Vide in Septimio Severo in Caracalla.*

ΑΥΤ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ ΓΑΛΙΗΝΟϹ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΒΒ. Tria capita nempè Valeriani ſenioris inter Galienum dexteriorem & Valerianum juniorem à ſiniſtris; in parte poſtica, ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, tres urnæ cum palmis. Hic verò nummus Nicomedienſes à Valeriano ter factos fuiſſe nos edocet, quod confirmant tres urnæ certaminum cum palmæ ramis, triave templa in eorum honorem erecta, ſequentes hujus civitatis in Galieno nummi demonſtrabunt, ac nobis eorum certaminum nomina indicabunt.

Nicæenſes licet nullam in nummis ſuis Neocoriam acceperint, tamen in hoc ſe à Valeriano obtinuiſſe ut eadem certamina quæ in ejus & filiorum honorem à Nicomedienſibus celebrare permiſerat, ſibi inſtituenda conceſſerat, eorumque nomina niſi illa in nummis ſuis conſignaſſent, ignoraremus. Eadem capita, & eadem epigraphe in illis, quæ in Nicomedienſium nummis; pars verò averſa ΜΕΓΙϹΤΩΝ ΑΡΙϹΤΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *maximorum optimorum*, ſcilicet Principum, *Nicæenſium*; tres urnæ cum palmis. Per hunc nummum Nicomedienſium & Nicæenſium certamen in Valeriani cum filiis honorem inſtitutum, maximorum & op-

timorum Principum nomen tuliſſe didicimus.

Galienus in nummis Imperator & Auguſtus appellatur; communicata ei mox à Valeriano patre Tribunicia parte, quare à Bithynis Nicomedienſibus, cùm eſſent adhuc tantum bis Neocori, illi ſunt percuſſi nummi cum ejus capite, & in averſa verò ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum illius figura in equo decurrente, haſta inſigni, cùm nempè ad tutandam Galliam proficiſceretur. Capita Valeriani & Galieni adverſa, in quorum parte poſteriori ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙС ΝΕΩΚΟΤΩΝ, cum tribus templis ſex columnarum, quæ Nicomedienſes ter à Valeriano factos fuiſſe Neocoros, tùm vox *Tric*, cùm illa tria templa demonſtrant. Medium Valeriano patri, in cujus aditu ſtat illius ſtatua, & in aliis duobus ara, pro quorum ſalute, nempè Galieni & Valeriani junioris, ſacra fiebant.

Nicomedienſes non modo Galieno Imperatori, ſed Saloninæ ejus uxori nummos conſecrarunt. En unum cum illius imagine, & in averſa parte ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum Iſid. Pharia utraque manu velum tenente, qui hos Populos ter Neocoros eſſe indicat. Iſis autem ejus cultum in urbe arguentes, ſicut jam in Otacilia Severa obſervavimus. Populi Deas ſæpius pro Auguſtarum typis, quas ſub earum imaginibus plerumque depingebant, ſeligentes.

Nicæenſes cùm à Valeriano ludorum celebrandorum facultatem obtinuiſſent, eam quaſi à Galieno utpote ad Imperii conſortium aſſumpto, etiam habuiſſent, ipſi gratulantes nummos cudere cum illorum nominibus, nempè ΑΡΙСΤΩΝ ΜΕΓΙСΤΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, tres urnæ cum palmis, ut in nummis Nicomedienſium.

Pruſienſes

Pruſienſes ad Hypium ſuos etiam Nummos Galieno inſculpſerunt; & ut illi meliùs gratularentur, Salomni ejus filii caput in averſa parte pro typo exhibuerunt, populorum ſervata epigraphe ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΥΠΙΩ, pro qua voce ultima Triſtanus ΠΡΟΒΕΙΝΩ legit *Probino*, & Pruſienſium Magiſtratum quemdam malè exiſtimat. *Tom. 3. pag. 9.*

# INDEX
## AUTORUM VETERUM ET RECENTIUM.

Ælianus.
Appianus.
Appuleius.
Arrianus.
Asconius.
Athenæus.
Aurelius Victor.
Dio. Cassius.
Cicero.
Claudianus.
Cornelius Nepos.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dionysius Alexandrinus.
Eusebius.
Eutropius.
Florus.
Fulgentius.
*Glandopius.*
*Goltzius.*
Herodotus.
Hennenges.
D. Hieronymus.
Homerus.
Julius Cæsar.
Josephus.
Justinus.
*Lilius Giraldus.*
T. Livius.
Lucianus.
Lucius.
Memnon.
*Morellius.*
Orosius.
*Patinus.*
Pausanias.
*Periplus Pont. Euxin.*
Petronius.
Photius.
Plinius
Plutarchus.
Polybius.
Polyenus Stratg.
Probus.
*Reinerius Reineccius.*
*Salmaſius.*
Salustius.
*Seguinus.*
Servius *in Æneid.*
*Spanhemius.*
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Tacitus.
*Toilius.*
*Triſtanus.*
*Vaillant* Joan.
Valerius Maximus.
*Uſſerius.*
Xenophon.
Xiphilinus.
Zozimus.

# INDEX NOMINUM ET RERUM.

## A

ACHÆMENIDARUM *ſtirpis origo.* 2

ACHÆO Mithridates concedit filiam in uxorem. 42. A Sardis capitur, & ab Antiocho excruciatur. 42

ADRIANUS à Lucullo in Cappadociam miſſus eſt. 119. Partem exercitûs occidit, partem fugat. 120

ALEXANDER *Magnus*, Philippo patri ſucceſſit. Prælio ad Granicum Darii exercitum profligavit, & Aſiam Minorem ſubjugavit. 29

*Alexandrini* Gallos ex Throade ejiciunt. 313

ARCHELAUS victus Syllâ, fugit Chalcidem. 71

AMASTRIS, Dionyſii Heracleæ Tyranni vidua: Zipoetes eam in uxorem duxit. 301

AMYSIS, Gobriæ filia, uxor Darii. 3

ANNIBAL confugit ad Pruſiam. 326. Conſilio arma Pergamenorum ſuperavit. 324. Romani ad Pruſiam mittunt Flaminium ut Annibalem depoſceret. *ibid.* Annibal poſteaquam eſt nuntiatum milites Regios in veſtibulo eſſe, venenum popoſcit. 325

ANONYMUS. Quis loco Artabazis regnaverit ignoratur. 9. Si Cteſiæ & Artaxerxis Mnemonis medicus fuit regnum. *ibid.* Nomen Regis qui Artabazi ſucceſſit, deperditum eſt. *ibid.* Undecim Reges Ponti fuiſſe ex eorum nummis judicatur. 11. Quot annis regnaverit Anonymus quæritur. *ibid.*

—Anonymus, Ignotus nomen hujus Regis Boſphori. 276. Quænam Boſphori amplitudo tempore Romanorum. 277. Boſphorum & Sarmathiam Aſiaticam duo fuiſſe regna oſtenditur. 277. Æræ regnorum Boſphori & Sarmatiæ exponuntur. 278

ANTIGONUS Mithridatem occidere juſſit. 30. Caſſandro & Antigono ſimul bellantibus regnum Ponti recuperat Mithridates. 31. Antigonus Mithridatem occidit. 31. In prælio interfectus eſt. 34

ANTONIUS Triumvir, Bithyniam

in Provinciam Romanam redegit. 224. In Armeniam venit ad bellum Artavaſdi. 225. Ad Praaſpa venit, eam oppugnat. *ibid.* Polemoni Armeniam Minorem dedit. 226

ANTIOCHUS vincit Pruſiam. 321. A Romanis victus eſt. 323. Deceſſit cùm annos 6. regnaſſet. 330. Succeſſit illi filius Antiochus Eupator. *ibid.*

—Antiochus Soter, filius Seleuci, ſuccedit patri ejus. 35. Mortuo in Syria, ſucceſſit ejus filius Antiochus, cognomine *Deus*. 39. Laodice, filia Mithridatis, uxor Antiochi. 40. A Diogneto adducta Laodice ab Antiocho magnificè excipitur. *ibid.*

—Antiochus priuſquam in Antigonum irruptionem faceret, bellum adverſus Nicomedem inſtituit. 305. Pugna abſque effectu. *ibid.* Pace cum Antigono ei Macedoniam ceſſit. 306

APAMEN, Pruſias, Philippi Macedonum Regis filiam ducit in uxorem. 317

APPIUS *Clodius*, ad Tigranem Lucullo miſſus contra Mithridatem. 127. Antiochiam rediit, & ad Imperatorem regreſſus. *ibid.* Iterum & bellum cum Tigrane gerendum apparuit. 128

M. AQUILIUS nepos Conſul, de Ariſtonico triumphavit. 58. Pepernæ ſucceſſor. *ibid.*

ARCHELAUS Præfectus Mithridatis, in Achaiam præmiſſus. 83. Athenienſes amicos Regi reddidit. 83. Ad Chalcidem fugit. 86. Archelaus in Bæotia movit in Mithridatem. 104

ARIAMENES, mortuo Dario, ſucceſſit in Regnum. 5

ARRIANUS Philoſophus, ex Nicomedia oriundus. 376

ARIARATHES Cappadociæ Rex. 4. Mors: filium admodum puerum reliquit, 36. qui in prælio occiſus eſt. 57

—Ariarathes ab Aſia revocat avunculum Ariarathis junioris. 69. Victus à Mithridate è Cappadocia pellitur. *ibid.* Multas gentes è ditione Mithridatis redigit. 84

ARIATHIAS, Mithridatis filius, morbo obiit. 85

ARIOBARZANES, Mithridatis filius, Phrygiæ Satrapiæ ab Artaxerxe præficitur. 18. Mithridate mortuo, regno Ponti potitus eſt. 20. cum Lacedemoniis & aliis Græcis belligerat contra Artaxerxem. *ibid.* Autophradatis Adramittium oppugnans, claſſem pervertit & ſpoliat. 21. Cogit Autophradatem ab Aſſi, & Cotyrn à Seſti urbium obſidione deſiſtere. Datames cum Ariobarzane init amicitiam, ditiones Ochi invadit 23. Ariobarzanes defunctus eſt. 28. Ariobarzanem idem fuiſſe ac Mithridatem probatur. 36

—Ariobarzanem Cappadoces Regem eligunt. 70. Sylla miſſus à Romanis & Ariobarzanem appellavit Regem. 71. Reductus eſt Caſſio juſſu Romano in Cappadociam. 72. Ariobarzanes queritur Româ de retenta ſibi à Mithridate

Cappadocia. 98

—Ariobarzanes miſſus à Senatu ad Nicomedem, ad regnum reſtituendum. 346. Eum reducit in Bithyniam & ille in Cappadociam. 347

Aristonicus, inimicus Romanorum; Licinus contra eos miſſus eſt. 57. Perperna victus & captus eſt: reſervatur decus triumpho Perpernæ, Aquilius de Ariſtonico triumphavit, poſt triumphum in carcere ſtrangulatus eſt. 58

—Ariſtonicus Eumenis Pergami Regis filius nothus ex pellice Epheſina, Parthorum regnum invaſit. 340. Craſſus miſſus contra eum. *ibid.* Sed victus & vulnere mortuus. 341 Perenna ſuperat & capit Ariſtonicum. 341

Arsaces, primogenitus Darii nothi, Ioniæ Præfectus fuit. 15 Cyrus contra Arſacem bellum intulit. *ibid.*

Arses, ſeu *Arſamenes*, Rex Perſarum, Ocho patre mortuo, conſtitutus eſt. 27

Artabazes, Ponti Rex primus. 1. Filius Darii & Amicæ: huic Darius regnum conceſſit. 3. Hujus currus à victore Pompeio in triumpho ejus de Mithridate tranſlatus eſt. 7. Præeſt claſſibus Xerxis adverſus Græcos. 7. In prælio Salamine pugnans cadit. *ibid.* Incertum eſt quot regnaverit annis. 8

Artavasdes Rex Armeniæ Majoris, ab Antonio debellatus eſt. 225

—Artavaſdes Rex Mediæ, Polemonem miſit Antonio, ad amicitiam comparandam. 225

Artaxerxes *Longimanus*, regnavit 41. annis. 12. Græci bellum adverſus eum gerere pergunt. 16

—*Artaxerxes Mnemon*, Perſarum Rex, obiit: cui Ochus filius ſucceſſit. 22

Artheas, antiquiſſimus Rex Ponti. 1

Asander, cui tutelam Boſphori crediderat. 197. Pharnaces intrat in Boſphorum, ab Aſandro vincitur & necatur. 203. & 208. Mithridates bello appetit Aſandrum, pugnâ cum Mithridate victus fuit & occiſus. 209. Decem turribus munit contra Nomadum incurſiones. 210. Non Regis ſed Ethnarchæ Boſphori nomen aſſumpſit. *ibid.* inediâ moritur. 210. & Boſphorum Dinami uxori relinquit. 211. Nummi Aſandri. 212. 214

Asclepiodorus, index conſpirationis in Mithridatem. 89

Astydamas, corporis vires & edacitatem coram Ariobarzane experitur. 28

Attalus venit Romam. 45. & miſſus à fratre, in Senatum ingreſſus, & de Pharnacis queſtus injuriis. 48. Cognominatus Philometoris. 56. In Aſiam venit, Gallos devincit & ex Troade ejecit. 313

—Attalus, frater Eumenis Pergami Regis & ſucceſſor. 330

—Attalus Pruſia debellatus. 330. 31. 32. Magnum exercitum coegit. 333. Claſſem Athenæus Attali frater addu-

xit. 334. Agrum Pruſiæ populabatur. *ibid.* Legatos tres miſit Senatus, bello finem impoſuerunt. 335. Adamus Rex Aſiæ Pergamenus, regnum teſtamento reliquit Populo Romano. 340

Attilius, Romanus Senator, profugus ad Mithridatem, in amicitiam ejus receptus eſt. 151

Atossa Cyrii ſilia, uxor Darii. 5

Authophradates Adamittium undique oppugnat. 21. Prælio fuit ſuperatus ab Ageſilao. *ibid.* Artaxerxes Authophradatem in Cappadociam mittit. 25. Authophradates in Phrygiam ſe recipit. *ibid.*

Autolycus, qui Sinopen condidit, ſtatuam ſibi dedicat. 130

B

Bellum *Mithridaticum*, finitum eſt. 95

——Bellum Mithridatis cum Romanis per annos 46. duravit. 174

Berenice ſoror Mithridatis, poculum veneni ſumpſit. 123

—— Berenice uxor Herodis & Polemonis. 241

Bias Rex Bithyniæ, filius Botyræ, patre mortuo regnat. 300. Profligat Macedones duce Calantho. *ibid.* Mors ejus. *ibid.*

*Bithyniæ deſcriptio*, ſituatio, illius limites, varia nomina, à quo nomen ſumpſit. 295. 96. 97.

*REGES BITHYNIÆ.*

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Dædalſus. | 298 |
| 2 | Botyras. | 299 |
| 3 | Byas. | 300 |
| 4 | Zypœtes. | 301 |
| 5 | Nicomedes I. | 304 |
| 6 | Zelas. | 309 |
| 7 | Pruſias I. Claudius dictus. | 311 |
| 8 | Pruſias II. filius Zelæ. | 322 |
| 9 | Nicomedes II. Philopator. | 340 |
| 10 | Nicomedes III. Epiphanes dictus. | 345 |

*Bithynia*, à Nicomede, ſine liberis defuncto, teſtamento relicta Populo Romano. 358

——Bithynia redacta eſt in Provinciam. 354. Aurelius Cotta miſſus eſt ut Bithyniam tueretur contta Mithridatem. *ibid.*

—— Quot annis regnum Bithyniæ inquiritur. 355

—— Stemma Regum Bithyniæ. 356

——Eventus Bithyniæ Romanorum Provinciæ. 357. Sub Aſiæ Proconſulatu & Prætoris regimine. *ibid.*

——Bithyniæ varii & plurimi Populi Nummos Imperatori Caracalla dedicârunt. 382. 83. 84. 85. Macrino Hadriano. 386. 87. 88. Eliogabalo, 389

——Bithynienſes ordine alphabetico Nummorum in honorem Alexandri Severi à Bithyniæ Populis cuſorum. 390. ad 394. Gordiano Pio, Valeriano Philippo.

— Bithyniæ urbes, claræ & Nummis illuſtratæ. 402
Bitovius Gallus, Mithridate rogante, eum perfodit. 173. 190.

*REGES BOSPHORI.*

1 Pharnaces III. 187
2 Aſander. 207
3 Darius. 216
4 Mithridates VII.
5 Polemo I.
6 Pythoridis Regina. 232
7 Polemo II. 240
8 Mithridates VIII. 246
9 Cotys, Thraciæ, deindè Armeniæ minoris Rex. 249
10 Cotys. 255
11 Ininthimævus. 263
12 Rheſcyporis I. 268
13 Rhoemetalces. 273
14 Anonymus. 276
15 Cotys. 279
16 Rheſcyporis II. 281
17 Rheſcyporis III. 286
— Reliqui Boſphori Reges Anonymi. 291
— Boſphoranorum Regum progenies ſub Philippo extinguitur. 291
— Boſphoranorum Regum ſtemma. 292

Botyras ſuccedit Didalſo, & ejus creditur filius. 299
Brittus naves Metrophamis infeſtat. 83. Şcyathum expugnavit. *ibid.*

C

CÆSAR in Cappadociam venit, deindè in Pontum. 197. Pharnaces miſit Legatos pacem poſtulantes. 197. Jubet Pharnacem à Ponto recedere & alia reſtituere. 198. Non longè à Pharnace caſtris Cæſar caſtra metatur. 200. Commiſſa pugna ſuperat Pharnacem & ejus caſtra occupat. 201. Manubias militibus donat. 203. Tropheum ſibi erigit. 203. Dat Boſphori regnum Mithridati Pergameno. 209
Callimachus defendit Amiſum. 126. Lucullus eum in vincula conjicit. 147
Callinicio ſucceſſit filius Seleucus Ceraunus. 312
*Cappadoces* revocant Ariarathem ab Aſia, ubi educabatur. 343
Carsignatus & *Gaſotorius* Legati. 45
Cassius & *Manius*, reduxerunt Nicomedem in Bithyniam, Ariobarzanem in Cappadociam. 72
— Caſſius Proconſul ad Rhodium pervenit. 81
Castor Mithridatis Præfectus, Phanagoriam arcem intendit. 169
Censorinus Romanæ claſſis Prætor. 128
*Claudiopolitani* Balneum inceperant, 373
Clearchus *Heracleotà*, præcipuus Dux Cyri, Græcos auxiliarios duxit contra Arſacem. 15. In exilium pulſus

eſt. 19. Ad tutelam patriæ revocatus. *ibid.* Mithridatem in urbe capit, acceptâ ingenti pecuniâ dimiſit. 19

CLEOPATRA filia Mithridatis. 114

CLEOCHARUS & *Seleucus* Synopen imperio tyrannico premunt. 128

*Conſpiratores* in Mithridatem excruciati ſunt. 89. Accuſatores à Sylla ſunt affecti ſupplicio. *ibid.*

*Contentio* inter fratres, Artabazanis & Artemenis primogeniti certamen. 5

COTTA & *Lucullus* miſſi contra Mithridatem III. 357. ut Bithyniam tueretur Cotta. *ibid.* Prælio maritimo à Mithridate ſuperatur. 359. Cotta in Bithinia manens Heracleam obſidione cinxit. 123. Fame cepit. 132. 360. Romam revertitur, Pontici cognomento nobilitatur. 132. 360. Accuſatus peculatu. 362

— Memmius Gemellus Conſul, Bithyniam obtinuit; à Julio Cæſare accuſatus eſt. 363

COTYS, Thraciæ, deindè Armeniæ minoris Rex, Polemonis filius. 249. Trebellius Rufus vir Prætorius à Romanis miſſus eſt tutor. 250. Cotys nubit viduæ Mithridatis VII. & Armeniam obtinet. *ibid.* Mors ejus. 251

— Cotys, filius fuit Cotyis Thraciæ, natu minimus, qui confugerat ad Mithridatem Boſphori Regem. 255. Rex Boſphori efficitur pulſo ejus fratre Mithridate à Didio. 256. Romani & Cotys bello appetunt Mithridatem. *ibid.*

— Cotys II. Rex Boſphori, Anonymo ſuccedit. 279. Quot annis regnaverit, & ejus facta ignorantur. 280

CONSONGE, Nicomedi Epiphani uxor. 344

*Licinius Craſſus* Ariſtonicum Pergami invaſorem bello appetit. 340. Sed victus eſt, & ex vulnere mortuus. 341

CREBRO in Græciam miſſus eſt. 59

CYRUS filius Darii Nothi indignatus fratri bellum intulit. 15 In pugna occiditur. *ibid.*

D

DAMAGORAS, Præfectus Rhodiorum. 82. Claſſis Mithridatis ſubvertitur à Damagora. 82

DARIUS ex Amiſe Gobriæ filia tres filios ſuſcepit, 3. Ex Atoſſa Ciri filia, erant alii quatuor. 4

— Darius Hiſtaſpis filius Ponticum regnum conceſſit. 2

— Darius Ponti Satrapiæ præfecit Artabazem filium. 6

— Pontum & Cappadociam in regna Darius erexit. 6

— Darius Nothus, & Artaxerxes Mnemo, regnum ambo tenuerunt. 12. Regnavit Darius Nothus 19. annis. *ibid.* Duos habebat filios. 15

— Darius Pharnacis filius recuperat Pontum ſibi ab Aſandro ereptum. 216. Auxiliatur Octaviano & Antonio ad Philippenſem pugnam. *ibid.* Rex Ponti

Ponti ab Antonio conſtituitur. 217. Facta Darii & regni tempus ignorantur. *ibid.*

DATAMES, Thyam rebellem conatur reducere. 22. Contra Ægyptios præficitur exercitui Perſarum. *ibid.* Sed Aulicorum invidiâ relinquit exercitus & Imperium, revertitur in Cappadociam.

——Cum Ariobarzane Datames init amicitiam, ditioneſque Ochi invadit. 23. Aggreditur Aſpim regiones vaſtantem: Datames capit Aſpim. 24. & tradit Ariobarzanis filio ad Regem ducendum. Piſidæ ob captum Aſpim, ſocium bellum inferunt Datami.

——Datames Piſidas & profugos profligat. *ibid.* Ochus multoties tentat interficere Datamen. 25. Ochus præcipit Mithridati ut interficiat Datamen. 25. Mithridates dolo interficit Datamen. 27

DEJOTARUS ad Domitium venit oratum contra Pharnacem. 192

DIDALSUS primus Bithyniæ Rex. 298. Reſtaurat Aſtacum à Megarenſibus conditam. *ibid.* Tempus regni & mortis Didalſi ignoratur. *ibid.*

DIDIUS Romanorum Dux, Mithridate regno expulſo, illud Cotyi fratri conceſſit. 247

DIEGYLLIS Thraciæ Regis filia noverca Pruſiæ. 335

DIOGENES filius Archelai cecidit in pugna. 90

DIOGNETUS *Navarchus*, Dux claſſis, è Cappadocia ad Euxinum, *Laodicen* Mithridatis filiam ducens Antiocho. 40

DIONYSIUS *Eunuchus*, è poto quod ſecum habebat veneno expiravit. 112

DITIZELES, gente Phrygia, uxor Nicomedis, mortem obiit cùm canis regius abripuiſſet mordicus dexterum humerum illius amplexantis Regem. 307

DOMITIUS *Calvinus*, cui Cæſar Aſiam adminiſtrandam tradiderat. 192. Proficiſcitur in Armeniam contra Pharnacem. 193. Pugnâ victus in Aſiam ſe recepit. 196

DORILAUS *Ponticus*, in Creta miſſus à Gnoſſiis Dux creatus. 59. Enutritus fuit cum Mithridate Eupatore. 65. Duxit exercitum ad Archelaum. 89. Syllam ſequitur in Boetiam. *ibid.*

DRIPETINA Ladoice Regina nata, filia Mithridatis, comes fugæ patris. 162

DYNAMES uxor Aſandri, Boſphorum regnum teſtamento maritus reliquit. 211. Scribonius eam duxit uxorem. *ibid.*

—— Polemoni conjux Dynamis data, Auguſto id probante. 227

## E

EUMENES Rex Pergami in Bithynia plurimas civitates cepit. 309. Inter Pruſiam bellum ortum eſt. 323. Sed propter ſocietatem Romanorum, Pruſias victus eſt. 323. Moritur Eumenes Pergami Rex, cùm annos 39. regnaſſet. Attalo fratri reliquit regnum. 330 Regis Attali teſtamentum Romam attulit. 340

Epyanaxa Syenneſis Cilicum Regis uxor. 14

Eumachus Mithridatis Dux, Phrygiam incurrit. 109

Etareta ſecunda uxor Nicomedis. 307. Zelum novercæ machinis ex aula expellit. *ibid.*

Eumenes Pergami Rex, Populi Romani ſocius, bellum contra Pharnacem inſtigavit. 44. Legatos mittit Romam, vituperant Pharnacem coram Senatu. 45. Variæ legationes & varia bella contra Pharnacem. 46. 47. 48. Acta pacis inter Pharnacem & Eumenem. 49. Fratres Eumeni Attalus, Philaterus & Athenæus. 48. Eumenis ſororem duxit Pharnaces. 51. Mortuus eſt. *ibid.* Filius qui ex pellice Epheſia Cythariſtæ cujuſdam filia genitus, Aſiam invaſit. 56. morbo correptus obiit. 57

F

Fannius (*L.*) ab exercitu profugus Mithridati ſe adjunxit. 99. Victus à Mamerco in Mæſiam profugit. 109

Fabius incluſus oppugnatus eſt, à Trajano ſervatus eſt. 148. In Comana fugientem inſecutus eſt, ibi vicit. *ibid.*

Fimbria Mithridatem obſedit. 92. Miſit ad Lucullum oratum, claſſem ut adduceret. *ibid.* Provinciam Cappadociam obeundo mulctabat. *ibid.*

G

Gabinius (*A.*) miſſus eſt in Aſiam. 352

Gabinus bibacitate ſolus expers fuit. 98

*Galli* Aſiam depopulati Galatiam occupant, & in ea urbes condunt. 306. Attalus vincit Gallos. 309. Pruſias eoſdem vincit. 313

M. Acilius *Glabrio*, Bithyniæ & Ponti ſucceſſor Lucullo datus eſt. 152

Gordius, quo miniſtro uſus Mithridates in Ariarathe interficiendo eſt. 68. Prorex creatus à Mithridate ob amicitiam, non obtinuit & regnum invaſit. 70. Gordius interfectus eſt. 71

—Gordius mittit Mithridatem contra Murenam. 97. & vincit Murenam. *ibid.*

Gura frater Tigranis in poteſtatem Luculli ſe dedit. 146

H

*Heraclienses Ponti*, Heraclitum in vinculis invenerant, & Aphrodiſum urbium procuratorem fecerunt. 35

—Sibi Romanorum odium conciliant. 102

—Phocritum tutorem civitatis faciunt. 302. Nicomedes ab illis auxilium petit. 304

—Cicenum & Tium & Thyniadem terram ad ſe reduxerunt. 305

Hypsicratia conjux Mithridatis. 162

I

JULIUS-CÆSAR mittitur in Bithyniam.
—— Proſtratæ Nicomedi pudicitiæ accuſatur. 353. In Aſiam, in Armeniam venit. 364
ININTHIMÆVUS Cotyi ſucceſſit in regno Boſphori. 264. Nihil de illo Scriptores, ſed tantùm Nummi. Videtur fuiſſe filius Cotyis Thraciæ Regis. 265. Nummus explicatur. 266
*Ioniæ Præfectura*, Arſaci à patre conceſſa. 15
—— 80. millium numerus *Italorum* occiſorum uno die. 81
*Jure-jurandum* more Perſico. 25

L

LAODICE uxor Mithridatis IV. filia Callicini. 39
—— Laodice nomen eſt apud Seleucidas ſæpius uſurpatum. *ibid.*
—— Laodice uxor Antiochi. 40
—— Laodice uxor Achæi. 42
—— Laodice vidua Ariſtonici, regnum adminiſtrabat. 59
—— Laodice ſoror Mithridatis, ſibi Nicomedes in matrimonium tradidit. 68. 343

*Legati Romani ad Pruſiam.*

Caius Sulpicius Gallus & Manius Sergius. 330
L. Apuleius & C. Petronius. 331
C. Claudius Cento, L. Hortenſius & C. AuruncuIeius. 332
L. Anicius & C. Fannius & Q. Fabius Maximus. 333
Appius Claudius, Lucius Oppius & Aulus Poſthumius.

LEOCRITUS Pharnacis Præfectus, Teium oppidum oppugnat. 48
LEONIPPUS, cui Synopes cura commendata fuerat à Mithridate, juſſu Cleocharis interficitur. 128
LICINIUS *Craſſus* miſſus adverſus Ariſtonicum. 57. A Barbaro ſicâ in prælio interempus eſt. 57
LUCULLUS unus ex Legatis Syllæ in Syriam navigat. 85. In Aſiam ad Mithridatem perſequendum miſſus eſt. 101. Facta Luculli contra Mithridatem. 105. Cyzicenorum urbem auxilium ſubduxit. 107. Hermæum & Marium præficit & vincit. 110. Triginta naves ad Tenedum cepit. 112. Inſequitur Mithridatem in Bithyniam. *ibid.*
—— Lucullus Cotta & Triarius ad Nicomediam conjuncti in Pontum irruptionem fecere. 113. Undique Mithridatem aggredi ſtatuit. 115. Varia facta Luculli. 116. Mithridatem inſequitur. 117. Pugnat & Ponticos fugat. 118. Theſauros caſtelli Cabiris Lucullus invenit. 124. Pontum ingreditur. *ibid.* Chaldæos & Tibarenos ſubegit. 125. Capit & diruit Eupatoriam. 126. Amiſum capit & comburitur. 127. Legatum ad Tigranem miſit Appium Clodium. *ibid.*

Diis ſacrificat, Synopem obſidet. 128. Ingreſſus urbem multos occidit. 130. Somnii causâ Synopem liberam fecit, solùm ſtatuam ex ea aufert. 130. Amyſum etiam reſtituit ſuis civibus. *ibid.* In Cappadociam intrat, tranſit Euphratem. 131. De prodigio gaudet. 132. Iter facit per Sophenem. *ibid.* Iniit in Armeniam *ibid.* Varia pugna contra Tigranem. 136. Lucullus Tigranocerta potitus Theſauros Regis cepit. 340. Ad Lucullum totius Orientis venêre Legati. *ibid.* Lucullus Arſaci Legatos mittit. 141. In Tarbieni Regiis aurùm & argentum reperit. 142 Arſaces petit amicitiam Luculli, & ad eum miſit Sextilium. *ibid.*

—Lucullus Parthicam deponere cogitur. 143. Movet in Tigranem eumque vincit. *ibid.* Verſus Artaxatam contendit, eum inſequitur Tigranes. 144. Lucullus & hoſtes ad pugnam ſe accingunt. 145. In duplici prælio fugat, trucidat Ponticos & Armenios. 146. Niſibim obſidet & capit. 147. Callimachum in vincula conjicit. *ibid.* Lucullum milites deſerunt & ad Glabrionem difflunt. 152. Lucullus redit Romam. 156. Triumphus Luculli de Mithridate victoris. 178. 362

Lysimachus in Aſiam trajecit, & urbes quæ Antigono parebant occupavit. 34. Cium urbem Mithridati III. arripuit. *ibid.* Lyſimachus victus atque occiſus. *ibid.*

—Lyſimachus à Zipoete repulſus eſt è Bithynia. 302

M

Machares filius Mithridatis, Rex Boſphori. 98. Eum Lucullus in amicum Romanorum recipit. 129. Mithridates eum interfecit. 167

*L. Magius* & *L. Fannius* profugi Mithridati ſe adjunxerunt. 99

Mancæus Tigranocerta Præfectus milites exarmavit. 139

Manius *Aquilius* Dux Romanorum vincitur à Ducibus Mithridati. 75. 350

Q. Marcius miſſus eſt à Senatu ad res viſendas & ſtatum Græciæ ac Macedoniæ. 44

*Marius* & *Cinna* Syllæ inimici, illum in urbe hoſtem indicârunt. 91

—Marius & Eumachus Duces adverſus Lucullum miſſi. 103. Marius à Caroculo captus, Luculli juſſu occiſus eſt. 112

*Medus Mithridates*, Tigranis gener, Romanos magna clade affecit. 152

Menedemus vitam ſervat contra Olthaco. 118

Menander Sornatium prælio fugam edidit. 119

Metrophantes Regius Prætor à Mamerco victus. 109

Metrophanes miſſus à Pompeio ad Mithridatem. 154

Monimiam Philopœmenis filiam recepit Mithridates in ſuum Gynæcæum. 78

Mithridates Rex Ponti, oriundus à ſeptem Perſis. 2. Et à

Dario ſtirpem deductam refert Appianus. 4
—Mithridates Rex IV. Ponti, pro patre Rhodobaſio regnat in Ponto. 14
—Mithridates cum Cyro contra Artaxerxem conſpirat. 14
—Mithridates Artaxerxi per Tiſſaphernem reconciliatus eſt 15. In Pontum reverſus eſt, 17. Statuam Platonis Magiſtri adhuc viventis poſuit. 18
—Mithridates in urbe captus, Clearcho & ingenti pecunia dimiſſus. 19. Mortuus eſt anno ſequenti. *ibid.* Ochus præcipit Mithridati ut interficiat Datamen. 25. Simulat ſe Regis Perſarum inimicum. 26. Dolo interficit Datamen. 27. Reverſus in Paphlagonia. *ibid.*
MITHRIDATES II. poſt Ariobarzanis patris mortem, Ponti regnum obtinuit. 29. Alexandrum Magnum in expeditionibus ſuis comitatus eſt. 29. Venit in ſuſpicionem Antigonio. 30. Demetrii arte mortem juſſu Antigoni vitat. Cappadociam & Ponticum obtinet. *ibid.* Caſſandro & Antigono ſimul bellantibus regnum Ponti recuperat. 31. In gratiam Antigoni receptus ab eo inopinanter occiditur. 31. Deteguntur loci difficiles Plutarchi de Mithridate & redarguuntur errore Reineccius & Henninges. 33
MITHRIDATES III. patri in Ponti regno ſucceſſit. 34. Lyſimachus illi urbem Cium eripuit. *ibid.* Lyſimacho occiſo Seleucus Myrinam Mithrid. reddidit. *ibid.* Ariarathis Cappadociæ Regis morte Mithridates Cappadociam invadit. 36. Mortuus eſt. 37
MITHRIDATES IV. in puerili ætate ſuccedit patri. 37. Galatæ vexant Pontum, Heraclienſes auxiliantur Mithridati. 38. Heraclienſes à Galatis vexati, pecuniâ corrupti deficiunt Mithridate. 38. Contra eos implacabilem reddidit. 39. Mithridates nubit filiæ Callinici. 39. Sinopenſes ſe terra marique contra Mithridatem muniunt. 41. Mithridates fruſtra obſidet Sinopen. 42. Achæo concedit filiam Laodicen in uxorem. 42. Quandiu regnavit ignoratur. *ibid.*
MITHRIDATES V. Pharnacis unicus filius atque heres, mortuo patre, regnum aſſumpſit. 55. Romam Legatos mittit de Pruſia Attalum aggrediente quæſituros. 55. Mithridates copias ſubminiſtrat Attalo contra Pruſiam. 56. Mithridates Populi Romani amicitiam appetivit. 156. *Benefici* cognomen. *ibid.* Romanis auxilium fert contra Ariſtonicum. 56. Mithridati Senatus dat Phrygiam majorem, bellum movet adverſus Cappadociæ Regem, eam recuperandi causâ. 59. Mithridates repentè moritur. 60. Quot liberos reliquit. *ibid.* Nummi Mithridatis V. explicantur. 61. Nomen uxoris ignoratur. 60
MITHRIDATUS VI. filius Mithridati V. Gaziura Ponti regia

educatus eſt. 56. Succedit occiſo patre., 64. Cæleſtia oſtenta magnitudinem prædixerunt. 65. Tutorum inſidias vitat veneno, ſe aſſuefaciendo & venando. *ibid.* Matrem & fratrem necat. Scytas bello aggreditur, & ingenti felicitati perdomat. 66. Boſphori regno potitus eſt & ſubegit Reges circa Phaſin. *ibid.* Legatos miſit Romam contra Saturninum. *ibid.* Regni limites uſque ad parvam Armeniam extendit. 67. Aſiam pervagatur Bithyniam & in Pontum redit. *ibid.* Veneno appetitus à Laodice facinus in autores vindicat. 67. Exercitationes ejus. *ibid.* Cum Nicomede Paphlagoniam dividit. Superba reſponſio Legatis Romanorum. 68. Interfici jubet filios ſororis ſuæ. Præſidia Nicomedis Cappadociæ expellit, regnumque ſororis filio reſtituit. Mithridates vincit Ariarathum & è Cappadocia pellit. 69. Miſit Legatos Romam ob Cappadociam. 70. Senatus Cappadociam illi adimit. *ibid.* Mithridates Ariobarzani bellum intulit. 71. Mithridates Socratem contra fratrem inſtigat, & cum exercitu miſit qui regnum hoc ſibi uſurpavit. 71. Mithridates Pelopidam miſit Romam, ſed demiſſus eſt è Conſiſtorio. Irato Mithridate miſit filium Ariarathem ad occupandum regnum Cappadociæ. 73. Romani jubent Mithridatem à bello abſtinere. *ibid.* Duces Romani & Nicomedes terra marique Mithridatem aggrediuntur. 74. Mithridates copias & naves parat, & auxilia petit contra Romanos. *ibid.* Propè Amnium flumen Nicomedes & Duces Mithrid. acies conſtruunt, & magna exercitus Nicomedis ſtragem edunt. 75. Mithridates captivos benignè tractat. *ibid.* Manius vincitur à Ducibus Mithridatis. 76. Mithridates totam Nicomedis ditionem obibat. *ibid.* Subegit Lyciam & Pamphyliam uſque ad Ioniam. 77. Circumduxit Oppium, oſtentans captivum Romanum. *ibid.* Manius trahebatur in Aſino, & aurum liquatum in os ejus infundit Mithridates. 78. Ex Ionia revertens conſpicatus formoſam virginem. 78. Bellum Marſicum ſopitum eſt. 79. Mithridates contra Rhodios plures naves fabricavit. *ibid.* Italici generis occiſi ſunt juſſu Regis. 80. 81. In Coum trajecit, ubi theſauros Cleopatræ aſſumpſit. 81. Ad Rhodium advenit, fruſtra tentat Inſulam. 82. Archelaum miſit in Græciam. 83. Populum Athenienſem amicum Regi reddidit. *ibid.* Sylla contra Mithridatem profectus eſt. 84. Arcathias filius Mithridatis obiit. 85. Sylla Athenas & Piræum obſidet. *ibid.* Omnes ſuſpectos colligit & omnes necavit. 86. Zenobius Chium bonis venditis in Pontum præducit juſſu Mithridatis. 87. Mithridates urbes Græcas ſibi devincit liberaliter tractando. 88. Mi-

thridates detecta in ſe conſpiratione autores excruciat. 89. Sylla vincit Archelaum. 90. Mithridatis filius Cyzicum venit. 91. Ex Aſia ad Miletopolim & ad patrem ſalvus evaſit. 92. Fimbria obſedit Mithridatem. *ibid.* Mytilenen fugit. *ibid.* Juſſu Mithridatis Archelaus pacem poſcit à Sylla. 94. Sylla & Mithridates de pace colloquuntur. *ibid.* Leges pacis Syllam inter Mithridatem initæ numerantur. 95. Mithridates in Pontum reverſus multas gentes ſub poteſtatem redegit. *ibid.* Filium rebellem occidit. *ibid.* Mithridates ad Murenam Legatos miſit & ad Senatum etiam miſit. 96. Gordium mittit contra Murenam. 97. & vincit Murenam. *ibid.* Convivium ſolemne. 98. Subegit Boſphorum, Genti filium Macharem Regem dedit. *ibid.* Mithridates offert auxilium Sertorio pro confirmanda ſibi Aſia. 99. Mithridates belli apparatus facit. 100. Jovi ſacra facit. 101. Auxiliatur à vicinis. 100. Venit in Paphlagoniam, milites ad bellandum incitat. 101. Invaſit Bithyniam. *ibid.* Aliquot urbes cepit. *ibid.* Duces Mithridatis Rutilli exercitum debellant. 103. Nudus ſuperatur à Mithridate propè Calcedonem. *ibid.* Mithridates vincit Cottam prælio maritimo. 104. Archelaus in Bœotia movit contra Mithridatem. *ibid.* Mithridates Cyzicum petit & montem occupat, Cyzicum oppugnat. 107. Per machinas & ſtratagemata inutilia lacerat urbem; oppugnati Mithridatem repellunt. 108. Lucullus auxilium in urbem immittit. *ibid.* Pars exercitus Mithridatis fame & morbo perit. *ibid.* Mithridates noctu fugit. 110. Perinthum circumſidet & oppugnat, eaque non potitus. 111. Victoriam reportat in Tritarium. *ibid.* Naves 32. perdidit, & Lucullus eum inſequi in Bithyniam. 113 Mithridates tempeſtate ejectus Heracleam Ponticam. 113. Novos belli apparatus facit. 114. Lucullus & Mithridates ſe ad prælium accingunt. 118 Lucullus Ponticos fugat. *ibid.* Sornatius fugit. 119. Mithridates cum Ducibus fugam capit. 121. Tigranes recuſat apud ſe fugientem Mithridatem recipere. 122. Mithridates mittit Bacchidem ut ſorores, uxores, concubinas interimeret. 123. Lucullus in ditionem Mithridatis devaſtat. 125. Lucullus contra Mithridatem ad Tigranem Legatum miſit. 127. Mithridates & Tigranes colloquuntur. 132. Mithridates Tigranem de clade acceptа conſolatur. 138. Mithridates & Tigranes colligebant alium exercitum, 140. Arſaci auxilium petunt. *ibid.* Mithridates copias parat. 143. Multos Romanos interfecit, victoriam reportat in Triarium. 150. In campo Mithridates erexit tropheum. 151. Mithridates curato vulnere in-

Armeniam ſe recepit. *ibid.* Totum fere regnum Luculli & Glabrionis. 153. Pompeio mittit Legatos Mithridates de pace cum eo acturos. 155. Pompeius ditionem devaſtat. 156. Varia hoſtilia Pompeii. 157. Mithridates capta Manaitine Armeniam petit. 158. Solus cum Hypſicrata & Drypetina caſtellum fugit. 162. Tigranes eum recipere recuſat, fugit Mithridates in Colchidem. 163. Pompeius contra Mithridatem iter intendit. 165. Mithridates hybernat in Dioſcuriade. 166. Per gentes Scythias vadit. *ibid.* Ad Pompeium miſit. 167. Pacem petit. *ibid.* Denegata ſibi pace ad bellum ſe accingit. 168. Morbus ulceratus in facie. *ibid.* A ſe deficientes ſupplicio afficit. 169. Filiæ Mithridatis ad Pompeium adductæ ſunt. 169. Regno, liberis & caſtellis ſpoliatus cogitat in Gallos invadere. 170. Exercitus Mithridatis Pharnacem eligit Regem & coronat. 172. Amici ſatellites Mithrid. occiduntur. *ibid.* Uxoribus venenum dat. *ibid.* Veneno aſſuefactus eo non poteſt conficere. 173. Eo rogante perfoditur à Bitorio. *ibid.* Cadaver Sinopen in trireme tranſmiſit. 175. Corporis & animi dotes. 186. In Talauris opes & theſaurum Mithridates. 177 Nummus Mithridatis Eupatoris explicatur 181

*Mithridates Pergamenus,* ejus origo. 209. Cæſar dat Boſphori regnum. *ibid.* Bello appetit Aſandrum, pugna cum Aſandro victus fuit & occiſus, *ibid.*

MITRIDATES VII. an filius aut tantum Darii nepos fuerit diſquiritur. 218. Parte Bithyniæ contermina potitur. Mortuo Mithridate ejus ditio in Provinciam redigitur. 217. 224. Ejus Nummus 220. Filius à Caligula obtinet Boſphori regnum. 241. Uxor cum Cotye minoris primùm Thraciæ deindè Armeniæ Rege ſe conjunxit. 219. Expulſo è regno Boſphorano à Didio, Regem Dandaridarum pellit è regno. 256. Romani & Cotys bello appetunt *Mithridatem.* 256. Repellitur è Boſphoro à Romanis & à Cotyis. *ibid.* Obſident urbem Uſpen. 257. Prælio navali vincunt Mithridatem. *ibid.* Mithridates adit Eunonem & veniam ab eo petit. 258. Eunones ſcribit pro ſalute Mithrid. Caligula. *ibid.* Caligula concedit Eunoni, at clementer tractat Mithridatem. 258. Mithridates Romam ducitur, & juſſu Galbæ interficitur. 259. Nummus Boſphori Cottis Regis. 261

MITHIDATES VIII. Boſphori regnum à Claudii munificentia accepit. 246. Nulla cauſa Regibus proximis bellum indixit. Claudius ut à bello abſtineret, juſſit. 247. Didius Mithrid. regno depellit. *ibid.* Proſapia Regia Mithridatis Eupatoris. 248. Mithridates fruſtrà Legatis quæritur de Nicomede. 346.

346. Senatus denegat Mithridatis Legatis petitiones, eumque minantur. Romani Duces jubent Mithridatem abſtinere à Nicomede & Cappadocia. 347. Se ad bellum parat, copias undique cogendo. 348. Ad Amnium flumen acies inſtruit. 349. Ducibus Mithridatis ſuperatur Nicomedes. *ibid.* Mithridates totam Nicomedis ditionem invadit. 350. Sylla miſſus contra Mithridatem. 351. Aſia potitur Mithridates. Colloquuntur Sylla & Mithridates de pace, & pacem concedit Sylla Mithridati qui recedit in regnum. 352

MITROBARXANES ſocerus Datamis. 24. Miſſus ad Tigranem. 133

MURENA bellum renovat per Cappadociam, invaſit Comana urbem. 96

—Murena Aſiæ Prætor pacem frangit cum Mithridate. 352. Senatus jubet Murenam abſtinere armis contra Mithridatem. Ab Aſia revocatus. *ibid.*

N

NEOPTOLEMUS & *Archelaus* ambo fratres, & Duces Mithradis. 74

NERO Alpes Cottias & Pontum Polemoniacum in Provincias redigit. 242

*Nicenenſes* theatrum conſtruere cœperunt. 373. Templum, feſta ad honorem Commodi fecerunt. 377. Severus & Niger, prælia varia. 378

*Nicomedia* Bithyniæ Metropolis, à Commodo plurimis beneficiis cumulata eſt. 376. A Senatu certamina celebrarunt, templumque Commodo fecerunt. 377. Templum octo columnarum. *ibid.* Varii Nummi Nicomedienſium. 379

—*Nicomediæ* Collegium Fabrorum, quod urbs incendiis obnoxia eſſet, inſtitutum eſt. 373 æquæductus.

NICOMEDES, Bithyniæ Rex, auxiliis Romanos juvit, 57. Cum Mithridate Paphlagoniam dividit. 67. 341. Filium ſuum Paphlagonum Regum nomine appellat. 341. 682. Cappadociam invadit. *ibid.* & 342. Mithridatis ſoror per pactionem in matrimonium ſe tradiderat. 68. Miſit Romam Legatos & uxorem ob Cappadociam. 70. 343. Senatus Paphlagoniam adimit *ibid.* Nicomede mortuo Senatus Bithyniæ Regem conſtituit Nicomedem. 71. Nicomedes regno pulſus ſupplex Romam venit, reſtituitur in regnum decreto Senatus 72. Reductus eſt à Caſſio in Bithyniam. 72. Mors Nicomedis. 101

*Nicomedes Zipœtes*, patrem in regno natu-maximus excepit. 304. Auxilium contra Antiochum ab Heraclienſibus petit, 305. Antiochus bellum adverſus Nicomedem inſtituit. *ibid.* Nicomedes auxilia collegit. *ibid.* Pugna abſque effectu, Nicomedes regni tranſitum Gallis ſub conditionibus concedit. 306. Ditizelem gente Phrygiæ in uxorem duxit. 307

Mortua Ditizele alteri ſponſæ Etazetæ nomine nupſit. 307. Moritur poſtquam regnaſſet annos 37. Ipſius in honorem ſtatua eburnea in Olympis Templo collocata eſt. 308. Filiorum curatores elegit Ptolomæum & Antigonum. *ibid.*

—*Nicomedes* filius Pruſiæ, cum Mena rediens conſpíraverunt in Pruſiam. 336. Exſcendit Nicomedes navem purpuratus & diadematus more regio, Menæ exhortatione proclamatur Rex. 337. Auxilium Andronicus ab Attalo. *ibid.* In Bithyniam invaſit. *ibid.* Legati Pruſiæ profecti in Bithyniam ſimulantibus authoritate Senatûs cedere, Nicomedes cum exercitu introgreſſus eſt Nicomediam. Pruſias confugiens ad aram Jovis interfectus eſt.

Nicomedes II. Interfecto patre in Bithynia regnare cœpit. 340. Interfecto juſſu Mithridatis Ariarathe, Cappadociam invadit. 342. Nicomedes timens ne Mithridates Cappadociam invaderet, miſit Romam uxorem. 343. Senatus aufert Cappadociam Mithridati & Paphlagoniam Nicomedi. 244. Nicomedes filius Socratis è vivis tollitur. *ibid.*

Nicomedes III. Rex Bithyniæ, Nicomedis Epiphanis filius, poſtquam Socrates è regno expulſus, Rex Bithyniæ nominatur. 346. A Senatu Rex confirmatus & cognomen Eupatoris ſumit. *ibid.* Per Legatos Romæ queritur de invaſa Bithynia à ſuo fratre, reſtituitur à Legatis. *ibid.* Nicomedes in ditionem Mithridatis irrupit, & uſque Amaſtrim urbem populatus eſt. 347. Legati Romanis Nicomedis culpam in Mithridatem transferunt. Nicomedes ad Amnium flumen acies inſtruit. 148. Nicomedes à Ducibus Mithridatis ſuperatur. 349. Nicomedes fugit in Paphlagoniam. *ibid.* Mithridates totam ditionem invadit. 350. Nicomedes Nicomedis filius, tandem mortuus ſine liberis, hæredem teſtamento Populum Romanum reliquit. 353. Poſt Nicomedis ultimi mortem in urbem teſtamentum allatum, Bithynia redacta eſt in Provinciam. 354

Nudus Præfectus claſſis Romanæ. 103

*Nummi ad honorem Imperatorum cuſi Bithyniæ Populis.*

| | |
|---|---|
| Caracallæ. | 382 |
| Macrino. | 386 |
| Hadriano. | 387 |
| Eliogabolo. | 389 |
| Alexandro Severo. | 390 |
| Philippo. | 396 |
| Gordiano Pio. | 395 |
| Gallo. | 399 |
| Valeriano. | 400 |

Nymphis Legatus Princeps, Hiſtoriæ Scriptor. 38

Nyssa ſoror Mithridatis capta eſt Lucullo. 124

O

OCHUS filius junior Artaxerxis Mnemonis Perſarum Regis in regno ſuccedit. Appellatus etiam Artaxerxes. 22. Ochus fruſtra multoties dolo interficere Datamen conatur. 25. Præcipit Mithridati ut interficiat Datamen. 25. Ochus Bagoæ Eunuchi artibus perimitur. 27
OLTHACUS, *Olchabas* Scytha ſe ſe offert Lucullum interfecturus. 116
Q. OPPIUS adductus eſt Mithridati, & eum illæſum circumducebat Mithridates oſtentans captivum Ducem Romanum. 77
ORÆZES Albanorum Rex inſidias Pompeio ſtruxit. 165
*Oſtenta cæleſtia* magnitudinem Mithridatis VI. prædixerunt. 65
ORTIOGON Galatarum Rex. 323

P

PELOPIDAS Orator, miſſus à Mithridate ad Romanos, ſed inutile. 73
PERGAMUS Rex. *Vide* Eumenes.
M. PERPERNA Conſul, Aſiam ſortitus, morte P. Craſſi. 57. Prælio Ariſtonicum vincit capitque. *ibid.* Pergami morbo correptus obiit. 58
Perſarum appellatio *Saanſaan*, id eſt *Rex Regum.* 14
PERSEUS, nothus filius Philippi, Legatos Romam mittit ad petendum ut Rex à Senatu appelletur. 326. Magno belli apparatu relicto à Philippo uſus eſt. *ibid.* Bellum inter Romanos & Perſeum.
PHARNACES in regnum Cappadociam habuerat. 4. Cognominatur *Perſen.* *ibid.*
—— Pharnaces Mithridati IV. poſt mortem patris regni Ponthici habenas ſuſcepit. 43. Synopen obſidet eamque capit. 44. Oritur bellum inter Pharnacem & Eumenem. *ibid.* Legatos miſit Romam. Legati Eumenis Pharnacem vituperant coram Senatu. 45. Variæ legationes variaque bella inter Pharnacem & Eumenem. 46. 47. 48. Auxilium petit à vicinis Principibus. 47. Conditiones pacis actæ inter Pharnacem & Eumenem. 49. Eumenis ſororem duxit Pharnaces. 51. Mors Pharnacis. *ibid.*
—— Pharnaces Mithridatis VI. filius, electus Rex ab exercitu Mithridatis. 172. 189. Pompeius dat Pharnaci Boſphorum. 175. 187. Phanagerenſes oppugnat, eos vincit. 191. Synopen capit. 192. Belligerat cum Romanis & contra Domitium. 194. Pugna & victoria Pharnacis. 196. Crudelitas ejus erga Ponticos, multos interficit, Amyſum expugnat. 197. Miſit Legatos Cæſari pacem poſtulantes. 197. Cæſar non longè à Pharnacis caſtris caſtrametatur. 200. A Cæſare victus eſt. 201. Refugit Synopen. *ibid.* Conatus intrare in Boſphorum, ab Aſandro vincitur & necatur. 203.
PHENIX vir regii generis. 117

PHILIPPUS Rex Macedonum, bellum contra Ætolos infert. 317. Facta eſt pax inter Philippum & Ætolos. *ibid.* Philippus & Antiochus regnum Ptolemæi Philopatoris diviſerunt. 318. Mortuus eſt, & Perſeus filius ejus nothus ei ſucceſſit. 326

PHILITEUS *Abydenus*, ab Ariobarzane Artaxerxis Satrapa in Græciam miſſus. 18. In Aſiam rediit. *ibid.*

PHOCRITUM civitatis Heraclienſes principem & curatorem fecerunt. 302

PLATONIS ſtatuam adhuc vivente Mithridates poſuit. 18. Academia ab Athenis mille paſſus diſtans. *ibid.* illuſtriſſima.

POLEMO in Ponti parte, in Boſphoro & in Ciliciæ parte regnavit. 224. An Regia ſtyrpe fuerit & cujus filius. *ibid.* Antonius Polemoni Armeniam minorem dedit. 225. Ad pugnam Actiacam copias adducit Antonio. 226. Eum in amicitiam. recipit Auguſtus. *ibid.* Chaldæos Tybarenos & alios populos regno addit. *ibid.* Scribonius volens uſurpare Boſphorum, occiditur. 227. Conjux Dynamis ei data, Auguſto id probante. 227. Deinde ſecundo matrimonio copulavit Pythodoriem filiam Pythodori. *ibid.* Limites regni extendit. 227. Ab Aſpungitanis captus perimitur. 228. Nummus, ejus explicatio. 229. Tres liberos & filiam reliquit. 228

POLEMO II. Polemonis & Pythodoridis filius, regni habenas ſuſcepit. 240. Nubit cum Berenice quæ ab eo diſcedit. 241. Neroni Pontum concedit. 242. & in Provinciam redigitur. Ponti regnum conceſſit. *ibid.*

POMPEIUS Armeniam invadit & Artaxatam obſidet. 154. Legatos de pace mittit Mithridates. 155. In Galatiam venit. *ibid.* Ditionem Mithridatis vaſtavit. 156. Varia hoſtilia in Mithridatem. 157. 361. Pompeius nocturno prælio magnam hoſtium edit ſtragem. 159. Contra Mithridatem iter intendit. 165. Depopulavit Albanorum regionem. 167. Mithridates Legatos ad Pompeium miſit. *ibid.* Boſphorum & Pontum in Provincias ordinat. 169. Mors Mithridatis. 173. Judæos perdomuit. 175. Occupat Pontum, datque Pharnaci Boſphorum. 175. Triumphus ob Mithridates & Reges victos. 180. Poſt navalem pugnam amiſſam contra Cæſarem è Sicilia in Bithyniam fugit. 366. Amicis deſtitutus & fugiens captus eſt, fugiens Armeniam, & interemptus. 365

*Ponti deſcriptio regni.* 1. A quo Pontus denominationem ſuam ſumpſerit. *ibid.* A Dario Ponti regnum conceſſum fuit. 3. Pontum partem Cappadociæ fuiſſe monſtratur. 4. Pontus à Polemone Polemoniacus nomen accepit. 224

*Septem Magnetes Ponti.* Cteſias, Onopham, Idernem, Norodobatem, Mardonium, Bari-

ſem Artaphernem & Darium Hiſtaſpis. 2
——Otanem, Hydarnem, Megabyſum, Gobriam, Aſphatimem, Intaphernem & Darium, ſic numerat Herodotus. 2

*REGES PONTI.*

Artheas, antiquiſſimus Rex. 1
Artabazes, primus Rex.
Anonymus. 9
Ariobarzanes. 20
Mithridates I. 14
Mithridates II. 20
Mithridates III. 34
Mithridates IV. 38
Mithridates V. Evergetes. 55
Mithridates VI. Eupator. 64
Pharnaces. 43
Rhodobares. 12
——Ponti Reges, eorum principatus vocabatur *Pontus*. Hæc regio adhuc Cappadocia nuncupata erat. 14. A Pompeio BithyniæPontus eſt adjectus,& una facta eſt Provincia. 362

*PRÆTORES BITHYNIÆ.*

M. Aurelius Cotta, Conſul. 359
Glabrio, Conſul. 361
Silano aut Murenæ, Coſſ. 362
C. Carbo, Papirius Carbo. 363
C. Memmius Gemellus.
P. Silius Nerva, Prætor.
C. Calvitius Sabinus, Prætor, qui Synopen ceperat. 364
A. Plautius.
Pharnaces Bithyniam occupavit.
P. Furnius Craſſipus, gener Ciceronis. 365
Q. Marcius Criſpus.
Tullius Cimber, 365. In Syriam abit. Nummus. 366
Auguſtus in Aſiam tranſiit ad ordinandas Provincias Aſiæ, & Bithyniæ res conſtituit. 367
Granius Marcellus, Bithyniæ Prætor.
P. Vitellius, Prætor ſub Tiberio.
C. Cæcilius Cornutus, Bithyniæ & Ponti Prætor. 368
Cadius Rufus, Bithyniæ & Ponti Prætor,accuſatus & damnatus eſt.
Julius Cilo Procuraror Ponti, accuſatus & ſalvatus eſt.
C. Cælius Balbus. 363
A. Mindius Balbus.
Claudius Polienus.
Gellius Rufus.
C. Petronius, Proconſul Bithyniæ. 370
Tarquitius Priſcus, damnatus eſt à Nerone.
Attius Lacon. 371
Plancius Varus.
Sulpitius Proclus.
Velius Paulus, Proconſul.
Appius Maximus Norbanus.
Aſcedius Myrinus & Armenius Brocelius, Proconſulatum Bithyniæ geſſerunt.
Nicænenſes Bithyniæ primatum obtinuiſſe viderunt. 372
Nicomedienſes conferre voluerunt.
Julius Baſſus, revocatus à Nerva, defenſus à Plinio & abſolutus.
C. Plinius Cæcilius, natus à patre L. Cæcilio, adoptatus ab avunculo, dictus Plinius ſecundus. 373

Nicomediæ Nummus dicatus decatus demonſtrat Bithyniam & Pontum eſſe eandem & unam Provinciam. *ibid.*
Anicius Maximus, Proconſul.
P. Servilius Calvus, Proconſul.
Julius Severus. 374
Hadrianus Bithyniam caram habuit.
PRUSIAS urbem obſidens vulneratur, undè poſteà *Claudus* eſt cognominatus. 39. Pruſias nolens paci conſentire fit inimicus Romanis. 55
—Pruſias Rex Bithyniæ poſt patrem Zelam ejus regno potitur. 311. Munera mittit Rhodiis terræ motu afflictis, 312. Gallos vincit & caſtris potitur. 313. Armis appetens Byzantinos eis adimit Myſiæ partem. 315. Attalo Socero adverſus Ætolos in bello ſocius eſt. 317. Apamen Philippi filiam ducit in uxorem. 317. Pace inter Philippum & Ætolos inita, Pruſias arma vertit in Cianos. 318. Philippi auxilio Cium diu obſeſſum capit & delet. *ibid.* Pruſias in obſidione Heracleæ vulneratus ab ea deſiſtit. 320. Pruſias ab Antiocho deficit, & paulo poſt moritur. 321
PRUSIAS II. loco patris regnat in Bithynia. 322. cognomine Cunegos. *ibid.* Annibalem profugum apud ſe recipit inter Pruſiam & Pergami Regem Eumenem bellum ortum eſt. 323. Philippus Macedo auxilia ad Pruſiam miſit. Victus eſt ab Eumene. *ibid.* Flaminius ad Pruſiam venit ad depoſcendum Annibalem. 324 Ut gratificaretur Flaminio, milites ad domum Annibalis cuſtodiendam miſſi ſunt. *ibid.* Qui venenum exhauſit. 325. Legatos ad Perſeum ut ſibi Apamen ſororem in matrimonium concedat quæ illi à fratre conceditur. 326. Pruſias mittit Legatos Romam de pace reconcilianda cum Perſeo. *ibid.* Pruſias ipſe Romam venit gratulaturus Senatui, ſe dixit veniſſe & gratulatum quod Perſea Gentiumque Reges viciſſent. 327. Pruſias eſt dimiſſus cum variis muneribus. 328. Inimiciis inter Attalum & Pruſiam ortis. 330. Pruſias Agros Attali vaſtavit. 331. Senatus rogat Pruſiam ne Attalum armis infeſtare pergat. *ibid.* Ille contempta omnia & ſacra dirumpit. *ibid.* Nicephorium vaſtare cœpit, Attalum oppugnavit. 332. Victo Attalo Pergamum ingreſſus eſt. *ibid.* Tentat Elæam obſidionem. *ibid.* Sed à Soſandro repulſus eſt. 333. Spoliat templa Dianæ & Apollinis. *ibid.* Decem Legatos decreverunt Romani contra Pruſiam. *ibid.* Voluntatem Senatus ſeriò illi declarârunt. 334. Attalus magnum exercitum coegit, & Athæneus frater Attali claſſem adduxit contra Pruſiam. 334. Tres Legatos miſit Senatus, bello finem impoſuerunt. 335. Pruſias filium Nicomedem Romam miſit, ut ibi degeret. 335. Menas à Pruſia mittitur Romam, occiſurus

filium Nicomedem. *ibid.* Conſulit filiis minoribus quorum unus Pruſias dictus. 336. Menas & Nicomedes conſpirârunt in Pruſiam. *ibid.* Auxilium ab Attalo promiſſum Andronico contra Pruſiam. *ibid.* Nicomedes bellum patri fecit. 337. In Bithyniam invaſit. Pruſias in arcem Niceæ ſe incluſit. *ibid.* Miſit Legatos Romam. 338. Nicomedes cum exercitu in Nicomediam ingreditur. A filio Pruſias confugiens ad aram Jovis interfectus eſt. 338. Mores, formæ, imperium, regnum Pruſiæ. 339

—Pruſæi balneum ſibi extrui licere petierunt à Trajano. 373

PTOMOMÆUS Eunuchus Mithridati fugienti præbuit equum. 121

PYLÆMENES Rex, amicus Populo Romano, tenuit Paphlagoniam. 70. Illi reſtituta eſt. *ibid.*

PYTHODORIS filia Pithodori, uxor Polemonis. 227. Succedit in Ponti & Boſphori regnis. 232. Nubit cum Archelao. 233. Mors ejus. 239

—Pythodoridis filia Polemonis & Pythodoridis, eodem nomine matris, Cotyi Thraciæ Regi nupta eſt. 236. Huic Auguſtus dat Thraciam, occiditur. *ibid.* Regnum Thraciæ adminiſtrat. 239

R

RHOEMETALCES Thraciam conſentiente Tibero retinet. 250

RHESCUPORIS, Auguſtus dedit illi Thraciam. 236. Tyberii juſſu accuſatus in Senatu à Pythodoride Cotyis uxore damnatur. 237

—Rheſcupori Caligula concedit partem Arabiæ. 251

RHESCYPORIS I. Boſphori Regis, vita ignoratur. 268. Ex ejus Nummis evincitur fuiſſe nepotem Cotyis Armeniæ Regis. Ex altero Nummo filium fuiſſe potius Cotyis quàm Ininthimævus. 269. Regnavit ſub Hadriano, ſed quando incertum eſt. 270. Nummus Rheſcyporidis explicatur. 271

RHESCYPORIS II. poſt Cotym regnat in Boſphoro. 282. Demonſtratur alterum eſſe à primo. *ibid.* Videtur potius fuiſſe filius Cotyis, quàm Rheſcyporidis. 282. Ejus facta ignorantur. Quot annos regnaverit quæritur. 283. Nummus ejus explicatur. 284

RHESCYPORIDIS III. ſuccedit Rheſcyporidi II. Cujus filius, quando & quandiu regnaverit requiritur. 286. Nummi ejus explicatio. 287. Nummus alter. 289

*Rhodii* terræ motu afflicti. 212

RHODOBATEM fuiſſe filium Anonymi Hiſtoria denotat. 12. Rhodobatis geſta ignorantur. Ambos regnaſſe in Ponto conjicitur: de Rhodobate nihil ha-

betur niſi quod Diogenes refert. 12

Rhoemetalces duo fuerunt Reges nomine, unus Thraciæ, alter Boſphori. 273. Boſphori Regis nulli reperiuntur Nummi. Sub Antonino regnaſſe & Reſcyporidis filium fuiſſe. 274. Tempus regni & mortis incertum. 275

*Romanorum Senatus* colligit exercitus è Bithynia, Cappadocia, Paphlagonia, Gallo-Græcia, in Aſia contra Mithridatem. 73. Duces exercituum Romanorum Caſſius Manius, Q. Oppius, Minucius Rufus & C. Popilius. Contra Romanos Cotta & Lucullus Duces Rom. 101

*Roxane* & *Statira* ſorores Mithridatis; jugulum obtulit Bacchidi. 123

P. *Rutilius Rufus* exulans crudelitatem vitavit. 80

S

Sacrigicium Mithridatis *Belli-potenti* Jovi. 97. Sacrificium ejuſdem Jovi & Neptuno. 101. Sacrificia Cyzicenorum. 108. Sacrificium Luculli. 132

*Satrapiam Ponti* in regnum à Xerxe creatam fuiſſe Autores exiſtimant. 6

Saturninus Tribunus Plebis, ob violata Legatorum Mithridatis jura, condemnatur. 66

Schismas maximus natu filius Piſidæ. 24

Scribonius volens uſurpare Boſphorum, occiditur. 226

Seleuchus Antigoni imperium diviſit. 34. Lyſimacho victo atque occiſo Myrenam ad Mithridatem reddidit. *ibid.* Lemnii templa Seleucho extruunt. 35. Seleucus iratus contra Heraclienſes Legatos faſtidivit. 35. Hercules appellatur. *ibid.* Seleucho mortuo Antiochus Soter ejus filius ei ſucceſſit. *ibid.*

—Seleuchus in Macedoniam inſtituit., à Seleucho Cerauno occiſus eſt. 302. Antiochus Soter ejus filius imperare coepit. *ibid.* Rex Syriæ. 304.

—Seleuchus Ceraunus contra Attalum belligerens moritur. 312

Sertorius, Mithridates offert illi auxilium ad affirmandam Aſiam. 99. Oblatis & petitis Legatorum aſſentitur. *ibid.* Aliquot urbes Romanorum cepit. 101

Sextilius Legatus miſſus contra Tigranem. 133. Arabes opprimit. 134. vincit Tigranem. *ibid.*

Socrates cognomine *Chreſtus*, major natus Senatus fratrem conſtituit Regem Bithyniæ. 71. 346

—Socrates filius Nicomedis interficit patrem. 344. Bithyni regno eum pellunt. 346

*Statua eburnea* in honorem Nicomedis in Templo Olympii collocata. 308

*Stemma* Regum Bithyniæ. 356

—Stemma Mithridatis. 186

—Stemma Regum Boſphoranorum. 292

—Regum Thraciæ. 293

STRATONICE Mithridatis concubina. 167
STATYRA ſoror Mithridatis veneno aſſumpta eſt. 123
SYLLA Aſia obvenit ad bellum Mithridaticum. 79. 351. Oppugnat Archelaum. 85. 351. Petit naves à Rhodis. *ibid.* Capit Athenas & Piræum obſidet. 86. Sylla in Boëtiam exercitum duxit, eum ſequitur Dorilaus. 89. Sylla Legatus in Cappadociam mittitur ad Ariobarzanem. 89. Sylla & Mithridates de pace alloquuntur. 96. Sylla Nicomedem in Bithyniam & in Cappadociam Ariobarzanem reducit. 95. Mors Syllæ. 98. Sylla miſſus contra Mithrid. 351. Sylla vincit Archelaum, pugnat ad Orchomenum. 90. 351. Boëtiam diripuit. 91. Aſiam ſortitur. 344

T

TAXILES & *Hermocrates* Duces in Paphlagonia. 101
*Templum Bellonæ* conditum in Aſia. 364
*Terræ motus horribilis* in Bithynia. 376
*Tetradrachmali Nummi* explicatio. 52
*Theatrum* ad ludos & ſpectacula uſus conſtruxerat Tigranes. 340
*M. Minucius Thermus*, Prætor, à Sylla in Aſiam miſſus ut Murenæ ſuccederet. 553
THYUS Dinaſtes Paphlagoniæ, clam Regem interficere voluit. 22. Sed deſertus vivuſque captus, cum uxore & liberis ad Regem ductus. *ibid.*
TIGRANES gener Mithridatis, Cappadociam invaſit. 99. Multos Cappadocas abduxit in Armeniam. *ibid.* Armeniæ regni diadema ſibi impoſuit & oppidum à ſe denominavit. *ibid.* Recuſat confugientem Mithridatem apud ſe recipere. 122. Antiochiam rediit. 127. Recuſat Romanis tradere Mithridatem. *ibid.* Mithridates & Tigranes colloquuntur. 132. Contra Lucullum mittit Mythrobarzanem. 133. Sequitur Murena & fugit. 134. Cum reliquo exercitu contra Lucullum progreditur. 135. Variæ pugnæ. 136. 137. Diadema fertur Lucullo. 138. Recipere Mithridatem recuſat. 163. Tigranes vincit filium rebellem, navicula ſervat ad triumphum Pompei. 165
—Tigranes junior Mithridatis nepos, à patre victus & ad Phrahatem fugit. 154
TRIARIUS urbes recipit. 131
*Triumphus* Luculli ob victoriam. 178
—Triumphus Pompei ob victoriam. 180
*Trophæus* Cæſaris in Boſphoro. 203
TISSAPHERNES Dux, per quem Mithridates Artaxerxi reconciliatus eſt. 15. Familiaris erat, fidei causâ, Mithridatis. 16

X

XIPHARES, Mithridatis filius, à patre interfectus, pietatem negligens. 167

XERXES regnavit 29. annis. 12

Z

ZELAS, Nicomedis patris morte, ex Armeniâ in Bithyniam redit. 309. Fratres in Bithyniâ bellum agunt. *ibid.* Zelas in Gallos irrumpit. Condit Zelam urbem in Cappadocia. 310. Inſidiis adortus à Gallo-Græcis occiſus eſt. *ibid.*

ZARBIENUS, unâ cum uxore & liberis à Tigrane necatus eſt. 128

ZENOBIUS bonis Chium venditis in Pontum præducit juſſu Mithridatis. 87. Zenobium in carcerem truſum, Epheſi necârunt. 88

ZENO Polemonis & Pythodoridis filius minor, Armeniæ majoris Rex electus eſt. 235. 250

ZIPOETES Rex Bithyniæ, poſt mortem Biæ habenas ſuſcepit. 301. Ptolemeo obſidio Arſacenæ & Chalcedoniæ. *ibid.* Duces Liſimachi à finibus Bithyniæ repellit.

—Zipoetes viduam Dionyſii in uxorem duxit. 301. Oppugnatus à Liſimacho, eum repellit & pacem poſcere cogit. 302. Heraclienſes curatorem & principem ſibi eligunt. *ibid.* Zipoetes excurſat agros Heraclienſium, ejus exercitus profligatur. *ibid.* Bithynii Patroclo inſidiantur, & unà cum exercitus internecione cæditur. 305. Superior factus Antiocho Seleucho. *ibid.* Urbem condit Zipoetem. *ibid.* Regnavit 47. annos. *ibid.*

— Zipoetes Nicomedis frater vincit Heraclienſes, & poſtea ab iis fugatur. 30

# INDEX GEOGRAPHICUS.


## A

ACHAIA, Peloponneſi regio, inter Corinthum & Patros, ſinui expoſita. 83. 312
*Abydena* ſive *Ariſba.* 313
*Abydus*, urbs Aſiæ. 318
*Adrianopolis*, urbs Thraciæ. 380
*Ægypti Populi.* 3. 20. 62
*Ætolia*, Achaiæ regio. 85
*Alexandria Troas*, urbs Phrygiæ. 312
*Alexandria*, urbs Ægypti, opus Alexandri Magni. 62. 239
*Alpes Cottiæ* in Provin. redactæ. 242
*Amaſtris*, urbs Paphlagoniæ. 72. 347
*Amiſus*, urbs Paphlagoniæ marit. 46
*Ancyra*, urbs Galatiæ primaria. 307
*Aorſi*, apud Scythas. 256
*Apamea Bithyniæ*, à matre Apama nominata. 111. 319
*Arabia Petræa.* 252
*Aſtacus*, urbs Bithyniæ, ab Aſtaco nominata. 297. 301
*Attalici Populi*, regio Achaiæ. 307
*Armenia minor*, Aſiæ: 67
*Artaxata*, urbs Armeniæ. 236
*Aſpungitani*, Populi Boſphori. 227
*Athenienſes*, Populi Græciæ. 3. 18
*Aſia*, una ex quatuor mundi partibus. 20. 99
*Ax*, urbs Phœniciæ. 24

## B

BACTRIANI, Populi Aſiæ, inter Ariam. 301
*Bæotia*, regio Siracuſæ. 83. 91
*Bebricia* ſive *Bithynia*, regio Aſiæ minoris, variis nominibus illuſtrata. 295. 387
*Bithyia*, fluvius Thraciæ. 296
*Bithynia*, vide *Bebricia.*
*Borani*, vide *Boſphorani.*
*Boſphorani*, Aſiæ Populi. 291
*Bizantini*, Populi Thraciæ. 35

## C

CABIRA, urbs Aſiæ minor. in confinis Lyciæ med. 121
*Calcedon*, urbs Bithyniæ. 35. 84. 102. 297. 384.
*Cappadocia*, regio Aſiæ minoris. 4. 36. 98
*Caria*, regio Aſiæ minoris. 20
*Cataonia*, urbs Ciliciæ. 23
*Carthaginenſes*, Populi Affricæ. 56
*Caucaſus*, mons in Septentrionali parte, Indiam dirimens à Scythia. 247
*Cherſoneſus*, Syriæ peninſula. 318
*Cium*, urbs, à Cio nominata *Bithynia*, Phrigiæ. 31. 382
*Chios*, inſula maris Ægæi. 88
*Chronea* in Boëtia, 83
*Chryſopolis*, pagus in Bithynia. 297

*Cilicia*, urbs regia Aſiæ minoris inter Pamphyliam & Syriam. 24. 70
*Colchis*, regio Aſiæ ad oram maris Euxini Orientalem. 66
*Colophonii*, Populi Ioniæ. 88
*Creta*, Inſula maris Medit. 59
*Creſſa*, urbs Paphlagoniæ. 310
*Cyclades*, Inſulæ maris Ægæi. 84
*Cyzicena*, Aſiæ urbs. 104
*Cynocephalæ*, montes Theſſaliæ. 318

D

DASCYLITE, Acatia lacus. 107
*Dindymus*, mons Traodis. 108

E

ELÆA, urbs Æolidis marit. 332
*Eleuſis*, oppidum Atticæ maritimum. 85
*Erythræa*, urbs Ioniæ marit. 84
*Eubœa*, Inſula max. Ægæi maris. 84

F

FLAVIOPOLITÆ Bithyniæ Populi. 281

G

GALATIA, regio Aſiæ min. quæ & Gallo-Græcia. 45. 73. 97. 307
*Galli*, Europ. Populi. 307
—Scordiſei. 326
*Gnoſſi*, Populi Græci. 59
*Gorgyppia*, urbs Boſphori. 227
*Granicus*, flumen Bithyniæ. 29

H

HALYS, flumen Lidiæ ſeu Paphlagoniæ. 45. 96
*Heraclea Pontica*, urbs Aſiæ. 36. 113. 302. 360
*Heleſponti* regnum Aſiæ min. 111. 312
*Hieron*, locus Bithyniæ. 314
*Hiſpania*, Europæ regio. 114

I

IDUMÆI, Populi terræ Edom reg. Paleſtinæ. 217
*Ilienſes*, Populi Phrygiæ. 312. 315
*Illyri Populi*, regio in ora maris Adriatici. 327
*Ionia*, rég. Aſiæ min. marit. 22
*Iſthmus*, Peninſula ad Mæotidem. 209
*Juliopolis*, urbs Bithyniæ. 384

K

KÆPHOESTIADA urbs. 35

L

LACEDEMONI, Populi Græci. 20. 84
*Lamptaca*, urbs in Helleſponto. 100
*Lemnos*, Inſula maris Ægei. 34
*Leontocephales*, Triſiæ caſtellum. 76. 350
*Limnus*, Inſula inter Cambriam & Hiberniam. 111
*Luca*, civitas Tuſciæ. 363
*Lycus*, fluvius Phœniciæ. 114
*Lydia*, reg. Aſiæ min. inter Ioniam & Phrygiam min. 20

*Zyperus*, mons Bithyniæ. 303

M

*MACEDONIA*, reg. Europæ ampla inter Ioniam & Ægæum mare. 302
*Malea*, tenens Eubæa. 84
*Mæonia*, regio Aſiæ. 109
*Mariandini*, Populi Aſiæ. 296
*Maſia regio.* 109
*Megalopolitides*, Populi Arcadiæ. 233
*Megarenſes*, Populi Syriæ. 297
*Meotes*, palus Ægypti. 209
*Mylea*, id eſt, *Cium*, ab uxore *Apamea* denominat. 319
*Myrina*, urbs Æolidis marit. 35
*Mytilena*, urbs in Aſia. 77

N

*NICÆA*, urbs Bithyniæ. 378 111. 382
*Nicomedia*, urbs Bithyniæ. 111 378. 382
*Nyſa*, Indiæ urbs. 227

P

*PANDA*, amnis. 256
*Paphlagonia*, Galatiæ pars. 21. 67. 310
*Panticapæa* Boſphori Cimmerii urbs. 203
*Perſæ*, Populi Aſiæ. 4. 7
*Perinthus*, urbs Syriæ. 111
*Peſſinuns*, urbs Galatiæ in Phrygiâ magnâ. 307
*Philippos*, urbs Macedoniæ. 216
*Phrigia*, regio Aſiæ minoris. 20
*Phanagoria*, urbs Aſiæ, contra Theodoſiam. 227
*Phaſis*, fluvius Scythiæ. 41
*Philadelphi*, Populi Cæleſyriæ. 379
*Pitanis*, urbs Æolidis in Aſia. 351
*Pontus*, Polemoniacus nominatur à Polemone; in Provinciam redacta. 242
*Pontica Gens*, ad Septentrionem jacens. 1. 14
*Priaſpa*, Mediæ regionis urbs. 225
*Pruſia*, urbs Aſiæ. 111. 359
*Pruſei*, Bithyniæ Populi. *ibid.*
*Pyræus*, ſive *Piræus*, portus Athenarum. 85

Q

*QUADI*, Grmaniæ Populi. 333

R

*RHODII*, Populi Græci. 44. 315
*Roma*, urbs Italiæ. 233

S

*SALAMIS*, urbs Græciæ, *Atthida* nominatur. 7
*Samothracia*, Inſula maris Ægæi, Thraciæ adjacens. 122
*Samaritæ Populi.* 217
*Sangarius*, fluvius Aſiæ per Phrygiam Bithyniamque in Pontum illabens. 350
*Sciathus*, Inſula maris Ægæi. 83
*Sciroboa*, mons in confinio Ponti. 340
*Scythæ*, Populi Aſiæ. 66
*Seſſus*, urbs Helleſponti. 21
*Sinops*, urbs Paphlagoniæ. 23. 44
*Soza*, urbs Dandaricæ. 256
*Siraci*, ad Caucaſum Populi. 256
*Stratonix*, urbs Aſiæ. 57

T

TANAIS, fluvius Sarm. Europ. maximus, illam ab Aſia diſterminans. 227
*Taurus*, mons Arabiæ. 24. 42. 314
*Temiſſenſes*, Itali, qui evaſerunt ex Aſia. 81
*Teium*, oppidum Ponti. 48
*Tenedos*, oppidum in mare Ægæo. 112
*Tectoſages*, *Trocti*, *Toliſtobogi*, *Toliſtobrogi*, ſcilicet Galli qui urbes condiderunt in Galatia, ſeu Gallo-Græcia. 307
*Theudoſia*, urbs Panticapæi. 203
*Thracia*, reg. Europæ, inter Moeſiam & Macedoniam. 219
*Thebani Populi Ægypti.* 18
*Tibareni Populi Cappadoc.* 123
*Tigranocerta*, urbs Armeniæ maj. ad Nicephorium flumen. 133
*Timonitides*, Cappadociæ. 357
*Tium*, urbs condita à Gallis. 305
*Tralis*, urbs Lydiæ inter Magneſiam & Mæandrum flumen. 227
*Trapezus*, urbs juxta Pont. Eux. Sinopenſium colonia. 67
*Troades*, Græciæ Populi. 111. 312
*Tyathira*, urbs marit. 333

V

USPES, urbs propè Siracos. 256

Z

ZATHES, fluvius. 16
*Zela*, urbs Ponti. 208
*Zeles*, urbs Hiſpaniæ ad Eretum. 233


FINIS.

Typis JACOBI CHARDON. 1725.

## *APPROBATIO REGII CENSORIS.*

ILluſtriſſimi Regiorum Sigillorum Cuſtodis juſſu, librum, cui titulus eſt, *Joannis Foy Vaillant Arſacidarum Imperium*, *&c.* *& Achæmenidarum Imperium*, *&c.* accuratè perlegi; eumque, utpote genuinum viri in re nummariâ exercitatiſſimi fœtum, dignum judicavi, qui typis mandetur. Datum Lutetiæ Pariſiorum die 18. Junii ann. 1723.

BURETTE.

# *PRIVILEGE DU ROY.*

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il apartiendra, SALUT. Nôtre bien-amé CHARLES MOETTE, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre *Arſacidarum Imperium, ſive Hiſtoria Regum Parthorum, Ponti, Boſphori & Bithyniæ, ad fidem Numiſmatum accommodata, Autore J. Foy Vaillant*, s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Expoſant, & reconnoître ſon zele, Nous lui avons permis & Permettons par ces preſentes de faire imprimer ledit Ouvrage en tels volumes, forme, marge, caracteres, conjointement ou ſéparement & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout nôtre Royaume pendant le tems de huit années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & conditions qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de nôtre obéiſſance; Comme auſſi à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant; & de tous dépens, dommages & interêts: A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de ce Livre ſera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de l'expoſer en vente, le Manuſcrit ou Imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Livre, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée ès mains de nôtre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le ſieur Fleuriau d'Armenonville; & qu'il en ſera enſuite remis deux exem-

plaires dans nôtre Bibliotheque publique, un dans celle de nôtre Chateau du Louvre, & un dans celle de nôtredit très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le ſieur Fleuriau d'Armenonville, le tout à peine de nullité des Preſentes; du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Expoſant ou ſes ayans-cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement; Voulons que la Copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenue pour dûement ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers-Secretaires foi ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires : Car tel eſt nôtre plaiſir. Donné à Paris le ſeptiéme jour du mois de Juillet l'an de grace mil ſept cens vingt-trois, & de nôtre regne le huitiéme.

Par le Roi en ſon Conſeil, DE S. HILAIRE.

*Regiſtré ſur le Regiſtre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris page* 301. *N°.* 585. *conformément aux Reglemens & nottamment à l'Arreſt du Conſeil du* 13. *Aouſt* 1703. *A Paris le dix-ſept Juillet mil ſept cens vingt-trois.*

BALLARD, Syndic.

# ADDENDA DELENDA ET EMENDENDA
## in Tomo primo.

Pagina 1. linea 2. ditionis. p. 2. l. 7. Hyſtaſpis. l. 12. ἀπογονω l. 3. ut & *pro* ſeu &. p. 4. l. 9. Antiochus. p. 5. l. 28. Artabanum IV. p. 7. l. 24. Petitus. l. 27. RELIQUO. l. 30. Reges l. 31. à quo l. 37. CONVICTU. p. 8. l. 22. *dele* ab illa. l. 23. Victorias ab eâ ſe recepiſſe. p. 9. l. 9. & Macedonas. l. 10. nuncupârit. l. 16. inſolenti *pro* ambitioſo. p. 15. l. 8. concinentibus. p. 16 l. 12. Simo. p. 17. l. 20. Attilio. p. 18. l. 8. decurſatus. l. 12. conditotis. p. 19. l. 1. ab eodem. l. 10. Hyde. p. 20. l. 1. tutelare. p. 25. l. 11. conficiebat. l. 30. conferto. p. 26. l. 13. vi illud. l. 20. firmus *pro* cuneus. p. 29. l. 31. vultus *pro* nullus. l. 19. *dele* opem. l. 20. ſic eſt *pro* fiet. p. 33. l. 2. Henningem. l. 4. regnavit. l. 5. Hic *pro* Rex iſte. p. 34. l. 10. Adramyttenus. p. 36. l. 28. *dele* regno. p. 39. l. 1. cap. 4. p. 41. adjacet Mediæ *pro* ad Mediam attingit. p. 42. l. 4. nuper *pro* mox. p. 44. l. 10. Mithridates accepto de ſtrenui Regis cæde nuntio. l. 23. Arios. p. 45. l. 23. ex Principibus ſuis unum. p. 46. l. 2. Oſorius. l. 19. Rhodogunam. l. 26 ſed clementiâ. p. 49. l. 4. attamen is *dele* iſte. l. 9. vox illa. l. 10. ΔΙΜΗΤΡΙΟΥ l. 23. *dele* iſtis. l. 26. itidem. l. 30. Valeſii. p. 52. l. 26. inviſus. p. 53. l. 13. trecenta *pro* ſextum. l. 13. lib. 5. p 55. l. 26. Obſequens. l. 30. deſertus. p. 57. l. 1. Nicatoris. l. 8. *dele* belli. l. 27. cupitam. p. 59. l. 2. ſibi, *lege* ſi ſibi. l. 23. Demetrio. l. 33. obſervantur. p. 60. l. 8. in ſequentium. p. 61. l. 11. populata Parthia *pro* Provinciis illorum depopulatis. p 62. l. 17. Βασιλεῶς p. 63. l. 3. Tochari. l. 6. Dionyſius. l. 14. prorſus. l. 18. at relicto. p. 64. l. 3. Imperii. l. 5. huic res geſtæ. p. 65. l. 4. alioſq; l. 22. cum Armeniis. p. 66. l. 13. contiguam. l. 14. pertinentem. l. 14. magis occaſum l. 18. *dele* Tigranes. l. 19. Juſtinus lib. 4. p. 70. l. 7. QUI. p. 73. l. 26. Parthorum pœne. p. 75. l. 15. nummos p. 76. l. 28. *dele* Principis. p. 82. l. 7. *dele* Principem. p. 86. l. 19. inſomniis p. 87. l. 16. cepi Cottam. l. 18. Cyzicum. l. 26 inopia rurſus ambos. p. 88. l. 13. conditor. l. 27. exercitum. p. 89. l. 5. valles ditioni ſuæ ut permittat, expoſcit. l. 11. ſtatuiſſet *pro* maluiſſet. p. 91. l. 6. quem. l. 8. invaſurum. p. 92. l. 26. repetitum, poſtulatumque. p. 101. l. 16. Atropato. p. 103. l. 1. Babyloniis. p. 106. l. 1. Aſtrum ei ſimile. l. 7. ſummatum. l. 37. cumque. l. 38. Diodoti fugeret. p. 109. l. 12. geſturum. l. 21. Volâ pili. l. 25. magno cum periculo. l. 26. curam *pro* metum. p. 112. l. 21. incedat. l. 27. immiſiſſet. p. 114. l. 8. infeſtabantur. p. 118. l. 3. advolant. p. 121. l. 17. Solinus, l. 22 ſe Craſſum vivum adducere ſubornato. l. 24. *dele* Craſſum vivum adducere. l. 28. nuntium *pro* euntium. p. 124. l. 30. Caſſius. p. 125. l. 4. relata. p. 127 l. 7. factum. l. 11. Mallela. l. 19.

*Ille ſeu Parthos latio imminentes*
*Egerit juſto domitos triumpho.*

p. 128. l. 8. inteſtinos. p. 129. l. 9. patet. p. 131. l. 2. Antonius verò. l. 18. Didii. p 134. l. 24. Stratoniceam. p. 135. l. 4. ſub initium. p. 139. l. 21. metum. p. 142. l. 4. Magus. l. 11. Parthic. p. 145. l. 13. expendamus. p. 146. l. 23. ſeu. p. 148 l. 16. ſubditarum in. p. 154. l. 1. in eos. l. 5. receſſit. l. 28. equitatui. l. 30. compendioſioris. p. 169. l. 10. præſtolaretur. l. 15. effeminarunt. p. 171. l. 11. ſibi quoque vitam eripuiſſet: Cæſar Alexandriæ apud Antonium invenit per multos. p. 173. l. 6. *dele* nummum ipſum hic exhibere. l. 25. *dele* Epiſt. p. 174. l. 2. muneris. l. 15. autem *pro* iſta. p. 175. l. 2. Ectypa. l. 18. *dele* iſta. l. 19. Armeniani. p. 176. l. 18. Imperatori. l. 20. *dele* iſtis. p. 177. l. 10. *dele* qui l. 18. Saraſpadum Ceroſpadem l. 21. *dele* enim. p. 180. l. 6. jam videt. p. 185. l. 10. præſertim vero Naſi hujus cum illius Naſo ſimilitudo. pag 186. l. 18. Bracteolâ *pro* lamina. p. 187. l. 1. Phrahataces Phrahatis IV. filius fuit ex

Thermuſa. p. 189. l. 4. *dele* ipſe Orodes. p. 192. l. 27. agens apud Dahas. p. 193. l. 10. cap. 3. p. 195. l. 2. Nummus hic Vononi Phrahatis IV. filio Romæ priùs obſidi adſignatur. p. 197. l. 18. accolentes. p. 203. l. 10. admonitionibus. p. 205. l. 27. Babylonicæ. p. 206. l. 12. exercuerat. p. 208. l. 9. hoſtis. p. 210. l. 11. fingerent. p. 211. l. 24. monet l. 11. omina p. 212. l. 7. *dele* nomen. p. 213. l. 4. Abdageſen. l. 6. Hiſque in Hircanis. l. 9. dominationi. l. 25. diſjectos. l. 27. hoſteſque. p. 214. l. 3. auctoritas. l. 27. erat ipſius. l. 28. Armamentariis. p. 217. l. 23. accerſitum. p. 218. l. 19. ſi veris. p. 222. l. 14. cum auxilio. l. 19. æreo. l. 25. ſtrangularent. p. 231. l. 8. quos. p. 234. l. 18. deceſſiſſe. p. 236. l. 5. Regnum *pro* Principatum. p. 237. l. 26. uſui. p. 238. l. 16. exercitare. p. 239. l. 23. inſectationes. p. 245. l. 27. Regna. p. 246. l. 2, redimiculis *pro* pendulis. p. 251. l. 16. cum vis. p. 252. l. 19. compede. p. 255. l. 8. antiſtio. p. 256. l. 18. Syriam. p. 257. l. 6. querente. p. 258. l. 26. Avia. l. 31. quæ novis. p. 261. l. 10. quæ ſi p. 262, l. 9. & Medi an. p. 263. l. 21. tentorio ejus non. 266. l. 30. Verulano. p. 267. l. 17. fluvio. p. 269. l. 13. ominibus. p. 270. l. 18. reliquas. p. 272. l. 10. admonere. p. 276. l. 21. quarta & duodecima. p. 288. l. 15. Cæſar iis. p. 289. l. 11. vivus. p. 291. l. 11. confugit. p. 296. l. 6. Neronem reductum. p. 297. l. 5. cunctis. p. 300. l. 14. ſuperioribus. p. 309. l. 9. Heniochonem. p. 317. l. 11. deſerta eſt. p. 322. l. 30. percuſſus ſit. p. 326. l. 28. at optimo. p. 340. l. 22. ſingulo anno. p. 348. l. 37. ideo. p. 354. l. 8. abduci. p. 358. l. 30. ſic ut. p. 365. l. 19. pone caput Vologeſis. p. 370. l. 16. *pag.* 875. p. 371. l. 8. Caracalla omnem Rege deſtitutam cepit, & ut Oſthoenes ſibi conciliare poſſet. p 376. l. 27. haud. p. 379. l. 3. quippe qui prælium. p. 395. l. 25. Anno V. C. 1012. p. 397. l. 1. ignotos. p. 399. l. 25. captus ab eo inter alios captivos ante ſe in triumpho Alexandriam introducitur. l. 26. caput amputatum. p. 400. l. 19. rebellaverunt. p. 404. l. 2. Maximinus. *Eâdem paginâ* 404. *ſuccedit.* Hic, cum Religionem Chriſtianam deſerere coacti fuiſſent Armenii; factuſque & ipſe eſſet Idolorum cultor; miraculo quodam percitus, CHRISTI fidem ſub Conſtantino Magno amplectitur. Sozom. lib. 10. Sub Conſtantio Aug. Conſtantini Magni filio. p. 405. l. 6. Tigranes ſe Perſis cum regno dedidiſſet. l. 14. in Armeniâ.

*Annalium* p. 11. l. 31. 788. p. 19. l. 6. laurum *pro* manum.